
















THOMÆ RODERICI A VEIGA

PRO ARTE MEDICA DOCTORIS celeberrimi, ejusdemque Professoris Primarij in Academia Conimbricensi.

PRACTICA MEDICA.

Cui accessit ejusdem Auctoris Tractatus de Fontanellis, & Cauterijs.

Opus posthmum nunc primum in lucem editum.





VLYSSIPONE.

Ex Typographia IOANNIS A COSTA Senioris.

M. DC. LXVIII.

Cum Priuilegio Regio.

BENEVOLO LECTORI.

DVÆ me præ cæteris causæ lucubrationes has Doctoris Thomæ Roderici à Veiga in lucem edere, maximè perpulerunt: prima, vt ijs quibus vnicè Auctoris tota desudat industria, diuitias omnes de hoc latenti thesauro suppeditarem: altera, vt ab obliuione tanti viri memoriam assererem, quam aut in tenebris jacere, aut temperis diuturnitate extingui nefas erat: decebat enim quòd, Auctore hoc amplissimo extincto, fama superstes esset, ac ex illius scriptis monumentum emergeret sempiternum. Et, vt spero, operæ pretium facturus; nec labor, nec sumptus deterret, dummodo abditum eruam thesaurum, ac patefaciam: in quo Apollineæ artis professoribus complures diuitiæ, etiam à nemine vsque ad hoc tempus patefactæ asseruantur: his inhiare æquum est, & vt prædæ se se accingant omnes, jam moneo, ac duco. Vbi ad sanandos morbos tam præsentia remedia, quam salutaria præcepta, ne parum prosperæ vnquam curationes recidant, inueniuntur. Hìc quoque & ingenij vires suscipere, & Artis dexteritatem æmulari datur, quam si laudibus, atque ego sentio, efferrem, nil aliud fuißet, quàm soli splendorem addere. Neque quispiam obtrectare, aut obloqui audeat me in alienam segetem falcem mittere; quippe enim non mihi, sed alijs laborem hunc suscipio; pro quo si

præmio

præmio me non donatum iri putauerit, Auctori certè acceptum referat, atque non modò agat gratias, verum etiam habeat. Quare si inter legendum quid vitij lector offenderit, quod vel subducere, vel radere, aut denique vngue notare præsumat, boni, æquique consulat, vel Amanuensi potius vertat vitio, quàm Auctori. Sepulto nempe parcere fas est. Quod reliquum est, vt si quis licenter Auctoris gloriam verbis extenuare, aut illius splendorem obscurare conatus fuerit, vel aliter liuore infestus laudes obterere meditetur, beneuolentia, ac patrocinio tegere ipsi, ad quorum institutionem spectant hæc, insistatis, si tamen hoc præstabitis, vobismet beneficium confertis, & hoc posthumum opus tuendo, vestram causam agitis. Quod autem ad me pertinet, impense dabo operam, vt à mendis, quibus Auctor opus nondum absoluerat, vindicem, quò sic de opere existimatio latius concipiatur, & ad lectionem facilius, ac sine nausea alliciantur animi, ac excitentur, ad vltimumque tanti viri memoria in præsens, ac in posterum promineat.

INDEX CAPITVLORVM.

Cap.

Cap.

CAPITVLORVM.

Compendium pro Cauterijs, & Fontanelis.

Està conforme com o seu original. Lisboa S. Francisco da Cidade 6. de Iulho de 668.

Fr. Ioaõ de Deos.

Pòde correr este liuro do Doutor Thome Rodrigues da Veiga. Lisboa 6. de Iulho de 1668.
Sousa. Fr. Pedro de Magalhães. Magalhães de Menezes
D. Verissimo de Lancastro. Sylua. Barreto.

Taxão este liuro em duzentos & sincoenta reis em papel. Lisboa 9. de Iulho de 1668.
Marquez P. Magalhães de Menezes.
Miranda. Carneiro.



PRACTICA

TRADITA A

DD. THOMA RODERICO A VEGA

PRIMARIO PROFESSORE.

Initium lib. de curandis morbis particularibus juxta Rasium super ix. librum ad Almansorem.

Tradetur de Authore; de Diuisione, vltimò de Ordine.



QVOD ad Autorem spectat, Simon Genuensis cũ alijs opinatur, esse Græcum, nec dissidet stilus à Græcitate. Alij non rejiciunt à lib. Rasis, sed suspicantur ex operis dignitate ex Arabico traductũ esse ad Græcos, ex Græcis ad nos. Alij existimant Autorem vocatum esse Buthet filiũ Zachariæ, nepotem Rasis, vnde nomen aui obtinuit, sicut Auicena cui pater Halis, auus Ceni. Est autem hoc opus inter reliqua compendia magni faciendum, quia præstantissima breui complectitur. Cur autem Autores Medici fere compendia cõposuerint, in artis medicæ prœmio explicatum est,

De Diuisione.

CVm in prioribus libris, scilicet octo præcedentibus tradidisset ea quæ attinent ad cognitionem affectuum, & materiæ medicæ; tandem in calce operis, id est, in postremis duobus libris docet rationem curandi morbos licet particulares, in decimo autem libro vniuersales, vocamus vniuersales eos qui non determinant sibi certam sedem in corpore, vt febris, tremor, vlcus: præsens lib. 9. continet 90. capita, quibus vt oportuerit addentur alia.

De Ordine.

ORdo procedendi seruabitur, vt primò, summatim caput referatur, secundò explicabitur tota methodus curatoria morbi propositi, causæ enim & signa ex libris de locis petenda sunt. Tertiò tradentur per nos remedia optima, facilia, nostratia, vt facilè ad ea recurri possit. Et quia integra morbi curatio tradi non potest, nisi in quouis capite doctrina trium instrumentorum repetatur, quibus in curatione vtendum est. Satius est vt de quouis instrumento semel tantum tradatur, ita vt ex reliquis capitibus ad illud recurratur. Quæ autem conueniunt vnicuique membro, in capite suo notantur, itaque in primis capitibus de tota victûs ratione agetur, in medijs autem agetur de medicamentis. In postremis de chyrurgico instrumento.

CAPVT I.

De Cephalalgia sanguinea.

ORdine vulgato orditur à dolore capitis, ac primum de sanguineo, de quo primò docet agnitionē, deinde curationem, in verbo adhesiam citrinā, & tapsit, cibi sunt ex lentibus

bus decorticatis, adhesia quidem ex integris, sed tapsit ex confractis, ita vt reddantur potabiles, citrinam enim vocat non propter crocum, non enim tale jus propter crocum flauescit, est enim crocus cephalalgicus, ita vt eo nomine timeatur in Hyera 8. localium cap. de Hyera, & clarius 2. localium cap. de his quibus ex stomacho caput dolet.

Aduerte primò de phlebotomia in præsenti morbo præcepta. Licet Autor initium sumat à phlebotomia, oportet tamen vt præcedat euacuatio contentorum in ventriculo, intestinis, & meseraïcis; nam & in cucurbitulis applicandis idem præcepit Oribatius lib. 7. cap. 16. addens, quod si præsumptus est cibus, oportet vt subducatur, & potu sumpto: aliter enim periculum est ne rapiatur crudum ad vas. 4. de sanit. vltimo.

Secundò: supponitur dolorem non esse validum; quomodo & 13. meth. 6. in inflammatione orditur à phlebotomia reuellente. Si tamen dolor est validus ex præcepto Auicenæ 4. 1. cap. 3. & 6. Epid. sect. 2. tex. 8. dolor prius sedandus est. Si ergo dolor non est validus, vel pendet magis ex plenitudine corporis quam ab affectu partis, supposita verò plenitudine, per quam phlebotomiam facimus, prius quam dolor, si magnus fuerit, sedetur, phlebotomia non est solum reuellens, sed etiam euacuans à loco affecto, ordiendum est à phlebotomia. In alijs verò casibus oportet quod præcedat sedatio doloris per localia.

Tertiò: vena eligenda est apud Ras. cephalica lateris magis affecti, juxta tradita 4. de sanit. 8. Est quoque frequentius cõsilium sequendum, quam Auicenæ 1. 3. tract. 1. cap. 29. præcipientis quod ex opposito: tantum oportet meminisse duo ex 3. art. med. Vnum: si creditur copia vitiosi sanguinis in parte, vel citissime post vnam sanguinis missionem sequatur altera. Alterum: quod si suspicio est fluxus à toto, securius mittetur ex crure, admonente Actuario 2. method. 2. & Auicena de cura Epilepsiæ. Est autem indicium fluxus à toto, retentio hæmorrhoidũ, aut mensiũ, aut ingens plenitudo, vel grãdis commotio.

Quartò: si videtur fluxionem fere cessasse, ex capite mitten-

dus est, seruata sententia Hippocratis 5. aphor. 68. videlicet, vt in dolore occipitis frons secetur, quia non sumus certi de omnimoda cessatione fluxûs, dolente autem fronte vna cucurbita imponitur cauitati occipitis, & duæ scarificatæ spatulis; potest & illa occipitis scarificari, sed timetur diminutio memoriæ, in vniuersum enim scarificatio debilitat membrum, nisi sanguis abundet; nam tunc phlebotomia cephalicæ facit ad visũ, & phlebotomia grauidæ ad fætus retentionem, 4. 1. cap. 20.

Aduerte secundò, de localibus imponendis capiti, num debeant esse valida. Videtur enim primò, quod cerebrum ob suam mollitiem cum amplis suturis caluariæ, maxime patet immoderantiæ cuiusvis intemperamenti, quare illic subuenire docemur inustione, & refrigeratione 8. meth. de diaria ex vstione. Secundò quia cerebrum subest caluariæ minuenti vim medicamenti. Verum ad oppositum sunt causæ fortiores, summa raritas cerebri exigens medicamentum mitissimum 7. meth. vltimo, & ratio particularis in frigido medicamento quod inimicum est cerebro 5. aphor. 18. Num autem sit addenda tertia causa ad debilitandum medicamentum, sumpta scilicet à nobilitate membri. Dic: ad vacuationem sumitur indicatio à nobilitate membri, vt fiat cum mitiori purgatorio, non autem sumitur à dignitate membri ad alterationem simplicis intẽperamenti 8. meth. vltimo.

Nec obstat quod ad locale sumit indicationem à dignitate membri: 13. meth. 15. quia ibi sumit indicationem à resolutione, quæ est species euacuationis, intemperies tamen morbosa cum debilitet, non minus auferenda est æquato contrario à membro nobili, quam ab ignobili, licet concedendũ sit quod cum in applicatione æquati contrarij vertatur periculum excedendi, & omnis error cõmissus, maior sit in membro nobili, quam in ignobili, fit vt alteratio membri principis cautiùs debeat peragi. Præterea si intemperies membri facta est hectica, cum alteratio ejus debilitet, oportet vt cautiùs agatur in membro principi, juxta aphor. 51. lib. 2. Sed quia hæ do-

ctrinæ vniuersales traditæ supponũtur à Galeno, affirmat enim 7. therap. 13. in alterando nullam sumi indicationem à dignitate membri, quod frustra increpat Auer. 7. collet. 26.

Secundum præceptum. Cum causæ ad debilitanda localia capitis fortiores sint, quam ad oppositum, non imponuntur ad refrigerationem meri succi, vel aquæ frigidæ, sed permixto oleo, & rosaceo, vel omphancino, vel præstantissimo rosaceo omphancino, nam tam interiùs, quam exteriùs permixtio olei lædit vim medicamenti, prohibens ne percutiatur membrum à vi medicamenti. Quare in capite, & ventriculo ita infrigidamus, in corde autem, hepate, & musculis, per solos succos lactucæ, portulacæ, omphacij, ramentorum, cucurbitæ, brisidis, soloni, sonchi, vmbilici veneris, sedredis, cum puluere decuplo sandalorum, & rosarum, & aliquibus granis camphoræ.

Tertium: agitatio præcepta à Ras. duas habet causas, vnam vt per permixtionem succi, vel aquæ, comparetur tenuitas oleo, ne impediatur à suo lentore penetrare; altera quia sic crassescit oleum, quare instar vnguenti magis operatur; modus autem imponendi, in cap. de phrenitide tradetur.

Quartum: in cephalalgia licet calida cauendum est ab epithematis duobus in casibus. Primus: vel continetur in capite copia crassorum vaporum, vel humorum, qui plus lædunt obstructione, quam repulsione, & temperie juuent. Secundus: vel jungitur catharrus, nam humiditate sua addunt catharrum, nisi calor catharri sit calor capitis instar cucurbitæ, trahens ex toto ad caput, quo casu commodissime curat Tralianus lib. 7. cap. 1. cum crebra perfusione capitis ex hydreleo, rosaceo, vel oxirhodino, & cum perfusione frigidæ in balneo, nam talia licet statim congelando, aliquid augeant catharrum, verum in posterum sanat tollendo causam.

Aduerte tertiò, de purgatione quam laudat Ras. purgatorium sanguinis venenum est, quare occultatur lib. de purgāt. med. Quod verò Aët. lib. 3. cap. 16. scribit purgãtia sanguinem, & Musa lib. de purgāt. med. Scilicet putat esse purgantia sangui-

sanguinem extra, non intra vasa, sed videtur quod plurima reserando ora vasorum trahunt, vel vrinam, vel dejectiones sanguinolentas, vt centaurea, cardus, semen periclimini. Mesues autem in vniuersalibus recenset multa mundificantia sanguinẽ, vt cassiã, serũ, lupulos, videlicet vt vacuent excrementa in quæ facile migrat sanguis, biliosum scilicet, & melancholicum; qua intentione Rasis hic purgat per tamarindos, & mirabolanos, qui temperamento suo frigido sicco purgant sanguinem, & coercent flatus à capite. Quare absente febre mirabolani commodissimi sunt in cephalalgia sanguinea, præsente tamen febre timentur propter obstructiones quas gignunt, vnde etiam confectio hamech propter mirabolanos quos recipit, non est tuta in febribus; præsente ergo febre in cephalalgia sanguinea purgentur cum cassia & manna. Altera causa purgationis bilis in dolore sanguineo, vt infrigidet, nam in cephalalgia calida immateriali Auicena consulit purgare bilem infrigidandi gratia, & 22.31. de doloribus jũcturarum in dolore frigido immateriali vacuat pituitam calefaciendi gratia, quare magis conueniet in sanguine ebulliente euacuatio aliqua bilis, infrigidationis causâ, quæ cum sit solum leniens non requirit syrupos.

Aduerte quartò, de victu instituendo in sex rebus. Aer 1. non sit luminosus. Nam 2. 4. 33. Dolentes fugiunt lumen, naturâ inueniente quod melius est; lumen enim ob calorem agitat humores, ideo magis dolent; vniuersaliter tamen lumen nõ prohibetur ægris, sed splendor è regione faciei apud Hippocratem lib. de med. si tamen dolens est commatosus, sit luminosus; si vigilat obscurus; 4. acut. 48. si melancholicus, lucidus paretur; in delirantibus, infra de phrænitide dicetur. Quare pro varietate morbi in ægris variandum est lumen; in sanitate autem locus lucidus commendatur, & eo magis quo aër insalubrior est apud Celsum lib. 1. cap. 2. eo quod lux & ignis purgant, & attenuant aëris grauitatem. Secundò aër non caleat ex coëuntium multitudine, vel domus paruitate, vel igne, vel aromatis, nam 5. aphor. 22. inducunt capitis grauitatem. In declina-

tione

tione autem, vacuata ſcilicet materia, modici ſuffitus ſanant apud Meſuem cap. de cephalæa.

Tertiò: aër fluuialis humectat, marinus ſiccat latenter, & aperit corpus propter ſalem, ideo commodat in cephalea apud Aurelianum cap. proprio. Motus etiam 1. 3. tract. 2. cap. 10. prohibetur corporeus, & animalis. Secundò, deambulatio poſt tres horas à cibo commendatur 2. localium 1. non intra breue ſpatium, ne vertigo accedat apud Aurelianum cap. proprio, ſed per ſatis longum: cap. de cephalalgia ex ebrietate; ſcilicet augeſcente dolore melius eſt quieſcere, decreſcente autem deambulare, & ſi quidem dolor calidus eſt in loco frigido, & ſi frigidus in calido; & ſi ante cibum pluribus deambulationibus, ſi poſt, leuibus & lentis.

Quartò: frictio extremorum lenta, & multa, ligatio eorum ſimul, & lotio frequens conueniunt; nam primò ſola frictio pedum continua per diem, & noctem, ſanauit validam cephalalgiam, & apud Auicenam, quādoque ſentitur deſcendere dolor in lotione.

Non obſtat quod in epilepſia docet Auicena validam frictionem incipientem à pectore cum linteis rubefacientibus, & in apoplexia ligat fæmora validiſſime; quia in illis caſibus propter vehementiam impetus, & periculum, eligimus tractum ad inferiora agitatione humoris; hic autem propter cauſas oppoſitas cauemus agitationem; lotio frequens columnarum pedum, ſinceritatem ſenſuum, & incolumitatem cerebri conſeruat, in introitu lecti quando cænandum eſt, vel ante cænam; dicebat Arnaldus de regimine ſanitatis.

Quintò: lotio capitis commendatur eidem ſecundo quoque die, & plurimum in præſeruando, & videtur, cum per ſuturas poſſit imprimi vis medicamenti, & exhauriri excrementa, potiſſimum cū adhibetur reſiccatio vltima laudata, 3. acut. 13.

Sextò: in eodem tempore, declinante dolore, vel non præſente, pectinatio capitis morosa benefacit; modo quidem ad occiput, modo ad ſincipur, & frictio capitis, maxime ſi celebretur

bretur post exercitium jejuno homine, quod docuit Auicena citatus de epilepsia, quod autem sit pecten ex sinistro cornu arietis, vel eburneus, non est facile recipiendum.

Septimò: caput dolens: vniuersaliter præcipiunt quidam adstringi linteo, ne immodice solutis cerebro membranis augeatur dolor; Galenus 3. de medicatrina vltimò, dixit valde juuare in dolore pulsante.

Octauò: num compressio musculorum, & tendonum, quod vetulæ faciunt, cõmodet. Lege apud Auicenam lib. de remouendis nocumentis tract. 6. cap. 3. commodam esse ad crudos humores, & duritiem tendonum, quæ ex otio nascuntur. Sõnus plurimum juuat omnes cephalalgicos, curat enim per accidens sicut narcotica, propriè autem fere semper. Si verò dispositio est pletorica, vel vaporum, vel humorum, vel in toto, vel in capite, magis requirens resolutionem quam coctionem, lædit, sicut & post cibum 4. aphor. 67. in reliquis confert. Additur etiã ea ratio, cur somnus sanet cephalalgiam; quia tũc maxime quiescunt motus omnes, quare in hac affectione diuturnus somnus non reprobatur, licet in sanitate reprobetur 1. 3. citato. Ostensum enim est cap. 3. art. med. somnum maxime cõcoquere cerebri morbos.

Nonò: figura cubandi apud Aureolum. Dolente toto capite sit supina. Causa videtur quia antrorsum vergunt carotides, per quas communicatur affectus. Et anterior pars magis sentit, & crebrius dolet; si pars altera dolet, super eam decumbat, quia ex coctione, & calore magis lenitur dolor, sicut ventri dolenti pronus accubitus eligitur 1. Progn. 19. Quandoque præstat supra sanum latus decumbere, quandoque is accubitus est magis dolorificus, sit autem caput paulo elatius, ait Aureolus. Nicolaus inquit, si vapores ad caput ascendũt, sit demissum; si autem humores sublime: vtrobique tamen inflexum, ne rectâ repant, siue humores, siue vapores, jacet satis opertus calens infernis partibus, lecticæque pedes demissiores sint parte ima, quam superiori, & ne cogatur caput demittere,

mensa excelsa sit, & si vel edit, vel studet; inanitio confert excrementi humidi, siccique, & ventriculi, in quo oportet perseuerare 1. 3. cit. tum quia ita non effumant, tum quia præstant locum, cum humores sua grauitate recipiantur, tum maximè quia 2. localium 1. plurimum situm est in clisteri valido; quod attinet ad reuulsionem, cum verbo (valido) adnectendum est. Fames tamen non simpliciter commendatur à Galeno, nam in calidis nocet, quia acuit humores 1. cris. 12. ergo in calido dolore parum edendum est, cum dolor succedit propter hicores ad ventriculum confluentes. Affectus animi vehementes, quia agitant, fugiendi sunt; alimentum paucũ non vaporosum; euaporant autem lac, & lacticinia omnia, eo quod sint calida, & humida, & flatulenta.

Præterea radices plantarum acres, & aromata ob excedentem calorem sursum deferentem vapores, præterea frixa omnia, ob acrimoniam olei frixi; de quo dixit Auer. 1. coll. 36. verti in sulphur. Pisces præterea in plurimis, quia oculis nocent ob immodicam humiditatem, nisi ventriculus valde appetat, nam ita ob clausionem retinentur flatus; legumina item, & cætera bellaria, num sint item alimenta capiti noxia. Locat autem ea Galenus 2. loc. 1. in fine sic, vt in 1. ordine constituat, lac, glandes, vnedones, oliuas nigras, quibus addi potest nux, raphanus, palma, crocus modicus, magis lædunt thus, & mirrha, multo magis, & mentem perturbant crocus, & stirax copiosa.

Duodecimò: in calida cephalalgia abstinendum est à carne, & vino, & sumenda sunt initio mensæ lenientia, in calce adstringentia.

Decimo tertiò: quod Galenus concessit vinum 2. localium in cephalalgia frigida. Contra Auicen. citat. cap. 29. cõcessit vinum tenuium partium declinante morbo, nam idem Galenus initio capitis negauerat vinum in frigido affectu; proponunt album, album quia minus moratur in ventriculo, non tamen quia faciliùs coquitur, sed quia faciliùs penetrat ob tenuitatem 3. acut. 3. item quia est subfrigidum 3. 1. 8. Quare so-

lum conceditur inter vina febrienti 3. acut. 8. item in valde assuetis; etiam initio frigidi affectus concedēdum est album pauciferum; quomodo idem Galenus 2. loc. 1. & 6. de sanitat. 7. præcipit in cephalalgicis sumi ad jentaculum panem cum oliuis, & palmulis.

Dic. Idem subdit explorata prius natura particulari. Nam in his quæ valde mala non sunt, à tota specie particularis indicatio præpollet. Quomodo item thuris suffitus, & grana deglutita commendantur in prohibendo catarrhum. Dic subaudiendum est aliquid, si non adsit cephalalgia.

Decimo quartò: Aurelianus ait: in copia victus assueti, in primo die nihil sumant, vel solam aquam cum paucissimo obsonio. Secunda die medietatē cibi assueti, & vini, vel exercitij; vel quando jam melius habetur, inde per triduum addatur in quoque die tertia pars deficientis ad consuetum victum.

Decimo quintò: memorandus est canon Auic. 1. 3. tr. 2. cap. 1. in morbo materiali capitis, cum cibas, frica extrema, & alleuia partes capitis, subaudi calida remedia tollendo, & robora cum repellentibus.

Decimo sextò: num conueniat claudere mensam cum semine coriandri præparato per macerationem cum aceto. Dic: Auic. 2. can. commendauit ad reprimendos à capite vapores, & 1. 3. ad epilepsiam, tam humidum, quam siccum; & eodem lib. tract. 2. cap. 19. ad cephalalgiam, & in lib. de remouendis nocumentis cap. 2. ad remouendos, seu arcendos flatus australes à capite, & Serapio cap. de coriandro, & vulgo succum coriandri, & odorem ejus adhibent intus, & extra, ad somnum conciliandum: Tralianus commendat ad epilepticos, & viride.

Contra: alijs videtur vsus reprobus cum Cardano, eoquod 2. diætarum apud Hippocratem in 2. mensa somniferum est, & apud Diosc. mentem tentat potissimum. Quare eidē inter venena numeratur lib. 6. Dic ergo in copia sumptū

tentat caput, & reprobum eſt, paucum autem benefacit capiti ſomnum inducens, ſcilicet ſiccando, & auertendo paucos aliquos flatus facientes vigilare, nam ſi induceret ſomnum humectando, non commendaretur dictis auctoribus ad epilepticos.

Remedia Cephalalgiæ ſanguineæ.

PRimùm: Albumen, roſacea ℥ ij. aceti ℥ j. linteus duplicatus fronti applicetur. Et ſecunda quoque hora innouetur. Secundum validius: Roſacij & roſaceæ aña ℥. ij. aceti ß. valde agitata imponantur toti ſincipiti vſque ad verticẽ, prius tamen vas aliquod tepidum in puteum mittatur.

Tertium validius: mucilaginis ſeminis pſilij extracti in roſacea cum aceto ſub duplo ob lentorem mucilaginis, quod ſatis ſit.

Quartum: præſente copia humorum ſemina altheæ cum aceto trita in cataplaſmate impone. Quintum: potio: in ſanguine inflamato pruna 20. enucleata, tamarindorum ℥. j. in vna ℔. aquæ ad dimidias coquatur, in collatura callida infunde mirabolanorum citrinorum pulueriſatorum non cribatorum ℥. j. ß. horis decem colletur, exprimatur, & dulceretur cum ſachari albiſſimi ℥. j. præſente febre ſubſtitue pro mirabolanis pulpæ caſſ. fiſt. ℥. j. vel mannæ ℥. j. ß. finis cephalgiæ ſanguineæ.

CAPVT II.

De Cephalalgia biliosa. In ℞. Si autem

DE biliosa primò docet agnoſcere. Secundò curat citra phlebotomiam. Tertiò vbi reliqua non ſufficiunt addit opium.

Aduerte primò, ante purgationem, neceſſe eſt præcedant colagogi ſyrupi, ſed num ante ſyrupos præcedat leniens me-

dicamentum vsu Italorum. Dic primò: conuenit is vsus ob vitandum copiam praui halitus ab intestinis, & putredinis copiam ibi serpentis, item vt descendat humor infernè, quod in omni morbo expetitur. Postremo quia tam syrupi ob deobstructionem, quam phlebotomiam ob tractum transmittunt ad vasa prauitatem succorum in primis vasis existentem. Quare commode initio morbi vacuatur aluus integrè per clisteres duos, sed melius sumpto leniente. Dic secundò: hora sumptionis est mane ante cibum, juxta præceptum 2. aliment. 31. nam leniens si permiscetur cum multo cibo remittitur vis ejus, si sumitur multo ante cibum, cum careat copia alimenti retro comprimente, minus vacat. Dic tertiò leniens medicamentum in affectibus calidis est pulpa cassiæ ʒ. xij. cinamomi anisi aña gr. x. cum sacharo. In frigidis autem affectibus, pulpæ cass. ℥. j. pulueris hyeræ ℥. j. ß. cum sacharo. In humidis autem affectibus, aloes ʒ. iiij. reducantur in pillulas cum melle rosato.

Cur autem addantur corrigentia in cassia. Dic: Hippocrates 2. acut. 2. docuit purgantibus misceri roborantia os ventriculi, & dissipantia flatus. Cassia autem quæ peculiariter habet illas noxas, indiget emendantibus dictis, quam autem lethale sit quandoque, non permisso leniente pharmaco, phlebotomare, in acutis docent experimenta Auer. 7. coll. 1. in fin.

Aduerte secundò, num in cacochimia conueniat phlebotomia. Dic in summa; phlebotomia adhibita gratia vacuationis potest in cacochimia conuenire, juxta distinctionem traditam 4. de sanitate 8. si cacochimia non est immodica, & peccat cum præsentia multi sanguinis. Verum quando vltra necessitatem vacuationis jungitur necessitas reuulsionis, potest conuenire, licet cacochimia sit aliquantulum magis recedens à sanguine, & licet in sanguine sit aliqua diminutio; ideò fere semper phlebotomia conuenit initio internorum inflamationum, vbi tamen inflamatio duceret ortum à me-

ra cacochimia valde recedente à ſanguine, cum diminutione ſanguinis, ita vt credatur noxa vacuati ſanguinis vtilitati cacochimiæ vacuatæ, præpollens ſit reuulſioni, abſtinendum eſt à phlebotomia. Quapropter in dolore capitis, cum ſemper jungatur intenſio reuulſionis propter periculum inflamationis in membro nobili, dolor eſt validus 3. præſag. ad initiũ com 2. fere phlebotomamus, quod ſignificauit Auicen. 1. 3. 29. in initio.

Aduerte tertiò, de qualitate, & loco remedij imponendi ex 2. loc. 1. ꝛ. 3. actualis frigiditas momentanea paranda eſt immiſſo vaſe in aquam vehementer frigidam, qualis ex multis fontibus affertur, qua non præſente, nix vaſi circumponatur. In quibus verbis colligendum eſt primò, quod in calida affectione ſemper expetit frigiditatem actualem, licet non ſemper potentialem, nam in pueris, mulieribus, & viris alba, & molli carne præditis, camomelino vtitur ad ardores, ſcilicet quia confidit actuali frigiditati, ad excedentem calorem emendandum, ne autẽ ſana aliquo modo lædãtur ab eo frigorẽ addit virtualem camomilæ calorem, moderatur tamen actuale frigus juxta diſpoſitionem ægri, dictam ætatem, & conſtitutionem præſentem, non quaſi apponeret actualiter tepidum, ſed vt quandoque remittat frigiditatem eorum in ardore immateriali curando, in materiali verò etiam lib. de maraſmo in fine præcipit actualem frigiditatem, & frequentem permutationem, vnde non videtur accedendum vſui per hyemem tepefacientium, epithemata imponendo in ardore curando, licet debeat ex Galeno aliquid variari juxta varietatem aëris domus, ſemper tamen actu frigida, modo non inducant horrorem denſantem meatus.

Colligitur ſecundò: frigiditatem niuis, non eſſe omninò innocuam, eo quod eſt pars vaporis craſſior, & turbidior, quæ coïuit in niuem, quæ liquata nocet, cum frigus aquæ fontanæ ſit maximè incolume. Si ergo in extra apponendis in morbo calido veretur Galenus frigus niuis, quanto magis in

aſſumen-

assumendis per sanitatem aqua, & vino, & tanto deterior est nitri frigiditas, quantò magis in ratione mineralis participat quiddam delethereum.

Colligitur tertiò, quod etiam in leui affectu ardoris capitis perfundit vniuersum caput vsque post verticem, non tamen longè inferius vertice, quod ipsum docet obseruare, tam in calefaciendo, quam in refrigerando, scilicet quia sic omnes suturæ capitis comprædhenduntur, & lambdoides, & quia si plurimum descendit infra verticem, periculum est de refrigerando quarto ventriculo omnium neruorum origine; ad latera autem vsque ad aures descendendum, & antrorsum vsque ad initium capillaturæ, circundato his tribus linteo ne perfusio molesta sit.

Remedia Cephalalgiæ biliosæ.

PRimum: Digestiuum præmittendum euacuationi in tenui bile. Syrupi violarum oxisach. aña ℥. j. aquæ indiuiæ ℥. iij. misc. Secundum validius: Syrupi nenupharini, & de acido citri aña ℥. j. aquæ acetosæ ℥. iij. aromatisa cum puluere ros. & sandalorum citrinorum. Tertium: in bile crassa digistiuum, acetosi, & endiuiæ aña ℥. j. aquæ cichoriæ ℥. iij. misce. Quartum validius: acetosi compositi ℥. j. & ß. rosati ℥, ß. aquæ fœniculi & endiuiæ aña ℥. & ß. aromatisa cum rosis, & cinamomo.

Quintum: purgatio sine custodia ter in mense repetenda. Pruna 20. tamarindorum ℥. j. in decocto collato solue pulpæ cass. ℥. j. cinamomi ℈. j. cum sacharo albissimo, vel cõseruæ rosarum Alexandrinarum suprapotato serò; vel succi earundem rosarum ℥. iij. sachari ℥. ij. cinamimi ℈. j, vel in ℔. j. succi intubi depuretur, macereturque per tres dies ad solem aloes ℥. j. ex quo succo sumat quotidie aut tertio quoque die pro varietate solutionis ℥. j. & ß. vel aloes electi ℈. j. formentur pilulæ cum syrupo rosarum sumenda dormituro

in diebus intarcalaribus. Vel rhabarb. ℈. j. ſumatur jejuno mandendum, vel pulueratum cum ſacharo roſaceo, vel in pilulas redactum, vel in jure pulli, potum.

Si autem maior ſiccitas. ſumatur bolus rhab. ʒ. ß. floris caſſ. ℥. j. cum ſacharo. Vel mandendum ſumant quotidie caſſ. ℥. ij. ſupra potata aqua cichoriæ, & continue per triduum hora vna ante prandium, vel cænam.

Sextum: validior purgatio eſt ſi adhibeatur in prima potione electuarij ſucci roſarum ʒ. ij. vel pilularum aurearum, & ſine quibus añã drag. ß. deaurentur poſt fractionem ex ſucco roſarum, & poſt mediam noctem deuorentur.

Vel fiat bolus electuarij de ſucco roſarum drag. ij. rhabarbari drag. j. pulpæ caſſ. ℥. ß. cum puluere aniſi gr. x. & ſacharo quantum ſatis.

Septimum: epithemata cephalalgiæ ſanguineæ diminuto aceto, vel lac muliebre, cum albumine agitatum, miſſis ſtupis canabinis ſupra frontem, & tempora crebro. Validius. Ceræ albæ ℥. j. roſacei omphancini ℥. iiij. liquatis ante quam exacte coeunt in mortario affunde paulatim ſuccum cotylidonis, vel ſedi, permiſcens impone tenui linteo in toto ſincipite, & permutato, vel vnctum caput operi folijs vitis, aut nympheæ, mittaturque in nares, & aures nenupherinum cum roſacea agitatum. Validius eſt, ſi adduntur Opij camphoræ aña gr. ij. auri affundatur tepidum duobus tantum gutis, nec diu permittatur, & ſi fortè ſequitur ſtupor, ſubuenitur cum nardino adjecto croco, & cinamomo.

Octauum: commendat ſuffitus in pomo anguſti colli. Sandalorum citrinorum, roſ. florum nenuf. aña ʒ. ij. camphoræ ℈. j. ſpicæ ℈. ß. opertum cum roſacea bulliat, & per interualla odoret.

Errhinum ita paretur. Sacharum, camphora, crocus cum ſucco coriãdri. Validũ autem linimẽtum eſt hujuſmodi. Farinæ hordei, ſemen hyoſciami albi, ſantali citrini inſperſa poſcha imponantur loco dolenti, ſupra poſito linteo crebro permutato ex poſcha roſato.

Nonum

Nonum: aqua potanda, aquæ fontanæ ℔. ij. hordei depilati ℥. j. coquatur ad consumptionem tertiæ partis, vel prunæ duodecim. Validius est si coquatur seminis psylij in linteo ligati ʒ. ij. finis tractatus de cephalalgia biliosa.

CAPVT III.

In ℞. Quod si Cum.

DE dolore frigido, primò docet agnoscere. Secundò, curat purgatione pituitæ, epythematis, & odoratis. Tertiò, vbi priora non sufficiunt addit lenimenta.

Aduerte primò, de compositione cochiarum, dubitant quomodo ad soluendam pituitam recipiant plurimam scamoniam cholagogam. Secundò, quomodo jungit ea quæ valde distant in tempore operationis, colochyntidem cum scamonea contra præceptum Gal. 2. acut. 11. Tertiò quomodo exhibet ʒ. ij. & ß. cum vna sola valide purget.

Dic ad primùm: in omni fluxu jũgitur bilis ob tenuitatem: ita scamonia non solam bilem educit, sed pituitam apud Dioscoridem: postremo additur ad velocitanda phlegmagoga.

Ad secundum: ex Galeno citato, pugnantia quæ miscentur, oportet esse æque velocia in purgatione, aliter sequetur, vt id quod velocius est cum prius exeat non possit purgare humorem, quare cum moueat, & non vacuet, sequetur anxietas. Præterea cũ educit humorem, scilicet educit aliquid ex pharmaco tardo, quo fit vt tardum medicamentum purgare non possit; nam exhibitum fuit paucum, vt pote junctum alteri, & præterea remansit minus, quia portio pharmaci ejus à parte pharmaci velocioris educta fuit,

Dic ergo ad objectum: quod non est licita permixtio talis nisi in altero duorum modorum. Vnus quando fermentatur, ita enim reducuntur ambo ad mediam quandam moram, quod apparet in pillulis omnibus, cum aloe tardum jungitur

gitur ſcamonium velociſſimæ purgationis, & in hyeris omnibus magnis, vbi colochyntis tardæ jungitur, ſcamoniæ velocis.

Alter caſus, quando licet non fermentētur, junguntur in valde impari proportione, ita vt velox ex ilis excitet tantum moram tardioris; & eſt ſolutio magis recipienda, quam Vgonis 4. 1. cap. 4. conformis Traliano cap. de paraliſi. Vnde intelligitur quod permiſcere agaricum, vel Rhabarbarū, cū electuarijs ſcamoneatis in viribus paribus non eſt artificioſum. Caſſia tamen incolumiter miſcetur omnibus, quod prohibet noxam purgandi, & non affert periculum mouendi citra vacuationem.

Colligitur ſecundò, nunquam poſt purgatorium adhibendum eſſe diagridium, vſque ad diem tertium, in quo ſedetur motus pharmaci, ne jungantur duo purgantia in varijs temporibus purgatorio. Ad tertium doſis immodica eſt forte ex vitio literæ, nec excedenda eſt drag. vna.

Aduerte ſecundò, de digerentibus ex Auic. tract. 2. cap. 12. oportet vt ſit continua, ideſt prolixa propter difficultatem coctionis, & remotionem loci, fere autem ſeptem conueniunt, non enim ſufficiunt pauci ſyrupi ſicut in humore calido, & oportet vt præparatio humoris fiat non ſolum per ſyrupos, ſed etiam per alimenta facultate ſimilia elixa, pauca, non ſalſa.

Num autem conueniant ſyrupi ex aceto, dixit Auicena cap. 29. neceſſariam eſſe vim aceti in remedio capitali, & tamen paulo poſt tract. 2. cap. 7. in fine timet attenuantia, quia propter apertionem meatuum deferūt vapores ad caput. Dic: cum creditur cauſa cephalagiæ conſenſus ex vapore communicato, ſuſpecta ſunt, cum autem per proprietatem, conueniūt.

Aduerte tertiò: de diuertentibus, exiguntur hic multo validiora; tum quia frigidus humor difficiliùs trahitur; tum quia ex commotione non ſolum non læditur, vt calidus, ſed emendatur, & attenuatur. Quare clyſteres acres, frictiones cū aſpero linteo, & in volis, & plantis cum aceto, & ſale; liga-

turæ item validæ non solum supra juncturas, sed etiam in junčturis, cum magis dolorificæ sint,& adhuc potentiores in fœmorum, & brachiorum radicibus. Memorandum tamen illud Traliani cap. de phrenitide,& Auic.cap.29. vt quam primum extrema soluuntur, mittantur in calida,partim ne recurrat humor; partim vt dolor tensiuus auferatur.

Aduerte quartò, de purgatione adhibenda. In crassis humoribus simultanea lædit,reddens morbos incurabiles, sed oportet vt sæpe per interualla purgetur, facto initio à leuissimo vsque ad validissimum, tam in coquentibus, quam in purgantibus: perpetuò enim relinquitur pars humoris durior; colligitur hæc sententia ex curatione Galeni 1. localium de alopecia. Nec obstat quod eodem cap. ait oportere, vt quam citissime euacuetur humor, ne inducat parti malum habitum, qui perpetuò asseruat noxium humorem, quia fatendum est, ideo non esse otiandum in morbis materialibus longo tempore, sed non proinde ordiendum est à valido purgatorio.

Præterea postquam aliquanto tempore fuerit continuatus progressus dictus,interponendum est longum tempus otij, à quo rursus similis circuitus repetendus est à leuissimo,vsque ad validissimum, etsi nihil appareat iuuamenti, præclare Tralian. cap. de melancholia, & epilepsia, & Celsus lib. 3. cap. 1. in fine,

Aduerte quintò: de particularibus euacuationibus capitis, tam in his, quam in reliquis remedijs; oportet meminisse sententiæ Galeni 2. loc. 1. oportere, vt cuique operi medico habeantur parata saltem duo remedia intensione distantia, vt ex mistura eorum variet intensio, & remissio pharmaci, in quo vno sita est recta ratio curandi. Alterum est præceptum Traliani lib.5. cap. 2. Quod si caput est primariò affectum citra corporis vitia, nulla euacuatio vniuersalis præponenda est,sed incipiendum est à particulari euacuatione,in contrarijs verò casibus oportet, vt præcedat vniuersalis.

Tertium præceptum cõmodissimum ex 7. meth. 2.& lib.

de

de prænotione 8. post vacuationem innatantium humorum expurgandi sunt imbibiti, vt sequatur diutina emendatio intemperamenti per alterantia, ne rursus gignatur humor morbificus.

Quartum: commodissime etiam facit, si quid videtur residuum ex purgationibus, vt sumantur decocta, vel leuia purgatoria alternis diebus, & si validiora sint quarto quoque die, vel decimo quoque; facit enim hujusmodi paulatina, & modica purgatio, tum vt non asseruetur in loco morboso quantitas sufficiens ad repetitionem morbi, tum vt assuescat materiam ad locum longinquum mandare.

Aduerte sextò de victu. Vinum etiam in affectu frigido capitis suspectum est, quia non solum vapores proprios, sed etiam alimenti defert ad caput. Nec obstat 6. aphor. 31. *Dolores oculorum meri potio soluit, &c.* Quia id habet locum in pauca plenitudine crassi sanguinis non præsente fluxu ad caput, quando paucum merum sumitur via medicamenti.

Nec obstat secundò, quod 5. aphor. 5. Vinum qualitate sanat quod copia facit, quia vinum sequente plurimo somno in ebrijs incibatis non semper id operatur, cum autem illud non potest, mors sequitur, ait Galenus, quare in dubitatione omittendum est vinum. Nec obstat etiam, quod conceditur hic apud Ras. & apud Galenum 2. local. citat. Quia solum in fine cephalalgiæ frigidæ, quo tempore etiam exercitium laudatur, in alijs temporibus reprobatur.

Postremo in sententia Ras. hic non est omittēdum, quod cum non satisfaciunt remedia dicta frigida, & calida, curat lenimentis, eo quod maiori mole amplius operantur. Suspectum est tamen quod addit de opio addendo. Nam ex localium 2. citat. dolor capitis non accedit ad eam vehementiam, vt periclitetur vita, & cogat ad narcotica, quod item in dolore frigido, simul cum lotione capitis adhibet balneum totius; causa est quia timet ne trahatur humor ad caput solius capitis lotionibus.

Remedia Cephalalgiæ pituitosæ.

PRimum in pituita craſſa non reumatiſante. ℞. oximel ſimp. ſyrupi de ſtæchados ſimp. aña ℥. j. aquæ betonicæ ℥. iij. miſc. Secundum validius; ſyrupi, & aquæ betonicæ. Adhuc validius. ℞. ſyrupi oximelitis ſchylitici ℥. ß. de ſtæch. cõp. ℥. j. aquæ betonicæ ℥. iij. miſc.

Tertium: in tenui reumatiſante ℞. mellis roſati collati ℥. ij. aquæ decocti thuris, & nucum cypreſſi ℥. iij. miſc.

Quartum purgatorium lene. ℞. agarici trociſcati in oximelite ſchylitico pulueris hyeræ ſimp. aña ℈. ij. formẽtur cum melle roſato. Vel ſumatur in jure pulli turbith. electi ʒ. ij. zinziberis ʒ. j. ſachari ʒ. iij. Vel electuarij indi ʒ. iij. cum ſacharo in bolo. Commode autem additur in quouis horum florum ſtæchado, ſeminis peoniæ aña gr. x. Vel ſumatur agarici ʒ. j. diag. gran. v. cinamomi gariophilorum, aña gran. x. cum ſacharo, & diacitonij ſuccorum aña ℥. j. fiat diacitonium. Vel commiſceantur dicti pulueres cum conſerua roſarum. Vel pillularum arabicarum ʒ. j. & ß. Commodiſſime ad dictos effectus, vel ter in menſe ſumat ʒ. j. Vel pillularum recipientium aloes electi ʒ. ß. agarici, Rhab. aña ℈. ij. nucis muſcatæ, maſſis aña ʒ. j. & ſi permiſceatur bilis addantur roſæ, & ſandali pari pondere cum dictis maſtichi, & nuce.

Eſt etiam purgationis modus commodiſ ſimus, vt ex pillulis validis, vel ex hyera aliqua magna. Sumatur primùm, media quantitas, poſt dies 8. dupla, poſt alios 8. tripla. Cõmodus eſt, & ille modus, vt per dies aliquot interpollatos ſumatur leuepurgatorium, quale eſt. Pulueris hyeræ bene præparatæ ʒ. j. in duabus ℥. juris, & ſupra potentur ejuſdem juris ℥. iij. ad tollendam amaritudinem, vel pilula vna pendens ʒ. ß. deuoretur dormituro, tertio quoque die, vel in ℔. j. decocti thyn. i Meſues maceretur per dies tres ad ſolem aloes, hyeræ aña ℥. ß. ſumant quotidie ℥. j. & ſemicem.

Quin-

Quintum purgatorium validius. ℞. cochiarum ʒ. j. vel agarici ʒ. ij. floris caſſ. ℥. j. cum ſacharo fiat bolus.

Validius. Hyeræ legodij ʒ. iij. repetantur ter in menſe.

Sextum: Cliſter crebro ſumendus ſtæchados, betonicæ, ſaluiæ, hyſſopi aña m. j. in ℔. j. decocti, addantur olei ℥. iij. mellis ℥. ij. hyeræ ʒ. vj.

Validius. Si recipit in decoctione centauriæ drag. iij. benedictæ ℥. ß.

Septimum: errhinum lene, ſuccus betæ, vel maioranæ ſumatur prius ore pleno aquæ, præcedente ſuffitu decocti maluarum, & ſtæchados, præſtat autem ſi nocte procedente illiniatur interuallum ſupercilliorum, cum adipe gallinæ. Validius eſt ſi recipit mel, melantium, & aloem. Validius ſi ſuccus eſt anegalidis. Validius ſi in ℥. j. ſucci, addãtur ellebori albi gr. iij.

Octauum, maſticatorium lene. Maſtix per mediam horam manſa. Validius ſi addatur macis piperis aña gr. iij. Validius eſt maſticatio piretri ligata in linteo ne linguam mordeat. Vel piperis albi, origani, cinamomi, ſtaphiſagriæ aña, cum carne paſſulſarum tuſſa, fiat bolus drag. vnius maſticandus. Vel maſtichis drag. ij. piretri ſtaphyſagriæ aña ʒ. ß. ceræ drag. ij. fiant trochiſci ʒ. j.

Nonum, Apophlegmatiſmus leuis, ℞. oximelitis ℥. j. decocti paſſularum, ſtæchados hyſopi ℥. ij. Validius eſt ſi oximel eſt ſchyliticum, & recipit decoctum ſynapis, pyretri aña ʒ. j. Validius eſt, apophlegmatiſmus vertiginoſi.

Decimum: pomum odorandum laudani depurati, ligni aloes, vel belſoini, ſtiracis aña ʒ. ij. galangæ, nucis muſcatæ, ſeminis baſiliconis aña ʒ. j. cum roſacea in qua ſit tragacantha, parum moſchæ, & ambræ, componantur. Vel fiat ex Gallia muſcata, item moſchus ſolutus in oleo linino tribus gutis ſcilicet aut naphæ, mittatur in aures, aut ſaltem coctum cum eo, capiti imponatur lininum.

Vndecimum: Validius eſt oleum laurinum, & rutaceum. In flatulento autem dolore, ſacculus ex millio, & ſale

torrefactis calefiat in tegula aspersa vino albo, & acri aceto. Vel ex masse, cortice citri, & gariophilis repleatur. Validior est linteus infusus in aqua vitæ calida cumnuce muscata fricato syncipite. Vel euphorbij, castorij aña ℈. ß. in oleo naphæ, vel linino, mittatur in narem dolentem. Validius si crebro repetatur, & vnguatur locus melle calido, & inspergatur sinapi trito.

In antiquo autem dolore constituatur pileus ex betonicæ, rutæ, florum stæchados (quod est rosmarinus) aña ℥. ß. conquassatis. Vel emplastri apostolicon ℥. iij. cum camomelino extendatur capiti raso. Validior est. Lotio radicum cucumeris asinini, absinthij aña m. ij. in aqua, & olei aña ℔. j. fiat decoctio ex qua caput abluatur, & fex imponatur.

Duodecimum: in antiquo dolore benefacit septimo quoque die lotio capitis ex lixiuio decoctæ maioranæ, stæchados, camomillæ, rosarum, saluiæ, cum agarici ligati in linteo ʒ. j. Magis autem roborat si lixiuio addatur ʒ j. vini albi ante cænam.

Decimum tertium: sæpe adhibendus suffitus belsoini, styracis, thuris, sandalorum citrinorum aña fiant trochisci cum tragacantha dissoluta in aqua naphæ.

Decimùm quartum: Sapo ad capitis læsionem. Saponis gallici optimi ℥. ß. agarici ʒ. ij. iridis, gariophilorum aña ℈. ij. camphora ℈. j,

Decimũ quintum: parat mulsa ad potum ex melle cocto cũ aqua vigecupla. Vel coquatur aqua grata visui, & gustui cum aniso, cinamomo, & sacharo ligatis in linteo. Vel per manicam officinarum colletur.

Decimum sextum: Roborat in frigidis affectibus si tempore frigido septimo quoque die, in tempore autem temperato, si decimoquinto quoque die, sumatur optimi Mitridati ʒ. j. cum ℥. j. conseruæ rosarum jejuno, tempore autem calido nõ sumatur.

Decimum septimum: synapismus caricarum macerata-
rum

rum per diem in calida ℥. iij. seminis sinapis ℥. ij. caricæ per se exacte terantur, & item sinapi affuso pauco cremore dicto, & mixta in tenui linteo imponantur parti refrigeratæ, tanquam sacra anchora 2. local. citat. cum reliqua non prosunt, ita vt quaque hora inspiciatur rubor num exactus sit, quo tempore dempto, sinapismo fouenda est pars cum oleo calido, & si dolor vrget cum rosaceo: finis tractatus hujus.

CAPVT IV.

De Cephalalgia varia.

POst tractationẽ cephalalgiæ, per proprietatẽ, agit de ea per consensum, & à varijs causis prodeunte, postremo adjiciens remedium chyrurgicum in omni cephalalgia difficillima.

Aduerte primò: de cephalalgia per consensum. Membrũ cui consentit, cognoscitur partim ex læsione ejus, partim ex loco capitis dolentis. Nam apud Auic. tract. 2. cap. 7. si ex consensu ventriculi est, sinciput dolet; si ex hepate, pars dextra; si ex splene, sinistra; si ex renibus, occiput; si ex vtero, vertex; 6. eped. 1. videlicet, quia fit communicatio per rectum, ex traditis 3. tegni 2.

Secundum: humor lædens in ventriculo agnoscitur ex alijs signis, sed potissimum 1. 3. citat. & 13. 3. de dolore stomachi, ex eo, quod si bilis est, post cibum melius habet; si frigidus humor, deterius; licet accedat quod in fame quandoque frigidus exhalet, ideo magis lædit, & bilis post cibum innatat, quare plus offendit, sed illud prius est multo frequentius. Addunt quidam in omni dolore, ab humore ventriculi, statim ab assumpto cibo dolorem minui, sed paruissimum est illud spatium, discrimen autem dictum durat.

Tertium: si causa est bilis, ventriculi, vel visceris alicujus, immodicus calor, nil capiti remedij adhibendum est, 2. loc.

çap.

cap. proprio. Nec obſtat quod in eodem cap. refert Galenus, cauſam ejus doloris per conſenſum, eſſe debilitatem, & acrimoniam ſenſus, in quibuſdam quidem capitis, in alijs oculorum ad ſuſcipiendos prauos halitus. Quare videtur cõmodum roborare partem ſuſcipientem, vel caput. Quia ſæpiſſime Galenus ſignificat ſufficere vacuationem bilis à ventriculo, citra prouidentiam membri ſuſcipientis, non quaſi prohibeat talem prouidentiam; nam 10. therap. 2. docet in eo caſu roborare caput.

Quartum: bilis ſæpe petit os ventris, nec obſtat grauitas ejus, quia cum ſit leuior chylo, innatat chylo, ſicut pituita magis petit fundum; quiuis autem humor ventriculum peſſime afficit, cum tunicis imbibitur, optime cum in fundo, modice in ore ventriculi, apud Galenum citat. Cauſa eſt facilitas aut difficultas vacuandi.

Quintum: ex Galeno citat. ſi facile vomit, ex tepida epota vomat. Si aliquanto difficilius, ex aceto, & tepida, in difficulter autem vomente, exhibendus eſt ſtatim citra vomitum cibus boni ſucci, firmans ventriculum juxta præceptum 3. 1. doctrina 2. cap. 7. ſæpe ei qui vacuatione indiget conceditur, vt rem bonam largiter comedat, Cõmendat inter reliqua punica dulce acida, maxime infuſo pane, eo quod vltra vim firmantem ventriculum, detrudit deorſum bilem ventriculi, in quo vincit reliqua adſtringentia, licet & illa cõmendet Haly 5. pract. cap. proprio, qualia ſunt pira, poma cotonea, ideo autem præferto punicum mixtum, quia acidum offendit ventriculum, dulce non reprimit bilem. Sequentibus autem diebus ad expurgandam bilem ventriculi extollit Galenus decoctum abſinthij, cujus ℥. j. in octo aquæ concoquatur ad tertias, & addito ſacharo ſumatur jejunè; ſyrupus autem abſinthij vulgaris plus calefacit, & roborat, minus expurgat bilem. In poſterum autem conſolvit, vt ad horam diei tertiam, vel quartam ſumatur panis ſolum, vel cum palmulis aut oliuis. Poteſt etiam exhiberi panis cum çonſerua roſarum, vel ſola çonſerua. Quod autem

autem concedit Galenus, panem cum obſonijs noxijs capiti, cauſa eſt, quia in cauſa ventriculi magnam vim habet ſuauitas; tum quia hic dolor eſt per conſenſum ventriculi, quare capitis pauca ratio habetur. Tralianus laudat cum pane pomum,& in maiori calore citrum. Ideo autem talia præcipiuntur hora diei quarta, vt interea expurgentur recrementa capitis à ſomno, quod male multi non obſeruant. Ad vomendum tamen ex 7. meth. 11. multo plus ſumendum eſt, quam ad dejiciendum, & multo amplius quam ad lædendum, eo quod eſt valentior operatio, & quia ita ſubuertitur ventriculus.

Sextum: ſi humor ventriculi frigidus eſt, præſtat vacuare per inferna, eo quod fere magis petit fundum, & quia eſt validior euacuatio, innatans tamen commodiſſime vomitu exhauritur; ſi verò creditur humor imbibitus, præponit hyeram omnibus vſque ad ʒ. j. diminuto croco. In quo remedio conſiderandum eſt ex Raſ. 1. continent. non eſſe vtendum hyera, niſi in materia frigida, vel ex toto, vel ex parte. Itē intelligitur ex parua doſi Galenū præbuiſſe hyeram quotidie ſuis ægris inſtar decocti abſinthei, per interualla enim dierum ʒ. j. & ß. leuiſſime vacuat. Quod autem minuit crocum cephalalgicum, non tollit ex toto. Cauſa eſt, vt deferat vim medicamenti ad caput, ſed oportet, vt ſubſtituantur vera aromata pro vulgaribus ſpurijs.

Aduerte ſecundò: de dolore ex cauſa externa, cur ex inſolatione, vel infrigidatione cerebrum plus reliquis partibus afficiatur, cauſa explicata eſt, debilitas naturalium facultatum cerebri lib. de phlebot. 8. & mollities ejus sūma 7 de partibus natural. 7. maxime in hominibus in quibus cerebrum ampliſſimum eſt, adhuc magis in pueris in quibus eſt humidiſſimum, vnde fiunt pueris ſyrraſes apud Aët. lib. 3. cap. proprio, & mater puerorum 1. continent. cap. proprio: inflamatio ſcilicet cerebri frigidiſſima requirens medicamenta adjutoria.

Secundò: memorandum eſt præſeruatorium ingens in ijs quibus inſolandū eſt, ex 2. local. cap. de dolore capitis frigido.

Spongia lata, caua, densa, aqua imbuta, & valde expressa capiti imposita.

Tertiò colligendum est: quod à causa externa, licet immateriali quandoque oritur morbus capitis materialis, vel per compressionem à frigore, vel per liquefactionem à calido, imò & quandoque à frigore externo calidus morbus materialis, quando exprimitur humor calidus: & à calore externo frigidus materialis, quando è conuerso accidit.

Quartum: colligendum est ex Auic. tract. 2. cap. 1. quod etiam in morbo immateriali capitis, præsente plenitudine, vacuandum est, tum quia vacuatio humoris contrarij temperat, tum quia ob præseruationē à periculo imminenti diffluxionis gratiâ doloris.

Aduerte tertio: Remedia quinque extrema in affectibus capitis, & fere in aliarum partium affectibus difficillimis, quibus addenda sunt tria alia chyrurgica.

Primum: post sufficientem vacuationem totius, & alterationem membri gignentis cacochymiam, purgationes sine custodia singulis mensibus repetendæ. Secundum: synapismus. Tertium: Garici sumptio. Quartum: balneatio thermarum, vel totius, vel partis affectæ, & potio earundem thermarum. Quintum: hemorrhoidum crebra prouocatio cum arundinibus, nam post aliquot vices sponte fluent, & ablatis arundinibus suffiantur cum decocto camomillæ. Ex chyrurgicis autem remedijs. Sextum est vesicatio circa locum affectum, est autem mite vesicatorium. Flores & folia zambuci trita, decem horis imposita. Vel saponis vulgaris, calcis viuæ aña mixta. Validius: cantharidum abscisis alis, & capitibus ʒ. j. fermenti ʒ. ij. cum aceto schilino. Vesicatorij autem quantitas sit castaneæ, post vesicatorium autem rumpantur, & conseruentur aperta per dies quadraginta superposita carica. Si autem morbus in capite est, vesicatorium cōmodè exhibetur in coniunctione capitis ad collum, vtrinque. Ad eundem scopum tendit in affectibus capitalibus perforatio pulparum auris, immisso

per foramen cortice thymeleæ diebus dictis, vel laqueatio in collo posteriore, vocant sedaginum; diuertunt talia, vacuant, roborant.

Septimum est interceptio fluxus, scilicet sectis vasis, per qua defertur materia 13. therap. in fine, ita vt parua vasa scindantur, venæ autem magnæ, vel arteriæ post cutis scissionem volsella eleuantur, & vtrinque ligata per medium secantur, sed securius remedium est si vniuersa vrantur.

Postremum remedium cauterium est. De quo tanquam de difficili remedio obseruanda sunt præcepta tredecim.

Primum præceptum: magna lis est inter Autores priscos, & recentiores, num conueniant in affectibus capitis, & aliorum partium. Commendantur enim summe Auic. cap. 29. & Mes. cap. de catharro, & Rasi, & Herculano cap. de cephalalgia, & podagra, & cum juramento frequentissimi successus. De quo valde contendit Fumanelus lib. de capitis vstione, scilicet quã-do materia intro fluit, & periculum est de cæcitate, vel sufusione, vel tabe, propter malignum catharrum. Causæ sunt, quia cauterium emendat intemperamentum frigidum. Secundò: quia euacuat. Tertiò: quia diuertit. Quartò: quia aduritur vas per quod humor fluit. Sed apud Tral. cap. de epilepsia, plus affert supplicij, quam auxilij, & Galenus ommisit cauteria; quare merito timentur à multis, eo quod suturæ sæpe sint immodicæ, laxæ, ita vt per apertum locum valde vitietur cerebrũ, sæpe etiam exeuntia vasa, connectentia pericraneum caluariæ magna sunt, quare offendũtur. Adde quod locus suturæ, non est idem in omnibus, licet scribant sumendum esse, si imponatur imus carpus medio superciliorum, & extendatur medius digitus, vt locus terminationis intelligatur coctus duarum suturarum coronalis, & sagitalis, quod vt est frequens, ita non perpetuum. Cum ergo cauteria quibusdam valde profuerint, quosdam valde læserint; nec facile agnosci queat laxitas suturarum, nisi forte masticatione, præstat contẽtum esse masticatorijs in capite, & in crure vesicatorijs è directo partis affectæ,

maxime si primarius locus est infernus, etiam, si pars vtraque capitis affecta est, in vtroque crure fiat. Potest etiam infra humeros simili proportione adhiberi.

Secundum: non fiat, nisi cum reliqua remedia non sufficiunt. Nec tamen spectetur morbus incurabilis, vt pthysis, vel suffusio confirmata quæ in talibus frustra adhibetur. Tertium: non penetret vltra cutim in carnosis partibus, in capite verò, ob caluariam interpositam, ad caluariam accedat, sed paulatim & non semel. Quartum: circunstantes loci prius succis reprimentibus defendantur. Quintum: hora diei sit temperatior, & æger commodè locetur. Sextum: si valet sensu, priùs stupefiat locus narcoticis. Septimum: cõseruetur apertus locus dies quadraginta, cum pila cerea, vel folijs brasicæ dictis. Octauum: non fiat in causa mere calida. Nonũ: locus cauterizandus priùs signetur. Decimum: non fiat cum materia induruit, sed cũ pars laxa est, & humida.

Vndecimum: clauso foramine, per interualla crebro vacuetur, vel rursum aperiatur vesicatorijs crebro innouatis, aut ægipsico imposito prohibeatur consolidatio, si affectus est diuturnus etiam per annum, si periodicus perpetuò; si nec diuturnus, nec periodicus per mensem.

Duodecimum: cum cauterium roboret partem proximam in capite praue affecto quinque adhiberi possunt, aliqua ex illis, videlicet in coronali, in lambdoide, in secundis mendosis, in junctura colli. Ex quibus tutior est junctura colli, eo quod non lædit cerebrum, & si quidem affectus obsidet caput per proprietatem, sola hæc curat. Si per consensum, benefacit, & cauterium in parte consentiente, sed multo magis primario in affecta parte; in reliquis autem partibus præter caput, si adhibeatur gratia intercipiendi fluxus, imponendum est in loco medio inter partem affectam, si adhibeatur gratiâ fluxus humoris infra partem affectam, imponendum est.

Decimumtertium: in omni affectu dicto, confert apud plurimos aperire infra humeros, vel genua digitis 4. parte externa

terna ad reuulsionem. Sed Fumanelus proprio opere de vstione capitis, non recipit, quia sæpe non succedit propter longitudinem à vijs fluxus. Verum cum sæpe succedat, & in affectibus capitis, sit multo incolumius, recipiendum fere est.

Aduerte quarto: de cephalalgia melancholica. Primo, victus sit humidus citra obstructionem, in actiuis verò pro varietate humoris varius. Nam atra bilis 3. de causis sympt. 2. frigida est, sed caloris non expers, fere autem si genita est ex calido humore, & recés est, vincit in ea calor. Si ex frigido humore, & antiqua, frigus. Sumat itaque mane perpetuo oua sorbilia, fugiat acida, & salsa, quæ & vniuersum caput lædunt ob mollitiem cerebri. Secundò, coquentia attenuent, & modo resoluant, modo humectent per interualla in omni melancholia 3. 4. cap. de schyrro, ne induretur. Tertiò: purgatio explicante Mesue, habeat tria vniuersalia præcepta. Vnum; vt non semel vniuersus humor vacuetur, tum propter rationem vniuersalem, quia oportet vacuationem regulet natura, non naturam vacuatio; tum propter particularem, quia talis vacuatio instar flammæ consumit tenue, demittit crassum. Secundum præceptum purgationis, ex eadem causa non sint fortia purgantia, sed benedicta.

Contra tamen videtur scriptũ 4. aph. 9. & 14. theor. cap. 17. quod omnium humorum difficilime vacuatur atra bilis, ita vt scribatur lib. de purgat. med. facult. quod in humore etiam crasso prius vacuatur pars tenuis, quam crassa. Dic: hoc præceptũ Mes. supponit illud Hipp. scilicet quod licet fortiora cõueniant melancholiæ, quam reliquis humoribus, verum ob timorem impetuosæ vacuationis, ne crassum lapidescat, temperatur ea vehementia.

Tertium: non adhibeantur talia purgantia sola, sed consolata cum humectantibus, & odoratis, ideo bibita commodiora sunt in omni melancholia.

Quartum: num cerebra gallinarum præsertim roborent cerebrum, vt ex apocripho Galeni de iuuantibus, & no-

centibus,, ſed aperte Raſ. cap. de diuiſionibus, & 1. 3. tract. 2. cap. 26. in hæmorrhagia narium ex percuſſo cerebro cibant perpetuo cum cerebellis: & cerebra paſſerum, creduntur facere ad libidinem propter alicionem cerebri à quo multa prodit genitura. Sic oſſa capitis humani benefaciunt apoplecticis, pulmo vulpis, pthyſicis, ventriculus gallinæ, humano; hepar lupi, hepaticis; inteſtina lupi, collicæ, renes, renibus 18. 3. de debilitate renum, & oſſa humana, podagricis 22. 3. cap. 13. in fine, & 5. collect. cap. 19. in principio. Quodlibet membrum roborat ſibi proportionale, & rationale eſt propter ſimilitudinem ſubſtantiæ.

Non obſtat quod cordis eſus non roborat cor; quia robur cordis requirit multũ calorẽ, qui omnino deeſt in corde mortuo. Nec obſtat quod Galenus negat 11. ſimp. de ventriculo gallinæ, quia ſolum negat ſanare dolorem ventriculi, quia tamen tanquam expertum conceditur ab Iſac, & alijs.

Remedia Cephalalgiæ variæ.

PRimum: digeſtiuum in melancholia non frigida, hoc modo tribui poteſt, ℞. ſyrupi de ſabor, ſiue bugloſi compoſiti, vel borraginis, vel de borrag. ſimp. facto cum ſacharo ℥. ij. aquæ bugloſſæ, & melliſſæ aña ℥. j. & ß. miſc.

Secundum: digeſtiuum in melancholia frigida. ℞. ſyrupi de epythimo ℥. ij. decoctionis betonicæ, & ſaluiæ ℥. iij. miſc.

Tertium: purgatio in melancholia aduſta. ℞. confectionis hamec ʒ. iij. ß. in ſero. Vel decoctionis florum cordialiũ, cum caſſiæ pulpa ℥. j. Vel in bolo cum ſacharo. Vel pillularum fumariæ ʒ. j. Validius, ſi addatur radicis elebori nigri ʒ. ß. cum julepo violarum.

Quartum: purgatio in frigida leniens. ℞. diaſenæ ℥. j. cum ſacharo fiat bolus. Validior eſt additio agarici ʒ. j. ß. aut pro agarico hyeræ logodij ʒ. ij. in bolo, aut decocto melancholico, vel pillularum de lapide lazuli conſtructarum ʒ. ꝭ.

Quin-

Quintũ: purgationes ſine cuſtodia bis in mẽſe repetendæ ex his poſſunt ordinari. Senæ, epythimi, polipodij aña ℈. j. diagridij gr. iiij. gingiberis, macis aña gr. x. ſachari ʒ. ß. in ouo ſorbili, vel in jure pullæ. Alia: pulueris ſenæ ℥. ß. in jure pulli. Vel pillularum indarum ʒ. j. Vel jus galli veteris, cum quo coquatur polipodium, ſemen carthami (quod eſt crocus ſilueſtris) finiculi aña ʒ. ß.

Aliud in frigida melancholia. ℞. epythimi ʒ. vj. agarici ʒ. iij. corticum ellebori nigri, pulueris hyeræ aña ℥. ß. cum melle roſato fiant pillulæ.

Aliud in melancholica aduſta. ℞. mirabolanorum chebulorum, indorum, citrinorum aña ℈. iiij. ellebori nigri ʒ. ij. agari ℥. ß. aloes ʒ. vj, epythimi, foliorum ſenæ, polipodij aña ℥. j. puluerata miſceantur ſuccis fumariæ, borraginis, chamedrio (quæ eſt parua quercus) aña ℥. ij. & ex ſiccato formentur pillulæ cum ſyrupo fumariæ.

Aliud ſi magis placet infuſum. ℞. foliorum ſenæ, epythimi aña ℥. ß. polipodij ℥. j. ß. glyciriſſæ ℥. j. nocte macerentur in jure pulli pingui, vel ſero caprino calidis, mane expreſſum addito ſacharo bibatur.

Aliud conueniens expurgandis fæcibus melancholicis poſt integram vacuationem. ℞. mirabolanorum omnium aña ℥. ß. contuſa craſſe, & manibus fricata cum amigdalino infundãtur die, ac nocte in aquæ fumariæ ℔. x. poſtea coquantur ad 3. partis conſumptionem, tunc adde radicum ellebori nigri ℥. ß. liquiritij, polipodij aña ℥. ij. ſeminum citri ℥. ij. & ß. bulliant donec remaneant ℔. iij. collatum, & expreſſum ſeruetur. Sumatque quotidie, vel alternis diebus pro varia operatione ejus decocti ℥. vj. ſyrupi de fumaria, & roſati ℥. j. & ß.

Sextum: in melancholico dolore benefacit lotio capitis, ex decocto capitis caſtrati (cerebrum propter nimiam humiditatem, & laxitatem omittatur) & cum bullierit, mittatur bugloſa, borrago, & ſena. Item vnguatur çaput raſum cum amigdalino, vel çum lacte.

Septimum:

Septimum: roborat caput melancholicum confectio florum naphæ, vel stæchados, vel buglosæ, vel radices earũ conditæ. In frigida aut diambra, aut diamuscum. In calida addantur corali rubri, & santali citrini, & cum sacharo soluto in aqua rosarum fiant rotulæ pendentes drag. ij. quarum duas jejunus sumat.

Octauum: in sano, cephalalgia repentina valida sanatur cum opha in vino lymphato, vinum namque detrudit bilem, reprimit, & roborat ventriculum. Si talis cephalalgia fiat bile existente in ventriculo, & si creditur humor non sufficienter calidus, vinum sit merum.

Nonum: si accidit post expergefactionem, cibo sanatur ex 1. continent. quia nocte præcedente, materia multum coxit, & propterea ventriculus traxit à locis vicinis excrementa generantia cephalalgiam.

Decimum: in hæmiarania fæx attramenti scriptorij cum aceto repetita, & in pulsante, ruta, mentha, panis, rosaceum vinum imponatur. Si non cessat, rade locum, & impone hyrundines, & scarifica dorsum 1. continent.

Vndecimum: in quauis cephalalgia calida imponantur nuclei persicorum cum rosacea, & lacte: in materia autem mixta aloe cum oxyrrhodino apud Rasium.

Duodecimum: in antiquo dolore maxime calido. Calchytidis, gummi mirrhæ aña partem j. aluminis mediam, croci vj. calcanthi iij. illine ex posca apud Tralianum, & Galenum.

Decimum tertium: in dolore febrili ab initio phlebotomia, post septimum cucurbitæ in occipitio ex 2. local. cap. proprio, & si viget copia humoris in capite lædunt epythemata valde frigida. Si verò peccat humor, qualitate benefacit, vt inquit Auic. 1. 4. cap. de dolore capitis, sed fontalia, & errhina frigida conueniunt. Caput foueatur decocto tepido camomillæ, melliloti, rosarum, & affusione aquæ calidæ supra extrema bis in die,

Decimum quartum: in critica cephalalgia otiandum. Si autem

autem tentata crisis cessat, leuissime juuetur; si non succedit transacto decretorio, vacua.

Decimum quintum: in dolore ex obstructione, post purgationem deobstruentia valida præbeantur, & rursus si intemperies est calida, succedant refrigerantia, & denuo reuertendum ad deobstruentia calida. Deobstruens Galeni melanthium pulueratum in succo sampsucci, & illine nares intro, post suffitum stæchadis decoctæ.

Decimum sextum: in dolore frigido antiquo oleum decoctæ verbenacæ cum mille pedis pertuso capite.

Decimum septimum: in doloreex multo cibo, aut potu, vomat ex copiosa calida.

Decimum octauum: ad caput humidum reumatisans 7. quoque die jejunus mandat, & sensim diglutiat Rabarbari ʒ. ß. & postremo die abluatur caput ex lotione cephalalgiæ pituitosæ. Perpetuo autē surgat diluculo, & incibatus expurget excrementa omnia, & exerceatur, & ab exercitio sumat calefacti sacharum rosaceum cum pauco melle, infrigidati autem cum plurimo, sensimque mandat, tum ob dentium emendationē vertendo per ambas maxillas; tum ob vaporem communicandum capiti suauem, & roborantem nullo potu sequente; jejunus sæpe masticet frustulum macis, & diglutiat succum ad cōciliandum robur membris, & absumendas putres humiditates. Confert etiam vt singulis hæbdomadis dormiturus diglutiat aloes ℈. j. redactum in pillulam j. cum vino odorato. Confert etiam, vt mane sumat chebulum vnum conditum, & perpetuo gestet manibus pomum odoratum cephalalgiæ pituitosæ.

Decimum nonum: præseruatorium ab ebrietate. ℞. seminis caulis ʒ. ij. in syrupo omphacij; facit autem odium vini, apud Tacuinum decoctæ vitis cum folio vitis, aut cum toto fructice exhibitio vini. Finis tractatus de Cephalalgia varia.

CAPVT V.

De Vertigine.

Incipit, Cum aliquis, &c.

CVrationem vertiginis in tres ſpecies diuidit. Primo: ſanguineæ à toto, Secundo: per conſenſum à ventriculo, ꝗ. Cum autem. Tertio: per proprietatem. ꝗ. Si autem.

Aduerte primo: de ſpeciebus vertiginis diſtinguendis; in epilepſia, & melancholia numeramus ſpecies tres. Per proprietatem, à ventriculo, per conſenſum aliunde. Cauſa eſt quia extremè variatur curatio ex ijs differētijs. Nā ſi ex proprietate eſt, ſolius cerebri ratio habenda eſt. Si ex ventriculo, particularis curatio conuenit per vomitum, & mitem purgationem. Si per conſenſum alterius membri purgatio ſanat. In vertigine autem ob faciliorem traditionem curationis diſtingūt tantum in vertigine per proprietatem, & per conſenſum à ventriculo. Secundò: per proprietatem ventriculi ſimiliter, & per conſenſum à ventriculo, quædam calida eſt, quædam frigida. Per conſenſum autem à vaſis totius, ſolum eſt ſanguinea, eo quod vapor non cōmunicatur cerebro, à frigido humore totius, qui indicat motum illum contumacem ſpirituū, ſicut frequēter cōmunicatur inducens epilepſiam, vel maniam. Tertiò: vt compræhendat omnem vertiginem inter ſigna, inquit, cum cadere voluerit; nam ſi læſio magis vergit ad poſteriora cadit, & diſtat ab epilepſia per defectum conuulſionis, ſin magis vergit antrorſum ob circularem motum ſpirituum, non deſcendit ſufficienter ad membra ſuſtinenda; quare redditur proximus caſui.

Quarto: diſtinguit abundantiam ſanguinis in capite à vaporibus ſanguineis, communicatis, per hoc, quod vapores rubefaciunt faciem, ſanguis verò cerebri inflat vaſa oculorum, &

retro

retro aures. Causa est quia flatus sanguinei in spongiosa maxillarú carne retenti inficiunt gennas rubore, quod in peripneumonicis, & pleureticis videre est.

Aduerte secundo de curatione. In constitutis in accessione; fricentur extrema, odoretur acre acetum, & peucedanum ad exercitationem, seruetur que in obscuro. Secundum: transacta accessione si sanguis abundat, phlebotometur magis, quam in alijs affectibus sanguineis, eo quod in illis sufficit, copiam sanguinis auferre: hic verò etiam vapor sanguineorum, quod est multo difficilius; & si affectus est per consensum, magis phlebotomandum est vas respiciens membrum primario affectum, minùs vasa capitis. Si verò est affectus per proprietatem, vasa capitis secanda sunt, scilicet cephalica, retro aures, frons, tempora, vel imponantur ibi hyrudines, transacto tamen ex toto paroxismo ex Paulo, & alijs. Licet Gradensis hic citans Nicolum, dicat faciendam esse phlebotomiam in accessione in duobus casibus. Scilicet quando accessio est longa; vel quando non apparent venæ extra accessionem. Sed rarissime cogit nos ad id longitudo accessionis, & venæ, si non apparet in collo, apparebunt alibi. Nec Rasis hic docuit, quod durante accessione fiat.

Tertium: Aët. docet, non esse exercendam simultaneam phlebotomiam, sed paucam repetitam, & imposito prius oxyrhodino capiti, eo quod timet eleuationem vaporum, agitato per phlebotomiam sanguine; ad quam cautionem sorbentur statim à phlebotomia, aquæ endiuiæ ℥. vj.

Quartum: resolutio contentorum vaporum in capite, maxime cum non est per consensum fit præuacuato corpore, suffitu decocti camomillæ, stæchados, maioranæ, & leui capitis frictione, & frequenti lotione extremorum in calida.

Quintum: sectio venarum retro aures, securior est quam arteriarum, & quam cauterisatio; fere autem curat, cum affectus est per cōsensũ ab inferioribus, & per extima vasa cōmunicatur. Si verò est per proprietatē, & cōsensum exteriorũ vasorũ

aliquid iuuare, verum non plane sanare. Cauterizatio autem periculum habet ne semen fiat paucum, & parum fœcundum, cũ per ea vasa plurimũ descendat à capite lib. de genitura, & de aëre, aqua & locis: scilicet quia à capite plurima genitura prodit, cum spiritus perfectissimus inde manet; perfectissima autem vis est informatrix. Argumentum est quia coeuntes nictant, & oculis cauantur, caluescunt, & cerebro minuuntur. Quare, vel omittatur ea cauterisatio, vel secundũ vnam tantum aurem fiat.

Sextum: si consensus tantum à ventriculo est, primo vacuat Rasis per vomitum id quod innatat. Deinde purgatione sanat imbibitum.

Septimum: si per proprietatem humor in capite est, & frigidus, iuuat per valida crebro; per valida quidẽ, quia humores crassi sunt ex remotis vacuandi. Crebro autem, quia non solum intendit vacuare, sed & reuellere. Constat autem ex lib. de phlebotom. sæpe cum scopus est vacuare, semel vacuandum esse; cum reuellere, crebro vacuandum esse. Quare in fluxu sãguinis narium 5. therap. 3. quaque hora phlebotomat, & vulgo in phlebotomia reuellente crebro imponatur digitus vasi aperto. Oportet autem in purgantibus habere rationem motus humorum, ne agitentur. Quare semper conuenit permixtio adstringentium, mirabolanorum, Rhabarbari, & succi rosarum.

Aduerte tertio: de victu præceptum primum. In morbis quibus imminet casus, cauendum est à locis, quibus periculose corruit æger, scilicet scalis, igne, flumine, fenestris, nec respicienda sunt valde ima, nec remota, nec splendentia, vniuersa enim hæc spiritus agitant. Cur autem ejusmodi quando inspiciuntur intente magis agitent, quam si sint tantum præsentia, & nõ inspecta; sicut opthalmicus inspectus magis inficit inspicientem, quam præsens non-inspectus. Causa est, quia radius visorius, siue exeat à re visa, siue à vidente, defert secum materiales qualitates rei inspectæ inficientes videntem. Abstineat etiam à cogitatione rerum dictarum, species enim rerum ex-

terna-

ternarum similiter externis immutant corpus lib. de causis motus animalium. Vitet inclinationem capitis, vt scribere, depingere, suere.

Secundum: flatulentia omnia, & aromatica pessima; quare lentes vniuersaliter reprobantur Constantino, eo quod 2. canonis, in ipsis est inflatio plurima, præterquam quod est praui succi, inducens mala somnia, apud Auicenā citat. Quod si à Ras. in diuisionibus laudantur, intelligatur in calida vertigine, eo quod incrassant sanguinem, & prohibent agitationem ejus.

Tertium: vinum maxime noxium est, quia flatulentum, & petit caput, & calidum est. Conuenientissima frigida aqua ob incrassationem spirituum, & repressionem vaporum, ita vt apud Auic. 1. 3. cap. de alui dispositione, præuia ad vertiginem imminentem, accessionem prohibeat frigida epota. Aetius verò concedens paucum vini albi pauciferi, in declinatione intelligatur, vel in valde assuetis.

Quartum: ad resolutionem vaporum in frigida vertigine commendatur somnus supra inanitatem, vel famem, & in calida acida, & austera prohibentia feruorem sanguinis, vtrobiq; autem paucitas cibi, & potus; & clausio mensæ cum reprimentibus flatum, post quæ non superpotetur.

Remedia Vertiginis.

PRimum: in calida vertigine reuellentia, & post resoluentia cephalalgicorum cum aceto, Paulo Autore ob dissolutionem flatuum.

Secundum: in calida purgatio cephalalgiæ biliosæ, vel mirabolani citrini ℥. j. & ß. pruna xx. confracta in aqua bulliant collaturæ, adde succi rosarum Alexand. ℥. iij. cum sacharo. Vel seri ℥. vj. Rhabarb. ʒ. j. ß. succi rosarum ℥. j. collatum mane detur cum sacharo.

Tertium: in prodeunte à ventriculo facilior est vomitus, & præ-

& præſtantior poſt cibum multum, & potum, varium, ſcilicet ſalſum, lentum, acrem, à quo poſt horam vnam, non quieſcente ægro ſumatur vomitorium, vt ℞. oximellitis ſimplicis, vel validius ſchylitici ℥. j. & ß. decocti ℥. ij. miſce. Decoctum ita paretur. ℞. Radicum raphani ℥. j. aſſari, ſeminis anethi aña ℥. ß. in ℔. aquæ ad tertias cum croci triti ʒ. j. interpoſito ſpatio pauco, immiſſa penna cum oleo vomat.

Quartum: in prodeunte à ventriculo, purgatio mitis ne euocet à longinquo, per elephanginas ʒ. j. & ß. Validius per ſtomacichas ʒ. j. adhuc validius per cochias ʒ. j.

Quintum: gargariſmata, & maſticatoria cephalalgicorum. Validius paſſularum, gliciriſæ, hyſopi aña ℥. iij. cireos, galangæ, maioræ, aña ʒ. ij. zinziberis, piperis ſtaphiſ grianæ, ſinapis aña ʒ. j. craſſæ tuſſæ in ℔. iiij. coquantur ad m. Et ſumantur coclearia duo ante prandium, & cænam in ore, continuanturque diu, cum pauco mellis, aut oximelis ſchylitici. Sextum initium acceſſionis per conſenſum præſeruat vnctio epileptici ſecunda. Finis de Vertigine.

CAPVT VI.

De Phrænitide.

Incipit, Cum aliquem, &c. Primo notificat affectum. 2. Curat. ꝛ. Ægro igitur.

ADuerte: de aëre præceptum primum. Aët. quoad temperiem non expetitur ſumme frigidus, ob reſolutionis indigentiam, ſed in hyeme tepidus, in æſtate frigidus. Conciliatur frigus decurſibus aquarum, linteis madidis, parietes, & feneſtras opperientibus, calathis pomorum, & florum, arborum germinibus, aſperſionibus roſarum. Domus etiam ſubterranea paretur, ventis expoſita 13. therap. 8. tabulatis tamen, vel lateribus ſtrata, 9. theoricæ 14. De lumine autem contendit Aſcli-

piades oportere esse luminosum, eo quod vasa interna in externa luce euanescunt, qua de causa somnia vigilanti non accidunt, quomodo lux facis ad solem marcescit. In tenebris phantasmata interna, pro veris accipiunt, quare magis insaniũt.

Respõdet Aurelianus: plura phantasmata eorũ, habẽt ortum ex externis speciebus, quàm ex internis, videntur enim terreri etiam ex notissimis. Præstat ergo non habere lucem ad percipienda externa, quàm habere, vt non percipiant interna, nisi in ijs, qui magis vrgentur internis, & tales, ait Aet. lucem appetunt. Quare ita temperandus est aër quoad lucem, vt qui ad lucem efferuntur, in tenebrosa domo decumbant. Qui verò ad lucis splendorem resipiscunt, in lucida domo degant, citra picturas tamen, & multorum præsentiam. Magna tamen lux perpetuo fugienda est. Nam vniuersaliter dolentibus caput inimica est. Quare fugienda sunt, radij solares, fasces accensæ, flamma ignis. Addit Aurelianus: sint vultus ægrorum auersis ianuis, & fenestris, ne intueantur ingredientia, camara ampla, ne caleat; procul à via, ne prætereuntium strepitus irritetur, fenestræ altæ, & custodiendæ, ne se præcipitet; raro admittantur quos reuereatur, ne frequentia pariat contemptum, qui leniter ferant irrogatas injurias, & enim immodice redarguant, ne exasperentur, sed quibusdam assentientes, alia redarguant.

Aduerte secũdò de victu. Oportet esse valde tenuis, cum morbus sit acutus, & à toto genere lætalis 1. præs. 23. obseruatio autem horæ assuetæ est præceptum 1. acut. 19. Quo loco respondet Galenus calumniantibus victum Hippocrat. Quidam enim redarguebant quasi immodice alentem, eo quod comm. 19. cibat juxta numerum cibationis sanæ. Alij culpabant quasi inædia necantem. Quare citat. 44. cõseruat ægrum incibatum 9. dies. Verum Galenus ait, licet Hippocrates obseruet numerum cibationis sanæ, exhibet tamen paucissimum alimenti, oxybaphum ptysanæ, 4. partem coctilæ. Constat autem ex Paulo lib. de ponderibus, coctilam heminam esse latine pondus mellis ℥. xiij. & ß. quare oxybaphum mellis latine

ace-

acetabulum, capiet ℥. iij. & ʒ. iij. Cum aut ptyſana minus, quã mel grauis ſit, acetabulum ptyſanæ, quod Hippocrates ſingulis cibationibus exhibebat capiet põderales ℥. iij. Locus enim 9. localiũ in paſtillo Criſſeli aſſerens oxybaphum continere ℥. j. merito creditur à Cornario corruptus. Verum ea quãtitas varianda eſt pro ægri, & morbi varietate. Eſt autem commodiſſimum alimentum panata ℥. j. ſeminum frigidorum, ſeminis papaueris albi ʒ. j. & ſacharo. Item panis lotus primò infrigidabis, mox in roſacea lotus ſuper aſperſo ſacharo. Si verò feruor vrget etiam medulã peponis, & duracini concedit Paulus, & lactucas crudas, lac autem amigdalarum ſemper eſt ſuſpectum, & magis in nocte, cum recurrunt ad caput excrementa. Præcipitur item in victu, vt paulatim deducantur in victum ſanorũ, facile enim recurrit affectio ait Aurel. Quare licet 1. acut. 25. ſpectet poſt criſim ſolos duos dies, in quibus non recedit à victu morbi, eo quod acuti morbi omnes, vel per pares, vel per impares mouẽtur, quare intra duos dies, ſi nihil ſuccedit noui, certa eſt ſalus. Vniuerſaliter aut 2. 4. tract. cap. 107. aliter 101. ſpectari jubet primũ decretoriũ ſequentẽ. Raſ. 10. ad Almanſorem 1um. acceſſionem ſequentem. Haly tamen phreneticum dixit, continendum in victu morbi dies 33. Zoar. tract. 16. cap. 3. dixit 40. dies. Qui loci poſtremi, vel ſunt corrupti, vel explicant terminum vſque ad quem phrenetici ſolent recediuare, non quod victus morbi eo vſque debeat obſeruari.

De potu autem: frigida infeſta eſt ratione tum inflamationis, cum omni inflãmationi noceat: tum ratione membranarum cerebri, quæ percutiuntur aquæ frigiditate; temperetur ergo, vel mixtione julepi roſacei pauci, vel ſucco punici, vel macerato ibi pane torrefacto ex Haly. Verum quia phrænetici natura ſua pauci bibuli ſunt, ſi afferatur illis frequenter vinum in initio ſummopere noxium, in aſſuetis tamen quorum ventriculus frigidus eſt apparente coctione valde dilutum, pauciferum præfert Tral. eo quod ſomnum inducit, nam vel non ſuccedit alienatio naturæ, vt pote declinante jam morbo ait Paulus;

Paulus; vel succedens facile disistet, in reliquis naturis interdicendum est vsque ad integram sanitatem.

Tertium præceptum: quies maxime procuranda est consilio amicorum, quos reueretur, metu, vinculis. Ratio Pauli, quia continuus motus conuellit vires; adde & quia summopere impedit coctionem morbi 4. acut. 48. Tertiò, quia reddit species multo mobiliores, quare ad somnum ineptiores, sicut contra, quies prouocat somnum. Addit Aurelianus: firmiter componatur lectus, ne vacillet jactationibus ægri. Caput verò contra ritum reliquorum affectuum capitalium, non locetur sublime, quia is decubitus eos perturbat, humile apud Oribasium lib. 6. cap. 1. & si insania est immoderata vincula molliter membris injiciantur, sed prius tectis lana, nam immodice ligatis succedit tumor.

Quartum: somnus omni ingenio procurandus est, ita vt initio accessionum apud Nicolum; procuretur autem silentio, cantu leni, sonitu aquæ molliter cadentis in æs, & per remedia somnifera.

Aduerte tertiò: de phlebotomia. Præceptũ primum, fere conuenit phlebotomia, quia non solum conuenit gratiâ vacuationis, & refrigerationis, quæ febris exposcit, sed multo magis gratiâ reuellendi, & prohibendi confirmationem inflãmationis, & eo magis quo confirmata est à toto genere lethalis. Quare in phrenitide, pleuritide, & in inflãmatione quauis viscerum fere phlebotomandum est in initio. Duo tantum casus raro prohibent phlebotomiam. Primus, quando pendet à bile nullo modo permixta cum sanguine, & in sanguine est diminutio. Nam deficiente magis sanguine per phlebotomiam, nõ concoquitur, sed effertur bilis, quo casu purgatio mitis initio conuenit, & est exhibenda. Secundus, cum phrenitis succedit ad alios morbos, cum prostratæ vires, non tollerent sanguinis missionem. Nam in morbis maximum vnum est subsidium saluans robur virium. Quare à phrenitide magis euadunt juuenes, & pueri potissimùm robusti, nõ senes & inualidi.

Secundum: de quantitate Aët. & alij præcipiunt, vt minus, quàm pro copia vacuetur gratiâ motionum, & vigiliarũ sequentium. Verum in initio ad reuulsionem, cum instet morbus lethalis, præstat egregie vacuare, ita vt prope accedatur ad deliquium. Quare pulsus, phlebotomiæ tempore, tangendus est ex lib. de phleb. 12. scribitur autem signum in pulsu virium adhuc robustarum lib. citat. cap. 13. in capite autem est signũ virium, non tollerantium ampliorem missionem. Verum hãc copiam non oportet semel vacuare, cum enim scopus sit reuulsio magis quam vacuatio, eo magis præstat quo numerosior est, lib. citat. cap. 12. in fin. & quia celerrime subueniendum est, præcipit Auicena, quod sequatur clister ad phlebotomiam, quasi significans, quod nec clister spectandus est ad phlebotomiam.

Tertium: de loco phlebotomiæ; licet vulgo dicatur secandam esse caphenam in casu magnæ plenitudinis totius. Vel secundo quando causa plenitudinis est supressio fluxus inferni consueti hemorrhoidarum consuetarum. Vel tertio, quando credit communicari materiam à membro aliquo inferno, vt si præcessit morbus membri inferioris.

Verum cum hic quæratur in reuulsione magis velocitas, quam securitas propter imminens periculum confirmatæ inflãmationis, semper à cephalica affecta incipiendum est, vel saltem cum Aët. à vena communi lateris affecti, in casibus tamen dictis conueniet secunda missio à partibus infernis, siue extrahatur per phlebotomiam, siue per cucurbitas, siue per hyrũdines, vt primò subueniatur per cephalicam vrgentiori affectui. Post vertatur curatio ad causam affectus, & hæc exequenda sunt fere intra triduum, quo transacto ait Aetius, si facies rubet, & tumet, sufficienter per cucurbitas dorsi sanguis extrahatur, aut etiam ex vena frontis, quæ particulares vacuationes breuiùs repetantur, propter causam traditam 4. de sanit. vlt. Monendum est vt foramen sit angustum, & ligatura valida propter periculum sequentis hæmorragiæ.

Nec

Nec obstat contra phlebotomiam præceptum, quod 13. ther. vlt. concedit phlebotomiam in phrenitide, & letargo præsente copia crudi ſucci, & tamen 4. 1. cap. 20. tantundem impedit timor ebullitionis bilis, ſicut incrudationis pituitæ, tamen in intemperato continente negat phlebotomiam. Dic ad primum: crudi ſucci magis debilitant, quam bilis, explicatum 2. de diarijs feb. quare magis prohibent phlebotomiam. Verum non incommode additur ab Auicena, etiam timor ebullitionis bilis ad excuſandam phlebotomiam, quare cum bilis eſſet mera, præſtarent cucurbitæ in quibus non eſt timor feruoris.

Ad ſecundum, ex intemperamento continentis, quandoque prohibet à phlebotomia celebranda, quia tamen raro intemperies continentis ſufficit ad illud, ſed ad moderandum tantum qualitatem, dixit lib. de phlebotomia, 9. in fin. variari ſolam quantitatem mittendi ſanguinis temperatura continentis, non ſimpliciter reindicare aut contraindicare phlebotomiam. Quare 4. acut. 19. non numeratur inter indicationes momentaneas phlebotomiæ.

Aduerte tertiò: de purgatione. Conuenit vt gratiâ bilis permixtæ non tardet euacuatio, & refrigeratio ejus leni purgatorio cephalalgiæ bilioſæ citra mirabolanos, & niſi copioſa dejectio ſuccedat, in die lenitionis etiam phlebotomari poteſt. Syrupi autem cephalalgiæ bilioſæ, ſed commode additur aliquid papauerici gratiâ vigiliarum, apparente autem coctione, repetatur lenitio prior addito Rhabarbaro, electuario de ſucco roſarum aña ℥. j. ſcilicet cum non timetur maior ebullitio ex pharmaco, quã vtilitas ex vacuatione, in principio aut rariſſimè conuenit purgatio electiua, ſcilicet vbi concurrunt illa tria recitata 1. aph. 23. illis enim cõcurrentibus in principio morborum acutorum, & internarum inflãmationum purgat Galenus electiue, antequam firmentur humores in aliquam partem 4. acut. 36. & 2. acut. 11. Camperius autem in vniuerſum prohibet ægris ſcamoniata, & omnia participantia vi deletheria.

Tornamira autem licet in alijs concedat, in febre continua detestatur.

Dic: in febre continua non valida sæpe conueniunt,& cito sanant electiue purgantia, in valida autem febre non nisi rarissime ; apud doctissimos tantum concurrentibus illis tribus citatis, tam apud Galenum hoc loco citat. quam apud Tralianum cap. de febre continua. Ad Campegium ergo, dic plurima deletheriorum vtilissima sunt lib. de theriaca ad Pis.cap.12. & exitiosissima aqua, & ignis,moderato vsu salubria redduntur 3. de temp. 7. Nec est omittenda salus multorum ob noxam vnius, alioqui tota ars esset omittenda. Nam omne conjecturale quandoque errat. Non tamen vtitur vir probus periculosis in morbo leui.

Aduerte quartò: de reuulsione. Præceptum primum,frequentes clisteres potenter reuellunt supra de cephalalgia, quare apud Auicenam frequenter sumantur. Numerat Gẽtilis tres vsus illorum. Primus est vacuatio fæcum, retinentur enim ob calorem febrilem assantem, & ob delationem bilis ad superiora,& ob obliuionem ex delirio procedentem. Secundus,retractus foliginum mordacium à capite. Tertius,infrigidatio membrorum naturalium infrigidatorum.

Quare opportet, vt sint refrigerantes, & leues. Succus betæ,cassiæque commode trahunt à capite. In adusta autem phrenitide adde violas, pruna enucleata, semina frigida, sal autem præstat omitti, nam obuiat intentioni infrigidandi,& humectandi; & Galenus clisteri febrientium sal non addit 11.therap.9. Sed quia ob deffectum bilis in intestinis phrenetici sæpe difficulter dejiciunt,additur sæpe salis ʒ. j. aut altera, vbi autem scopus est multa infrigidatio Auic. addit in clistere aquæ endiuiæ ℥. iiij.

Sed objicitur primò: durum videtur concedi scamoniam potandam, & tamen prohibere clisterem acrem. Dic : vtilitas clisteriorum lenium magna est, & intentio eos exhibendi nõ est ad euacuandum, quia humor est in loco longinquo,sed ad reuel-

reuellendum, & infrigidandum, ad quæ clister acer noceret, quia inflammat, & vapores eleuat. Purgatio etiam conceditur gratiâ vacuationis, & tunc solum quando cōmoditas purgationis præponderat noxam caloris pharmaci.

Objicitur secundò: ex 13. therap. 16. concedente in phlegmone hepatis clisteres acres purgantes. Dic: ibi conceduntur inflammatione declinante ad vacuationem, quia humor est proximus intestinis, & calor blandus.

Secundum: reliqua diuersio fit per frictiones, ligaturas, cucurbitulas, quæ omnia post phlebotomiam adhibenda sunt, & declinante accessione, apud Tralianum, & Auicenam; nam quia materia plurimum agitatur ad locum affectum sua sponte, timetur ex diuertentibus major agitatio, quia potentior est impetus humoris, quam remedij reuellentis, quare apud Celsum lib. 2. cap. 10. mittere sanguinem in vigore febris, aut doloris jugulare est, ideo post casum spectamus ad phlebotomiam quietem humoris. Potissimum autem non cōueniunt frictiones, cum æger incipit conuelli, quæ tamen reuulsiones omnes, sicut & clisteres oportet esse frequentes, sed leuissimas, ne spiritus reddatur acrior.

Lotio autem extremorum varie traditur ab Autoribus, alijs per solam aquam calentem, alijs admixtis frigorificis; apud alios adduntur etiam narcotica, quia primi intendunt solam retractionem à capite; secundi remissionem etiam flammei caloris; tertij prouocationem somni.

Aduerte 5. de localibus: præcepta varianda sunt juxta morbi tempora, ita vt initio sola imponantur repellentia; in augmento permisceatur resolutiuum subdominans. In statu paria sint; in declinatione excedat resoluens.

Nec obstat quod 13. meth. 20. commendat in statu perfusiones papaueris; quia intensio ad symptomata, & vigilia quandoque tanta est, vt auertat à regulari curatione morbi. Nā solutio Nicoli, quòd Galenus ibi intellexit augmentū morbi, non quadrat, cū explicet Galenus in summo incrementi id

eſt in vigore ſymptomatum, in quo gratiâ morbi conueniunt mixta reſoluentia, non narcotica.

Nec obſtat ſecundò, quod ſcribit 2.local. 1. ſect. 6. In vigore phrenitidis ſolum roſaceum conuenit, explicandum eſt enim, ideſt ſine aceto, non quod per ſe ſufficiat; nam ex Galeno ibi medicamentum ſtatus debet habere pares vires reprimendi, & reſoluendi, roſaceum autem habet majorem vim reprimendi. Vel dic: ad vtrumque objectum, quod hoc præceptum habet latitudinem; vel quod ibi per vigorem intelligit ſummum ſymptomatũ, quod poteſt coincidere cum quouis morbi tempore.

Secundum: non placet Aëtio, vt imponantur actu frigida, ſicut in calida cephalalgia. Nam cum conſtet in phrenetico de plenitudine capitis, talia denſando prohibent reſolutionem; ſed in æſtate præcipit apponi tepida etiam repellentia, in hyeme modice calida. Auicena ergo præcipiens infrigidare in niue, intelligatur de primo principio, vel cum non ſubeſt in capite plenitudo.

Tertium: non oportet, vt perpetuo inhæreant capiti olea, nam ob prohibitam reſolutionem parant lethargo, cum decocto ergo modice calido olei, & camomillæ, & roſarum paretur exitus vapori.

Quartum: ob eandem cauſam quandiu adeſt copia reſoluenda, non ſunt tuta obſtruentia, vt lac, & emborcæ ex decocto capitum, caudarum, & inteſtinorum, quæ ad vigilias mitigandas conferunt, & cum qualitas eſt emendanda, & non copia reſoluenda.

Quintum: ideo ex Paulo cum affectus fuerit longior omittenda ſunt ſomnifera, & ſubſtituenda reſoluentia. Cur ergo vtimur oleo lento maxime, cum natura ſua vapores ad caput ferantur. Dic: propter ſedationem doloris partis inflãmatæ. Nam 2. local. 1. ſicut in phlegmone externa ſalo roſaceo vtimur, ita in interna permixto aceto. Præterea ob cerebri dignitatem, & frigiditatem timemus frigida citra oleum.

Sextum: si inflãmatio cõmunicatur pericraneo, vel cuti extremæ imponenda sunt emollientia, ne reflectatur humor ad cerebrum, vel decoctum maluæ camomilæ, & vnctio camomelini cum axungia, quod si cessat extremus dolor, tunc intentio vertitur ad internam inflammationem.

Septimum: ex 2. local. cap. de dolore, & inflamatione in affectibus dolorificis qualis est phrenitis, statim post pura repellentia, admiscendum est ante resolutorium aliquod mitigatorium, vel coctorium quale est rosaceum.

Octauum: ex Aureliano. Cauendum est in perfusione, ne vnquam caput refrigeretur, nam densata materia duplat malum. Quare ita perfundendum est caput, vt prius redimatur vitta, & multæ manus circunstantes simul ex pelui perfundant, & linteo molliter attrectentur, & cum suauitate siccetur.

Nonum Auicenæ: si pituita misceatur, quod cognoscitur quia quies est major motu, vel quia soporatur omnino, interdicantur frigida. Nicolus præcipit, vt pro varietate humoris imponantur repellentia, in sanguinea quidem sicca frigida, in biliosa humida frigida, sed præstat valde adstringentia vitari. Nam 2. local. citat. hoc nomine prohibet succum solani, & Auicena commendat emborcationes infrigidantes, sine adstrictione.

Decimum: in declinatione si creditur delirium manens habere ortum ex immodico calore capitis, & spiritus, crebra emulsio lactis succurrit. In vi quidem valde defectu muliebris ob familiaritatem, in reliquis caprini. Verum oportet, vt abstergatur quaque hora spongia ex decocto camomilæ, ob facilem corruptionem lactis, & lentorem ejusdem. Si autem causa delirij manentis creditur retentio foliginum, solæ emborcæ, ex hordeo, camomila, & majorana sanant.

Aduerte sextò: de symptomatis, inter quæ maxime momentaneum est vigilia, cui subueniendum est per soporifera cum considerationibus. Prima Aetij dentur in declinatione febris, nam in augmento lædunt propter fluxum humorum ad

ad viſcera 2. aphor. 1. In ſtatu autem turbant ægrum cum febrem excitet, illa autem ſtupefaciant. Secunda, in valde debili caueantur intra, & extra. Tertia, non frequententur ob timorem permutationis in lethargum. Quarta, oportunior eſt hora ſomni, vigilia autem ideo peſſima eſt in phrenitide, quia deſiccat, & dementat, & impedit coctionem, & reſoluit vires, quare non ſolum ratione ſigni, ſed ratione cauſæ peſſima eſt.

Nõ obſtat dictis, quod ſcribitur lib. de theriaca ad Piſonem 13. phreneticorum vires ex peruigilio reſolutas, ſæpe opium ſanauit, quare videtur vtile, & in vi valde debili, quia proſtratis viribus remedia debilitantia nunquã afferenda ſunt, vt phlebotomia reuellens in hæmorragia 8. therap. 3. Si verò imbecillitas eſt infra proſtrationem, exhibenda ſunt, quare conjecturæ medici relinquitur, ſicut & alia præſtantiſſima remedia.

Remedia Phrenetici.

PRimum, clyſter cephalalgiæ bilioſæ. Aliud validius refrigerans ℞. maluarum, violarum, lactucæ añã p. j. in decocti ℔. j. adde aquæ endiuiæ ℥. iij. violacei., & validius nenupherini ℥. iij. ſachari rubri ℥. j. Validior redditur addita pulpa caſſ. vel diaprunis ſimp. ℥. ß. & ſalis ʒ. ij. & remitente morbo electuari de ſucco roſarum ℥. ß.

Secundum: ℞. ſyrupi roſacei, violacei, papauerini añã ℥. ß. aquæ emulſionis ſeminum, vel endiuiæ ℥. iij.

Tertium: lenitio fiat, vt initio cephalalgiæ bilioſæ, quod ſi calor validior eſt per tres dies continuos, potetur mane quolibet tamarindorum ℥. j. in aquæ endiuiæ ℥. vj. ſemel bulliat, potetur decoctum cum ſachari ℥. j. Vel ſumat mirabolanorum citrinorum ℥. ß. parum bulliant in decocto, adde mannæ ℥. j. ß. ſyrupi roſati alexandrini ℥. ij. ſedata autem agitatione adde rhabarb. ʒ. ij.

Quartum: ſoporifera ſunt capita papaueris albi ſub ceruicali apud Aetium, aut coriandrum ante nares tritum. Validius eſt

est lenimentum imponendum fronti, nari, carpis, volis, lac lactantis puellam, ouorum lutea, farinæ papaueris, vel populei ℥. ß. croci opij aña gr. iij.

Ad idem: crebra perfusio capitis, faciei, brachiorum, tibiarum. ♃. violarum, lactucarum, hordei depillis aña p. ij. capita papaueris sex, in aqua decupla parum bulliant.

Ad idem: dormiturus potet papauerini ℥. ij. vel drag. j. seminis papaueris albi in panata. Vel paretur conditum conseruæ violarum, borrag. rosarum aña ℥. j. bracteus auri quinque, seminis papaueris albi ʒ. j. pulueris margaritionis ℈. j. misc.

Quintum: localia in initio sunt oxyrrhodinum, vel rosaceũ cum succo lactucæ aut coriandri. In augmento pulmo agninus calidus, non tamen ante 4. nec post 14. ait Nicolus, quia ante concitat fluxum, post verò non dissipat infixũ, post horam autem vnam lotus in calida, & expressus repetatur. Validius: in instantibus vigilijs pullus calidus per dorsum scissus, aspergatur ʒ. ij. seminis hyosciami, & imponatur. Validius: columbi multi quaque hora permutati calidi, aut galli, aut catuli; nota quod viua debent esse illa animalia. Ad idem: perfusio camomilæ rosarum, majoranæ aña in aqua.

Sextum: si sitis, & linguæ nigredo vrgeat in phrenitide, subuenitur siccitati linguæ frequenti humectatione saculorum ex semine citoneorum in ore contentorum; item rosaceæ ℥. iiij. seminis psilij ligati in linteo ʒ. ij. lauetur sæpe lingua, & os, sequatur abstersio lentoris, partim frequenti gargarisatione poschæ; partim virgula ex rusco, lingua manu compræhendatur, & radatur, vel cum spongia paruissima imbuta rosacea, & sale.

Ad ardorem autem, & excoriationem faucium, ♃. aquæ rosatæ, & pedum ejus, plantaginis & endiuiæ aña ℥. iij. amidi, fabarum aña ʒ. j. sachari albissimi ℥. ß. colletur.

Ad nigredinem autem linguæ, & sitim, ita inungatur collum, & claues. Mucilago papaueris, & tragacanthæ in rosa-

cea addito semine papaueris, rosacei gutta aceti, & cera paucissima.

Ad fissuras autem illiniatur ex amylo cum rosacea, item aqua concedenda est opportune, vt sitim ingentem leniant, lintea imbuta rosaceo valde agitato cum frigida ventriculo imposita, eo magis si recipiant parum ceræ albæ.

Septimum: præcordijs si dolor totum corpus valde inflãmet imponendæ sunt tenues pultes, ex farina hordei succo refrigerante cum pauco rosaceo, permutandæque; & linteus imbutus poscha rosacea testibus marium, & vberibus fæminarum, inuoluatur cum multa cõmoditate, si verò extra non ardet, sufficit imponere præcordijs semen lini tusum coctum in hydreleo rosaceo. Si verò etiam friget extra, vndique fricandus est, & repente oleo vngendus.

Octauum: retentæ vrinæ subuenitur oblatione matulæ, erectione ægri, frequenti præssione pectinis, & titillatione interfæminei, pecten foueatur cum oleo calido decoctorum rutæ, anethi, seminis apij, lana scilicet imbuta imposita, & herbæ ipsæ calidæ applicentur, item mittatur in sedem butyrum, oleum, cremoresænæ, græci aña ℥. ij. in mulieribus autem mittatur in vterum.

CAPVT VII.

De Lethargo.

CVm non scripserit Rasis seorsim de lethargo, sed simul cum caro propterea hic seorsim tradetur.

Aduerte primò: præcepta de curatione lethargi. Primum phlebotomia minus aliquanto conuenit, & parcior quàm in phrenitide, tum quia pituita magis, quàm bilis prohibet phlebotomiam; tum quia phlebotomia infrigidat, lethargus autem affectus est frigidus.

Secundum: purgatio cum debeat esse phlegmagoga calida,

da, cum æger patiatur febrem continuam, frequentari nequit, maxime ob multam obliuionem ægri, non tolerantis remedia, & quia apud Mes. Dias aloes soporiferum est, suspectum redditur, quare exhiberi potest solutorium Traliani vulgare. Castorij ℈. ij. scamoniæ coctæ gr. viij. in mulsa cum syrupo de stæchade. Verum purgatoria statim non adhibentur, tum quia initio materia cruda est, tum quia ante aliquot clisteres reuellentes, & minuentes timetur agitatio pharmaci.

Tertium: vomitus prouocatio confert statim post primũ clisterem, & posterius, propterea, quod ventriculus minera est pituitæ; ex penna anseris intincta in oximelitis ℥. iij. seminis sinapis triti drag. j.

Quartum: in localibus Auicena dicit admiscenda esse medicamenta calida ex oxyrrhodino per duos dies: Galen. 13. therap. 21. & Tralianus in initio localium non agnoscunt discrimen inter lethargum, & phrenetidem. Quare juxta Auicenam videtur obseruandum, licet Metheus opinetur ab initio addendum esse aliquid castorij. Num autem imponenda sint occipiti. Dic: ex ratione Galeni 13. therap. citat. magis commendatur in toto sincipite, vsque ad summum verticem, ita vt omnes suturæ occupentur. In occipite autem, vltraquàm quod minus prosint, licet affectus occupet sinciput, periculose etiam imponuntur refrigerantia, licet calida tuto applicari possint.

Quintum: duo clisteres quotidie continuandi sunt, ita vt incipiatur à leuioribus, ne contra 1. aphor. 22. in principio euacuemus cruda; & si non retinentur, auferatur sal, & mel potissimum, vbi ingrediuntur valida soluentia.

Sextum: particulares euacuationes non fiant nisi præcedentibus vniuersalibus sufficienter, maxime sternutatoria exigunt paucam materiam in capite, ne forte sequatur apoplexia agitatâ materiâ, & vniuersim replente. Procedente autẽ morbo, si appareat facies ardens, & rubens, frontis vena commodissime secatur; si morbus diu perseuerat, multo cum igne cu-

curbita occipiti affigatur, & rosum caput sinapismis, & vesicatorijs vexetur, petitis ex cephalalgia pituitosa. Si sudor aliquis successerit, prouocetur, seu bene soluat.

Aduerte secundò: de victu lethargici, conuenit tenuissimus vsquequo inclinet morbus, jus cicerum, & mulsa addito aliquanto pipere, abstineant à frigida, adhibeantur exsiccantia omnia, strepitus, clamores, ita vt post cibum cogatur vigilare per horam, reliquo tempore excitetur media quaque hora; & prouocentur omni ingenio vacuationes omnes; perpetuo oderet acetum acerrimum. Aer contra quàm in phrenitide paretur, plurimi astent garruli; lucidus sit multis picturis, aulæ parietes obtendantur: a cibo digiti manuũ, & pedum ligentur. Demum perpetuo crudeliter excitandus est, illinendo faciem melle, quod turmatim aduolantes excitent muscæ, pillos vndique auellendo, corpus continuo fricando, aut asperis linteis, aut manibus aceto, & sale illitis, percutiendo faciem, & corpus vrtica, vsque ad papullarum eruptionem, adhibendo animalia grunientia, æra sonantia, peculiariter frictio crurum cum oleo de castoreo; vel schyla ex aceto trita altum veternum excitat. Aperiendum est os cum ligno; & infundendus liquor paucus, & tenuior, quàm in phrenitide, tum quia affectus deterior est phrenitide; tum quia imminet periculum suffocationis, illic autem resolutionis, & in debilitate per suffocationem cibus auferendus est 2. acut. 49. acria olera noxia sunt, quia euaporant; licet Mesues ptysanam cum barbis porrorum concesserit & oleũ, securiora sunt in declinatione sicut & vinũ.

Remedia Lethargi.

PRimum: locale in initio. Rosacei ℥. iij. aceti ℥. ij. agitata sæpe innouentur; in secunda die adde castorei olei ℥. j. In statu sint paria olea, & acetum sit schylinum. Frons pilis humanis vstis aceto leuigatis vngendus est, ex Traliano, & Auicena in diuturno. Castorij grana iij. oxymelitis ℥. ß. sumantur

mantur quotidie. Ante capitis inunctionem, caput, & nares sæpe foueantur sacculo ex saluia, & stæchade, decocto stæchadis, majoranæ, & scillæ.

Non post multos dies ab initio ob morbi periculum sumantur agarici ʒ. ij. mellis rosati collati, aquæ betonicæ, vel fæniculi aña ℥. ij. potetur. Vel cochiarum ℈. iiij. in mulsa.

Continuo admoueatur naribus in spongia acetum feruens, decocti, thymi, pulegei, origani, rutæ, & herbarum peucedani odorandum est; & palatum inungendum est linteo, aut spongia affixa palo, quæ imbuta sit synapi soluta in succo betæ, vel semine nasturtij in aceto schylino.

Septimum: decoctum paretur pro clisteribus duobus, & infundantur duobus diebus continuis, præcedente prius communi. ℞. centauria, seminis carthami contusi, polipodij, aña m. j. colochintidis (quæ est cucurbita deserti) ellebori albi aña ʒ. j. in ℔. iij. aquæ ad tertias.

Octauum: suppositoria duo ita formentur. ℞. hyeræ ʒ. ß. colochyntidis, salis gemmæ aña ℈. j. Nonum: vnctio totius ex camomelino tepida crebro benefacit. Finis.

CAPVT VIII.

De Cathoco.

ADuerte: de curatione præcepta. Primum, cum constet hic morbus ex phrenitide simul, & lethargo juxta variam proportionem componentium, requirit remediorum varietatem.

Secundum: purgatio post coctionem si oportuerit iteranda. v.g. ℞. agarici præparati, electuarij de succo rosarum aña ʒ. j. ß. & fiat bolus. Vel decocti communis ℥. v. in quibus infundatur Rhabarbari ʒ. j. spicæ grana v. agarici drag. j. & ß. zinziberis gran. vj. salis gemmæ gran. ij. collaturæ adde oxymellitis ℥. j.

Tertium: phlebotomia ſicut in omni peſte, quando commodat, quandoque omnibus noxia eſt. Cauſa videtur quod ſanguis infectus praua qualitate, magis quam quantitate, intro fluit, & cognoſcitur ex lingua nigra, ſiti valida, æſtu viſcerum, cum tepore brachiorum & crurum, & quia vrina, & pulſus non ſunt ſanguinea, & quia ſentitur magna debilitas ab ægro, & fere quando eſt morbus epidemicus, eſt talis diſpoſitio ſanguinis, vbi non conuenit, & cucurbitæ dorſo impoſitæ, & phlebotomia frontis. Vbi autem ſigna dicta non adſunt conuenit phlebotomia, eo magis quo ex compoſitione humorum arguitur plenitudo, ſicut in tertiana exquiſita non phlebotomat Galenus lib. ad Glauç. ſed in notha. Finis.

CAPVT IX.

De Caro. Incipit, Cum aliquis, &c.

DE caro: nos (veternum) dicimus: Arabes ſubeth. 1. cognoſcit, 2. curat. ℞. Qui cum.

Aduerte primo: de explicatione affectus, Raſ. hic vno nomine cari junctim complectitur (quod & Paulus fecit lib. 1. cap. 9.) lethargum & carum, quibus etiam addit Aët. capita ſeparata de cathoco, & de comate, quarum diſtinctio 4. de locis 2. fere hæc eſt.

Conueniunt in humore epilepſia, apoplexia, carus, catalepſis. Diſtant quod apoplexia, ventres, & cerebri ſubſtantiam replet frigido, & craſſo humore; epilepſia ventres tantum ſed omnes; carus ſolos priores, catalepſis ſolum poſterioré. Quoad ſymptomata autem ita in apoplexia reſpiratio maxime læditur, in epilepſia motus adſunt conuulſiui. In caro & catalepſi neutrum, ſed in caro oculi clauſi, in catalepſi fere aperti. Quoad ſucceſſum autem morbi ita diſtinguatur apopeletici fere pereunt; carotici ſanantur; epileptici & cataleptici ambigunt.

Reliqua duo, çoma, & çatochus, diſtant à quatuor affecti-bus

bus dictis, etiam in materia, nam coma ob vaporum copiam calidorum inuadit, & humidorum cerebrum grauantium, & dicitur etiam catalosum, vel delatio; est quia duplex, alterum coma somniculosum, alterum vigil, in quo videntur quidem dormire, sed non dormiunt.

Apud alios item coma numeratur inter cari species. Cathocus autem, vel morbus ouilis (madorra) ob copiam bilis cum pituita affectio est composita ex phrænitide, & lethargo 4. de causis pulſ.15. Verum carus reliquis similis est, apoplexia minor tamen morbus, cum non ex toto delatio sit facultatis animalis, quare superest sensus aliquis, licet nec moueatur, nec loquatur. Cum autem magis adsit obtusio, quàm malitia humoris, non sequuntur conuulsiones, vt in epilepticis. Fere autem fit carus per consensum, scilicet compræhenso aliquo ventriculo cerebri, vel compræhensis carotidibus, quæ inde nomen habent, vel à vermibus, vel à ventriculo, vel à toto, vel à prauarum accessionum inuasione. Raro est affectus cerebri per proprietatem.

Aduerte secundò: de curatione, similis est curæ apoplexiæ, sed tardior, & mitior, similiter & victus paulo liberalior. Merito autem commendantur nonnuli, vt in caro, & in quauis cataphora, suspecta actu habeantur localia humectantia, & maximè obstruentia, vt olea; nam & si potentia siccent, solum actualis humiditas talium auget somnolentiam. Quare procedatur cum fomentis lethargicorum, vel sacculis siccantibus, ex furfure, millio, camomilla, additis cum oportet sale vsto, mace, gariophilis. Item cerotum modice siccans, ceræ laudani aña ℥.j. cum nardino, vel cum oleo lauandulæ (alfazema) imponatur capiti. Validiora.

Emplastra cephalalgiæ pituitosæ, excitant item horrida, quod Auicena intelligit per tristitiam, quam commendat in subeth, nam tristitia de præteritis facit dormire. Vomitus item frequens lethargicorum commendatur.

Reme-

Remedia Carotici.

PRimum sturnatorium. ℞. ellebori albi, piperis castorij ana ℈. j. in linteo ligata sæpe naribus indantur, plantæ, & volæ aceto mixtæ, & cum sale fricentur.

Secundum: clisteres; validius: post communem. ℞. salviæ, majoranæ, ruthæ, assari, roris marini, hysopi stæchados ana m. j. Validior est, si addatur seminis carthami contusi ℥. j. centaureæ m. j. colochyntidis in panno ligatæ ℥. ij. coquantur in ℔. viij. ad dimidias, in decocti autem ℥. xv. olei anethini ℥. iij. mellis rosati ℥. ij. sine sale, vt moretur ad euacuandam pituitam. Validior euadit si recipiat electuarij ludi ℥. ß. Vel paretur clister ex ℥. j. benedictæ cum succo mercurialis.

Tertium, vomitorium. ℞. corticis elebori albi ʒ. j. infingatur raphano per diem, quibus ablatis fiat raphani decoctum ad ℥. iiij. adde oxymelitis scylini ℥. ij.

Quartum, in statu, vnctio capitis ex aqua vitæ, cum oleo de castorio; vel cephalalgiæ pituitosæ synapismus, odoret perpetuo peucedani radicem.

☞ Quintum, ad somnum immodicum etiam sine morbo affligentem excitetur. Laboret, non cænet, nec bibat frigidam, & quotidie mane sumat ʒ. iij. pulueris siccantis humiditatem stomachi, & capitis. Vel zinziberis tres partes, turbith. partem vnam sachari quatuor, & in æstate pro zinzibere substituatur coriandrum, & si forte temperatura calida est, sufficit zinziberis pars vna, illiniantur nares intra cum melanthio, ex aceto occipiti imponatur sinapismus post purgationem.



CAPVT

CAPVT X.

De Vigilia.

ADuerte: de curatione cum oriatur aliquando, ab intemperamento immateriali calido ſicco, aliquando à foliginibus acribus mordentibus cerebri membranas, quandoque à bile in cerebro abundante, aliquando à ſalſa pituita ibidem contenta.

Vnicuique cauſæ per contrarium obuiandum, ita vt in immateriali ſola alterantia applicentur, in foliginoſa diſſipantia flatus, in bilioſa colagogum, in ſalſa colagogum permixtum phlegmagogo. In narcoticis autẽ adhibendis memorandum ex 12. therap. vlt. abſtinẽdum eſſe, niſi periculum poſtratarum virium mortem minetur, ac tunc non quibuſuis vtendum eſſe, ſed expertis in ea doſi, quæ ſoporari efficiat ſine inſigni periculo.

Remedia Vigiliæ.

PRimum: cum cauſa eſt calidum intemperamentum, aëris & victus infrigidatio, vt in bilioſa cephalalgia, peculiariter benefacit vnctio capitis ex lacte, & ejuſdem per nares ſumptio. Item vnctio capitis ex oleo ranarum cum populeo. Laudatur eſus leporis doctoribus 2. aliment. cap. proprio. Dormiturus ſumat lac amigdalarum, cum ℨ. j. ſeminis papaueris, & ℥. j. ſeminum frigidorum cõmunium, & ſacharo. Vel in panata ℥. j. ſucci coriandri, reprimit enim acres foligines. Quod ſi non ſufficit, applicentur remedia inſaniæ bilioſæ, & narcotica.

Secundum: in vigilia ſalſa. Syrupum de endiuiæ, mellis roſati collati aña ℥. ß. Purgatio pillularum aurearum, & de fumaria aña ℨ. ß. formentur cum ſyrupo papaueris. Vel puluis ſumendus in jure. ♃. turbith. Rhab. aña ℈. ij. çinamomi, & zin-

ziberis aña gr. vj. sachari pondus omnium. Sugat naribus anethinum, & vngatur caput camomellino, butiro, assungia, concoqunt enim, leniunt, & humectando inducunt somnum.

Tertium: in vigilia biliosa post syrupos, & purgationem, & linimenta cephalalgiæ biliosæ, imponendum est lenimentum. ℞. puluis rosarum cum oleo violaceo, & ranînino, mucilagine psylij, & hordeacea farina. Quod si æstus non valde vrget, præstat misceri aliquid croci.

Quartum: narcotica in phrenitide præcesserunt. Vel dormiturus partes decocti seminum lactucæ ℥. iiij. syrupi papauerini ℥. j. phylonij romani ʒ. j. aquæ lactucarum ℥. iij. vini albi ℥. j. Vel distillentur opij ℥. j. capita alliorum duo, cujus liquoris stillati gutta j. vel ad summum ij. cum pauco vino potæ potentissimæ sunt. Vel deuoret pillulam j. de cynoglosa dormiturus. Finis hujus tractatus.

CAPVT XI.

De Apoplexia.

Constat ʒʒ. quatuor. In primo ponit signa, & præsagia. In ʒ. Cum ergo, &c. ponit curationem apoplexiæ sanguineæ. In 3. ʒ. Quod si, &c. curat pituitosam; incipit in 2. complet curam sanguineæ.

Aduerte primò: de victu. Aër in nulla specie apoplexiæ conuenit frigidus. Nam 4. acut. 44. & sequentibus sanguis vitalis concrescit, ob copiam enim, non bene euentatur, & concretus, non permittit transitum spirituum calefacientium. Quare magis refrigeratur. Sit ergo in sanguinea temperatus; in pituitosa magis calidus, canopæo, frictionibus, igne, fomentis. De somno autem non vacet periculo, quia cum somnus humectet cerebrum auget morbum. Quare quòd his consulit Matheus, non absistat medicus, vel socius ab ægro, quo tempore dormit, vt tangat perpetuo pulsum, & vbi viderit pulsum minui,

minui, & sterrorem excitet, quare parum dormiendum est, nō tamen in totum vigilandum; nam ex 2. diætarum Hippocratis, vigilia non permittit cibum liquari, vel coqui. Auicena dixit immodicam vigiliam causam esse, vt communicetur cerebro vapor crudus alimenti. Post cibum tamen vigiliam præcipit Auicena. Cibus sit in extremo tenuissimus, post cibum jus cicerum, & passerculorum, & columborum ablatis extremis, & mulsa; vinum enim nocentissimum est, cum caput repleat; potissimum prohibet Auicena nouum ob copiam excrementorum, & vetus ob tenuitatem penetrantem neruos. Quare mediæ ætatis vinum minus lædit. In sanguinea autem conuenit julepum rosatum, & serum. In omni autem specie lignum dentibus interponendum est, tum vt facilius respiret, & ne lingua, quod quandoque accidit, abscindatur.

Aduerte secundò: de curatione sanguineæ præcepta tria. Primum euacuatio sanguinis plurima ex soporarijs colli necessaria est ad manifestationem vasorum, & ad sistendum sanguinem paratum apoplexiæ, & quia deligatio magis angustat respirationem.

Verum in apoplexia sanguinea parotides sua sponte apparent tumentes, & ad sistendum sufficit costus in albumine oui compresso digito. Vulgarius est secare ambas cephalicas, & simul, ita enim major fit diuersio: extrahantur sanguinis ℔.ij.

Quod enim incipiendum sit à cephalalgicis, quæcunque causa produxerit apoplexiam, monstrat series Rasis, & ratio supra cap. de phrenitide; post quarum sectionem, si occasio apoplexiæ fuerit retentio fluxus inferni assueti, sequetur sectio saphenarum, & tandem partium capitis, frontis, & linguæ, nariumque.

Verum memorandum ex præcepto 4. acut. 48. quod ante phlebotomiam præcedant fomenta totius à multis simul habitibus. Cum camomellino, & anethino calidis, & cū fricationibus multis, vsque quo sanguis reddatur fluxilis, qui fere in talibus concreuit, fitque foramen latum pro sanguinis crassitie,

clister verò præcedere poteſt, ſed ob vrgentiſſimam neceſſitatem præſtat cum Auicena ſtatim phlebotomare, & ſequi cliſteres.

Secundum: diuerſiones multo magis commendantur in hac ſpecie, eo quod fluxibilitas ad cerebrum ineſt ſanguini ex calore ſuo, & ex ſubſtantia non valde craſſa. Valide reuellunt ligaturæ in capitibus muſculorum, juxta humeros, & coxendices, nam in capitibus muſculorum ligaturæ ſicut, & vulnera magis dolorifica ſunt quam in ventre. Potentius autem trahũt ligati muſculi proximi trunci, quia viciniora potentius reuellunt quam diſtantia, eſtque potentior ligatio, quæ ſtrictior eſt, ſed oportet, vt ſæpe ſoluatur, tum quia conſuetudine illa ligandi, & ſoluendi magis excitatur æger; tum quia niſi ita fiat prohibetur ſpiritus cum ſanguine deſcendere, quare ingens fatigatio ſequitur; benefaciunt frictiones cum oxymellite ſchylino, & ſale.

Præterea cucurbitæ in fœmoribus ſcarificatæ, & in naribus item ſternutatoria caroticorum, extenſio digitorum, & contorſio eorum, pilorum euulſio, excitant enim, & ob dolorem, & ob iram, quam mouent ægro.

Tertium: oxyrrhodi perfuſio, in quo non additur, ſicut in ſuperioribus morbis roſaceum, propter ſummam capitis plenitudinem: ideo etiam, nec refrigerata refrigeranda ſunt, ſicut in ſuperioribus, cliſteres potentes euacuantes, non valde calidi. Qui autem ſemel incidunt in apoplexiam, nunquam ex toto reſtituuntur propter magnam frigiditatem contractam cerebro, & cordi.

Aduerte tertiò: pituitoſæ curatio conſtat ſequentibus. Primum, validi cliſteres potenter vacuantes, & calefacientes, ter in die infundendi, interpoſitis etiam ſuppoſitorijs. Secundum ſternutatorium. Tertium inductio febris anacardinæ potu ʒ.ß. cum mulſa.

Nec obſtat huic curationi, quod febris in apoplexia judicatur lethalis Auicenæ, quia intelligit de febre ſponte ſuccedente,

dente, quæ ſignificat materiam inflammantem cerebrum, quare impoſſibile eſt extrahi antequam perimat per prohibitam reſpirationem; prouocata autem febris ſanat, juxta 2. aph 26. Quod ſi eodem 2. aphor. 19. apoplexia ſcribitur morbus, ſine febre acutus, agit de frequenti apoplexia, non de inflammante quæ rara eſt.

Quartum: ad liquandam pituitam applicat ſartaginem ignitam, interpretes commendant, vt ſit figuræ capitis (caſoula) ſed eſt periculum, ne vrantur membranæ capitis, quare ſufficit ſartago, quare magis occipiti applicetur, ſed per caput totum mutetur. Præcipiunt item abradi pilos prius, ſed eſt periculum, ne cerebri ſubſtantia liquetur, quare ſufficit abciſſio forcipum, maxime cum Raſis ſupponat pilos adeſſe.

Quintum: validiſſimo ſynapiſmo vtendum eſt ad liquationem, & reſolutionem. Sextum, ſi apoplexia pituitoſa junctum habet ſanguinem, ex Auicena præcedat phlebotomia. Septimum, vbi primum deglutire poteſt, ſolutio procuranda eſt pillulis validiſſimis in mulſa ſolutis. Octauum, vomitus in plenitudine ventriculi, vel cibali, vel humorali, conuenientiſſimus eſt etiam repetitus, vt in lethargo, extra quos caſus quandoque noxius eſt.

In vtraque autem ſpecie illa memoranda ſunt, niſi intra horas 12. ſubueniatur, fere fruſtra tentabitur curatio. In fortiſſima autem cum non ſentitur reſpiratio, non tententur remedia, niſi forte conſolandi gratiâ; præterea procuranda paraleſis validis frictionibus, adhibitis partibus in quibus materia ſentitur decũbere, in balneo proxime deſcribendo ter in die mittatur, ſuperaſperſo capite etiam in fine balnei.

Remedia Apoplectici.

CLiſter in ſanguinea. ℞. betæ, violæ, colochyntidis, centareæ minoris ãña m. j. in iij. ℔. ad dimidias parentur cliſteres duo, quod ſi non retinentur, cum linteo comprimatur, & obturetur ſedes.

Secundum: clister in pituitosa conueniet, si vice betæ, & violæ, supponatur tantundem ellebori nigri, & saluiæ. Vel sic cętaureæ minoris (purgetur enim è longinquo, saluia, quæ nõ purgat, sed pituitam liquat, & siccat) ruthæ, calaminthæ, origani, stæchadis aña m. j. anisi, fæniculi, seseleos (he bestiaga) semen seseleos (he cominhos rusticos.) Aliud ellebori albi aña ℥. ß. in ℔. vj. ad dimidias, in cujus ℔. adde olei castorei ℥. j. hieræ ℥. j. salisgem ʒ. j,

Tertium: suppositoria. Hieræ picræ ℥. j. salisgemmæ, colochyntidis aña ʒ. j. formentur ij. cum folio in medio.

Quartum: sternutatorium, & errhinum in succo betæ, vel fortius anagalidis, euphorbij, ellebori albi, piperis aña gr. v. vel insufletur puluis. Aliud: vnguentum mitius, valde trahens. ℞. euphorbij piperis (aperiunt enim concoquũt, & attenuant) calami aromatici, castorij, terebentinæ, opopanicis, stiracis aña ʒ. ij. cum oleo de castoreo, & cera, fiat inunctio ad caput, & vniuersam spinam. Alia consimilis. ℞. olei ruthacei, terebentinæ aña ℥. j. & ß. euphorbij ʒ. j. castorij ℥. ß.

Sextum: valet frictio capitis valida, cum aceto valde calenti dissolutis synapis & salis. Item apud Auicenam, & Ras. totum corpus illiniatur, & maximè dorsum oleo calido sulphuri permixto.

Septimum: cum incipit deglutire, tertia quaque die exhibeatur pillularum de sarapino, vel fætidarum ℈. iiij. euphorbij ℈. j. in mulsa.

Octauum: ter in die mittatur in balneo, quod paretur ex vino, & aqua decoctorum foliorum lauri, origani, pulegij, lauandulæ superasperso postremo capite.

Nonum: ad loquelæ defectum manentem, os illiniatur anacardina, vel succo ruthæ, qui etiam naribus, & auribus indatur. Conuenit igitur in origine dorsalis applicatio cucurbitularum, & si opportet scarificatarum ex Rasio. Finis tractatus de apoplexia.

CAPVT

CAPVT XII.

De Catalepsi.

ADuerte: de curatione catalepseos, vel congelationis præcepta. Primum, cum quandoque causa ejus sit immaterialis, frigida, sicca, quandoque verò sit materialis intemperies, vel melancholia, aut vitria pituita. Primæ speciei solis alterantibus occurrendum. Posteriori etiam vacuantibus, & diuertentibus, quæ tamen aliquo modo humectent, & melancholiam respiciant, in quo distat à remedijs cari, & apoplexiæ, repellentia tamen ob crassitiem, & frigus humoris hic locum non habent.

Secundum præceptum. Aët. memorat lib. 3. cap. 4. vidisse adolescentem triduo rigentem, non claudentem palpebras, vel respondentem acclamantibus qui 4. die succedente larga hæmorragia per nares confestim sanatus est; vnde colligit, si apparet sanguis abundans, vel ex toto, vel ex parte, confestim mittatur sicut in apoplexia.

Tertium: ex Auicena 1. 3. doctrina 5. cap. 5. in congellatis sumēdum totũ corpus. Vel quod crebrius est, sumēda extrema: valde autem calida, non apponantur; sed tepida, vel subfrigida, imò profusio frigidæ semper sanat eas congellationes, argumento allato de pomis congellatorum, quæ in valido frigido instar lapidis durescunt; quod si mittantur in frigidam, poma quidem leniuntur, aqua autem circunstans gelatur. Cujus causa esse videtur, & traditur duplex à Rasio citato; vna, ex intensissimo frigore humiditas alens innatum calorem gelatur. Quare calidum innatum defectu alimenti minuitur, ita vt si approximentur igni, putrescant liquefactæ humiditates, non enim regulari possunt à minimo calore innato. Quod si pomum mergatur in frigidam, calor internus, ex humore externo trahit alimentum, ita vt recreatus pellat humidum congelatum,

gelatum, quod extrorsum glatiat aquam. Altera causa, quia innatus calor præ duritie humiditatis non potest euentari, minuitur, accedente autem liquore externo, mollescit humidum internum, ita vt facto transitu, respirante innato çalore vertatur fructus ad pristinum habitum.

Remedia Congelati.

PRimum: clister sæpe repetendus. ♃. polipodij epythimi aña ℥.j. stæchadis ʒ.ij. senæ, ellebori nigri aña ℥. ß. salis indi ℥. j. in ℔. iiij. ad dimidias pro duobus clisteribus. Validius autem euadet addita hyera, logodij ℥. ß.

Secundum: olei linini ℥. iiij. castorei euphorbei aña ʒ. j. profundantur, & liniatur caput, maximè occiput. Tertium: spongia intincta, & expressa in vino valde calido. Decocti stæchados, senæ, assari, borraginis, buglosæ, fumariæ, gesmini, vel perfundatur caput, vel lauetur ex eo, vino calido albo. Quartum: sternutatoria caratici, & apopletici. Finis tractatus hujus.

CAPVT XIII.

De Incubo.

Incipit, Cum aliquis, &c.

ADuerte: de curatione incubi, idest ephyaltes, præcepta. Primum, astet socius amicus, qui confestim eleuet lamẽtantem, frictione vini, vel aquæ naphæ.

Secundum: cum incubus nuntiet epilepsiam, si causa est valida, præstat incipere à vacuatione aliqua minorante, post quam sequantur concoquentia.

Tertium: concoquentia non sint aperientia, ob periculum eleuatorum vaporum, qualia sunt aquæ fœniculi, & calidum oxymel, aromaticentur autem cum puluere nucis mus-

catæ,

catæ, & granorum pæoniæ, vt in cephalalgia pituitosa.

Quartum: particulares euacuationes, & diuersiones, vt in epilepsia fiant. Particulatim autem insistendum est roborantibus caput, & si affectus est per consensum à ventriculo, prouidendum est ventriculo. Si verò ab extrinsico frigore per aromatica olea calida. Finis.

CAPVT XIV.

De Epilepsia.

PRimo: ponit signa morbi, tam in vniuersali, quam magnitudinis ejus. Secundo: curat epilepsiam per consensum, ab aliqua parte in ℥. Si autem æger. Tertiò: agit de epilepsia stomachali in ℥. Si æger verò. Quartò: de epilepsia per proprietatem in ℥. Quod si cum, &c.

Aduerte primò: de victu præcepta. Primum, exercitia licet caloris gratia, & maximê siccitatis conueniũt, ita vt in cõsilio pueri epileptici duo illa sufficienter perficiant curationem, exercitium moderatum, & medicamentum ex schylla. Valida tamen reproba sunt, ob agitationem capitis, ita vt etiã pillæ ludus propter capitis demissiones reprobetur. Supplent vicem exercitij frictiones longæ, rubefacientes totum corpus à multis simul peractis; ita enim cito rubet corpus, & nulla ex parte refrigeratur; manusque fricantium pressius deorsum, quã sursum ducantur; nec tamen collum aut caput fricentur, sed postremo leniter attractetur, præstatque si sequatur vnctio totius, vel cum oleo belsuino, vel gariophylato, post exercitia pecten frequenter retroducatur jejuno.

Secundum: cæna cum nostro æuo debeat esse parcior prandio; in morbis capitis, debet esse multo parcior. Quare ex Auicena duæ tertiæ cibi ipsius ad prandium sumantur, vna autem ad cænam.

Nec obstat, quod in consilio epileptici oppositum tradi-

tur. Cum enim tunc vniuersum alimentum, plurimi tantum ad cænam sumerent, id tollens Galenus, ne immodice recederet à consuetudine, præcipit quod vt cœna sit parcior, vna tertia totius alimenti sumatur ad prandium, reliquæ duæ in cæna.

De potu autem. Vinum cōstat nocentissimū esse, vbi enim ventriculus imbecillus est ita, vt cruditates ex vini penuria sequantur, quæ in hoc morbo nocentissimæ sunt, concedēdum est pauciferum. Vbi autem ventriculus non vrget, vtendum est aqua sacharata, vel mellita, vt in cephalalgia pituitosa. Melior autem potus est si in aqua coquatur saluia, rosmarinus, betonica, cum aqua autem dicta bulliat vinum potandum. Potissimum lædit varietas epularum, aut potus inter duas cibationes: maximè confert victus parcitas, ob periculum cruditatis: vbi tamen bilis ventriculi in causa est, similiter vacuandum est, ne famescat. A cibo autem prohibet Tralianus, ne sumatur aliquid dulce, bilescit enim. Idem valde reprobat apium vulgare, seu naturaliter infestum comitialibus, & syrupum myrteum, & dactilos, seu cephalalgicos crassum flatum capiti communicantes, & oliuas tamque praui succi capiti infestas.

De apio consentit Auicena, & Tacuinus: referens illud inter cephalalgica, & à proprietate reserans meatus ad cerebrum, quia præparat viam flatui prauo. Haly autem, Gaineros, & Sauanarola tradunt si fricentur manus, & nares epileptici curati cum apio siluestri, & non cadit perfecte, curatus est. Experimentum tamen quemque fallit, contra quos Galenus, in consilio pueri epileptici commendat, hæc omnia epilepticis parco vsu simul cum raphanis. Nec procedit excusatio Montani conf. 18. Quod Arabes intelligunt de apio agresti, Galenus verò de satiuo, pueris itaque incontinentibus præstare, vt palam concedatur aliquid noxij parum, quam vt clam immodice ingurgitent, vel vt satius videtur, nondum erat cognita Galeno ea apij proprietas. Capras memorat Auic. quasdam,

dam, ob ſiccitatem reſipiſſe. Matheus habet hædos, & perdices rejicit citato Galeno. Verum in conſilio citatus Galenus, concedit hædos, & nonnumquam lepores; reliqua pedeſtria negantur, ob craſſitiem, ſicut & aues paluſtres, & piſces craſſi, quales ſunt teſtacea, & cartilaginea. Aues verò montanæ, & reliqui piſces commendantur ob tenuitatem ſucci. In naturis verò, vel ventriculis humidis experimento damnantur piſces, olera verò, & legumina rariſſime admittantur.

Tertium: Aëris immoderantiæ potiſſimum cauendæ ſunt, ob affectus cerebri, cum ab vtriſque immodice lædatur. Quare oportet continere ſe domi, vbi aër, vel flatulentus eſt, vel pluuioſus, vel immodice frigidus. Odor verò multus etiã bonus ſuſpectus eſt, ob capitis plenitudinem, prauus enim etiam inducit acceſſionem, vt gagatis, aziche, ſicut ruthæ odor benefacit, commode ergo aër emendatur prius bonis odoribus antequam ingrediatur æger.

Aduerte ſecundò: de curatione epilepſiæ per conſenſum præcepta. Primum, imminente acceſſione, ligatura valida ſupra locum affectum cum aluta (couro de luua) vel corrigia ſimiliter, vt in morſibus venenatis. Quod ſi locus non poſſit recipere ligaturam ſurſum, vt quando epilepſia ſuccedit ad corruptum ſemen in vtero, procuretur exitus noxij per partem infernam, vel prohibeatur aſcenſus vaporum ligatura in partem primario affectam, ideſt in fœmoribus.

Secundum: valida vacuantia ſæpe repetita temporis interuallo, vel quia qualitas deletherea eſt, in quantitate paruiſſima inficit accedens alimentum, oportet purgationem reſpicere humorem peccantem, & membrum, mandans ſimul, & recipiens, quia cerebrum ex tranſacta acceſſione variò conſeruat fomitem humoris deletherei.

Tertium: veſicatoria, & cauteria, ſupra de cephalalgia varia; ſunt enim ſecuriſſima, & efficacia, quæ in brachijs adhibentur. Quartum: cucurbitæ ſçarificatæ debilitant partem cui imponuntur, 4. de ventoſis.

Aduerte tertiò: de curatione epilepsiæ stomachalis requirit hoc peculiare, quod major habenda est ratio probabilitatis alimenti, quod vomitoria crebra conueniant, quod ventriculus roborandus est ex appositis, & intro sumptis.

Aduerte quartò: de curatione epilepsiæ per proprietatem. Duas species memorat; vnam sangnineam raram; alteram frequentem frigidam. In frigida concoctio, vacuatio, diuersio, alteratio, roboratio fiant, vt in cephalalgia, tantum sit vehementior, quo morbus ipse vehementior est.

Postremo curationes potentissimæ sunt emplastrum extrahens, & acores inducens, & cauterium vsque ad caluariæ superficiem in coronali, per duos menses apertum. In sanguinea verò commodat abstinentia carnis, & vini, in capite oxyrrhodinum, & frequens phlebotomia, in qua licet Ras. præcipiat, vt præcedat sectio cruris. Verum obseruandæ sunt cautiones de loco euacuationis prædictæ 3. thegni. Vbi verò origo epilepsiæ est suppressio alicujus infernæ vacuationis, ordiendum est, à crure; ratio est, quia morbus præstat inducias.

Aduerte quintò: de tempore accessionis, propter breuitatem accessionis, & paucum periculum, non est vtendum vacuantibus durante accessione, nisi immodice frequentauerit, tunc enim commode infunditur clister lethargicorum, addita pauca pæonia, & aristolochia, perpetuo enim facies in accessione, ob turpitudinem motuum integenda est, & diuersionibus incitanda sunt; membraque conuulsa modice dirigantur, & vngantur liliaceo. Excitat autem, & confert vnctio carpi, volæ, & temporum cum succo ruthæ, cum castorio naribus immisso. Tralianus putat summum esse remedium, ita vt sæpe ex toto sanet, si nares opplentur rutha siluestri contusa, & comprimantur. Particulatim autem quædam epilepsiæ requirunt suas obseruantias, & primum epilepsiæ pueriles. De qua Iulius Polux testatur, eos qui nascuntur in conjunctione, vel oppositione lunæ potissimum incurrere hujusmodi morbum. Addit Rasis 1. cont. non oportere nos decipi, quasi semper

epilepsia puerorum sit pituitosa, nam quandoque in adultis, sæpius in pueris oritur à calore plurimo liquefaciente cerebri humiditates, quæ instar hæcticæ curanda est per balnea, & lactis potum, quam ibi vocat matrem puerorum. Præcauet autem ab ea, si exeunte ab vtero puero suspendatur smaragdus ad collum apud Azarabium, item si antequam lactet egrediunti infantulo, præbeatur amigdalinum cum sacharo, à quo dormiet, & expergefacto iterum, & tertiò citra lactationem tantundem præbeatur, inanit enim ventrem ab excrementis mensalibus, vnde imminet periculum. Si autem euenit ex suffitu carbonum, sanant clisteres reuulsiones, odor acris aceti, nihil exterius frigidum, sed leuis pectinatio capitis. Intus conserua rosarum cum aqua oxalidis. Si verò accidit ex semine retento quotidie conseruæ rosarum ʒ. j. seminis agni casti puluerati, vel aquæ mellisophyli (erua cidreira) vel mellis rosati ℥. ß. pulueris agni casti ʒ. j. misce.

Remedia Epileptici.

PRimum: ellectuarium quotidie sumendum in pueris quidem ʒ. j. ß. in adultis ʒ. iij. appellatur theriaca, smaragdorum gr. x. hyacintorum ℈. j. & ß. seminis pæoniæ, cinamoni radicis pæoniæ aña ℈. iiij. seminis citri mundi, dictami, vel yuæ ejus, pulegij aña ʒ. vj. coralli rubri, chermes, rasuræ eboris, gallangæ aña ℈. ij. syrupi de acido citri, cum melle confecti ℔. j. & ℥. iij. misc.

Secundum: quotidie ante prandium sumatur pillula j. ex aloe, brionia, agarico, semine ruthæ, & pæoniæ. Vel continuet xv. diebus potum hunc in aurora post purgationem oxymellitis schylini ℥. j. & ß. decocti hysopi ℥. iij. Vel quotidie sumat plyrisarcotici ʒ. ij. cum pauco oxymellite. Vel ʒ. j. ellectuarij Auicenæ sequentis: ♃. seseleos baccarum lauri aña ʒ. iij. aristolochiæ, seminis pæoniæ aña ʒ. ij. castorei thociscorum de schysa aña ʒ. j. cum melle. Vel sumat dormiturus, non su-

perpotans ellectuarium tale. ℞. seminis pæoniæ collectæ luna decrescente, caluariæ humanæ, non putridæ, çardamomi, pyretri aña cum sacharo. Vel puluis sumatur cum conserua rosarum ex melle.

Tertium: in epilepsia stomachali frequentandum est vomitorium raphani tusi ℥. j. assari ℥. ß. in aquæ ℥. viij. ad dimidias, adde oxymellitis ℥. ij. potetur tepidum horis duabus à prandio vario multo incidente. Post sufficientem autem vomitum integra non edatur die, sed os colluatur cum vino, & rosacea, paulo post sorbeantur ℥. ij. syrupi de pomis à quo dormiat. Validius vomitorium euadit, si recipit succi sambuci versus superiora Rasi ℥. j. Validius si addatur ellebori albi ℈. ß. vsque ad j.

Item fomentum frequentandum ventriculo. ℞. absinthei, spicæ, rosarum, masticis, thuris aña ℥. j. coquantur in vino ad dimidias, & filtrum calens in eo infusum, sæpe ventriculo imponatur. Item post purgationem potandum est jejuno diebus intercallaribus mastichis electæ ℥. ij. solutæ in aqua calenti.

Quartum: pomum semper gestandum collo appensum. ℞. seminis pæoniæ, castorei, pyretri aña ℥. ß. styracis liquidæ, quod sufficiat, induretur cum ℥. j. cedriæ, vel in defectu laudani in aqua naphæ.

Quintum: puluinar constituendum quadratū palmi vnius, & dimidij supponendum capiti præsertim tempore humido. ℞. hysopi, stæchadis, ruthæ, pæoniæ, polij, florum roris marini aña ℥. j. modice conquassata.

Sextum: errhinum post purgationem, vt in cæphalalgia pituitosa, magis proprium aliud ℞. puluis tenuissimus pæoniæ cum succo ruthæ. Validius: succi medij corticis sampsuci, succi sambuci, succi betæ facta residentia aña ℥. ß. ellebori albi, euphorbei, castorei, seminis pæoniæ pulueratorum, aña gr. vj. injiciantur naribus, auribus autem infundatur puluis nardi cum nardino.

Septimum: gargarisma, vt in çæphalalgia pituitosa. Validius

dius: radicis ireos, radicis pæoniæ,& schyllæ, aña ℥. j.ß. seminis pæoniæ zinziberis aña ℥. ß. passularum enucleatarum ℥. ij. aceti ℥. ß. mellis ℥.iij. in ℔. ij. aquæ ad dimidias.

Octauum: ellectuarium alterans, & confortans, fiat cum sacharo ex schyla contusa, & insoletur diebus quatuor, vel ad ignem addito semine pæoniæ. Item bis in mense methridati ʒ. j. Validius: ellectuarij Ras. pyretri, seseleos stæchadis aña ʒ. x. agarici ʒ. ß. cardamomi, assæ, aristolochiæ longæ, & rotundæ aña ʒ. j. & ß. fiat cum syrupo ex pari succo schyllæ, & melle.

Nonum: ablutio capitis ante cænam singulis hebdomadis ex lixiuio decocti assari, senæ, betonicæ.

Decimum: pillulæ singulis quindecim diebus sumendæ ad ʒ. j. ℞. aloes ʒ. iiij. agarici ʒ. iij. Rhab. ʒ. ij. seminis pæoniæ drag. j. & ß. gariophilorum, cinamomi aña ʒ. j. cum melle rosato.

Vndecimum: in initio accessionis reprimens imponendum est capiti, & locis vicinis, collo, fronti, spatulis, obseruando ab spina. ℞. thuris, mastichis, aña ʒ. j. hypocistidos, acaciæ aña ʒ. ij. albuminis iij. aceti ℥. iij. saliter ʒ. iij. quod aduerte misce.

Duodecimum: emplastrum inducens acores, & extreme sanans impositum toti syncipiti. ℞. armoniaci dissoluti in pinguedine anatis, vel melius milui ℥. ij. fermenti ℥. j. synapis tenuissime puluerisati ℥. ß. pæoniæ ʒ. ij. centauriæ ʒ. ß. seruentur in capite, vsque ad desiccationem, quo ablato vngatur cum pinguedine milui, & rursum reddatur ad emplastrum alternatim, don ecacores erumpant. Finis.



CAPVT.

CAPVT XV.

De Melancholia.

Incipit, Cum alicui, &c.

PRimò: notificat morbum per principium, & augmentum. Secundò: exequitur signa, & curam Hyppocondriaci. Tertiò: in ʒ. Si autem cum melancholia, curat maniam. Quarto: ʒ. Si autem cum melancholia nihil, curat melancholiam per proprietatem.

Aduerte primo: festinandum est in curatione hujus propter causas quinque. Prima, quia siccitas tardissime curatur, vt pote per humidam qualitatem minime efficacem. Secunda, quia siccitas in cerebro difficilius, quoniam siccitas cerebro improportionalis est. Tertia, quia ob intemperaturam frigidam siccam minuitur spiritus à quo pendet curatio. Quarta, quia ob amentiam in posterum refugiunt medicamenta. Quinta, quia judicium in totum non amittitur, nisi ob intemperamentum cerebri, vel imbibitum, vel hæcticum; talia autem intemperamenta confirmata insanabilia sunt.

Aduerte secundo: de victu melancholicorum. Cum in omnibus abundet siccitas, licet actiue varient, merito dixit Rasis summopere curandum esse, vt pinguescant, obseruando, ne incidant in obstructiones, & excrementitias humiditates, quod procliue est omnibus, qui victu humido vtuntur. Quare ibi res humidæ necessario adhibendæ sunt; somnus itaque abundantior sit, panis similogineus, quia ex farina polinæ magis humectat, qui non excedat diem, vt seruetur integra humiditas fermenti, lac fere conuenit, nisi quod in quibusdam corrumpitur in melancholicum succum, quos oportet illud vitare. Placentæ conueniunt ex sesamo, & amigdalis cum sacharo. Carnes natura humida, ætate adolescentes, gaudia autem, cantus, societates

cietates partim conferunt, quia inducunt somnum humectantem, partim quia retrahunt animum à solicitudine exsiccante, partim quia cum extrorsum trahant spiritus, humectant membra arida, & faciunt ad ejus alitionem, partim etiam quia gaudium tanquam oppositum tristitiæ melancholicæ 6. aphor. 23. sanat, sed potissimum conandum est, vt non modo alitio paretur humida, sed vt spiritus splendidi, & ad gaudium facientes copiose reparentur per ea, quæ ideo cardialia vocantur, quia spiritus, aut augent, aut illustrant, id quod apud Autores fere nouem modis paratur. Primò, per ea quæ succum præstant accomodum gignendis spiritibus, vt vinum, lutea, aqua carnis. Secundò, per illustrantia spiritus, vt margaritæ. Tertiò, per congregantia substantiam spirituum, ne dissoluantur, vt succinum, & emblici. Quartò, per qualitates primas lapsui spirituũ contrarias, vt rosa, in calore; melisophylon, in frigore. Quintò, in occulta, vt hyacintus. Sextò, separatione foliginis atræ, vt berrago ad xantum. Septimò, per odorata à tota substantia alentia spiritus, vt moschus, ambra. Octauò, exercitio suaui, vt cogitatio dulcium, & melodia. Nonò, per prohibentia vim noxiam abolentem spiritus, vt zedoaria, & smaragdus. Commode autem sumuntur jejuno oua sorbilia, cum sacharo, & aqua odorata. Venter autem lenis conseruetur, cum jure pulli coctarum maluarum, vel cum bollo cassiæ. Aër perpetuo odorus fiat ad augendos, & roborandos spiritus. Balneum aquæ dulcis omnium præstantissimum est sequenti in vnctione, cum amigdalina: idem cum cibis probi, & humidi succi sæpe sola sanauerunt incipientem melancholiam 3. de locis 7. Tralianus putat præstare si cum oleo permisceatur tantillum aquæ, exercitium sit paucum non siccans, nec tamen permittatur ouari, ne profundetur in imaginationibus; vacuatio humoris noxij semper optima est, & adustarum foliginum. Quare decessus moderatus juuat, licet ex natura siccet; alimenta verò tenuis succi in adusta melancholia, aliquãdo corrumpuntur, ob acrimoniam caloris; in frigida autem

juuant attenuando crassitiem humoris; caro castrati annualis à proprietate laudatur, sicut, & perdicum, turturum, & auium syluestrium, ob odoris præstantiam, & si pulli sint humidiores, maxime enim sanguinem augent, calefaciunt, & roborant columbæ, turtures, passeres cum aliquanto vini odorati, & moschi, apud Rasium 3. aphor. vlt. Panis non valde fermentatus ablatis crustis, olera humida, & rapa bis cocta ad deponendam flatulentiam. Commendat Matheus cortices radicum buglosæ conditas, condemnans vsum foliorum. Verum apud Dioscoridem folium in vino injectum, animi voluptates adauget, & aqua stillatitia foliorum cordialis est; vinum conuenit tenue, clarissimum, odoratum per duas horas ante prandium dilutum ne inflet, domat enim melancholiam non aliter, quam ferrum, dicebat Marcilius de triplici vita. Commode autem illi additur momentum rosaceæ; aqua ipsa cocta sit cum radice buglossi, nec tamen multa misceatur vino timore inflationis. Vestes purpureæ sint odoratæ, sæpe permutatæ, sæpe etiã sanat ablatio causæ melancholiæ, potissimum si causa fuit externa, & si orta est ex malo nuntio, bonum fingatur. Si suspicatur deuorasse serpentem, injiciatur serpens dejectioni. Si credit se venenatum, venenum mittatur in decoctionem. Si credit se decapitatum esse, pileo plumbeo tegatur ex Traliano, perpetuo autem mensa claudatur cum coriandris præparatis, vel diacitoneo, à quibus non potetur, vt prohibeatur exhalatio.

Aduerte tertio: de curatione maniæ ex adusta bile; phlebotomia infrigidat, & humectat corpus totum, sed caput maxime, phlebotomia intelligenda est in multis casibus ad diuersionem, & infrigidationem. Nam cum creditur bilis, non mixta sanguini, vel causa maniæ immaterialis est, vel cum antea satis phlebotomatum est, quod sæpe accidit in fine phrenitidis, abstinendum est à phlebotomia, infrigidat autem multipliciter, per odores frigidos, oxyrrhodinum, emulsionem lactis in caput, infusionem oleorum frigidorum naribus, balnea in quibus superinfundatur capiti multa tepida, lotiones caput humectantes,

mectantes, quæ omnia in cephalalgia biliosa, & melancholica tradita sunt. Purgatio autem repetita præcedente victu humectante, & syrupo de pomis, sitque purgatio non adurens, sed bilem modice vacuans. Capitis emborcæ frequentandæ sunt, ex tepida cum luteis, quod si non patiuntur purgari, sumant puluerem purgatorium in vino, vel in luteo oui calefacti, modice aperta membranula, apud Tralianum, succedat post balneum vnctio corporis ex hydræleo, & capitis ex rosaçeo apud eundem.

Quod autem hydræleum præferatur in humectando, causa est quia aqua penetrationẽ præstat oleo ob summam tenuitatẽ, oleum autem ob lentorem magis moratur, & humectat. Cur ergo capiti egenti majori humectatione adhibeat rosaceum, corpori verò hydræleum. Dic: quia ea vnctio sequitur balneum agitans, quare timet ne caput recipiat melancholicos flatus.

Aduerte quarto: de curatione hypocondriacæ, quod concedit phlebotomiam tentantem, non semper est exequendum, nam cum non suspicamur melancholiam esse mixtam cum sanguine, non est phlebotomandum maxime in initio, cum nondum permixta est, eo quod sanguis oppositus melancholiæ, cum minori tamen suspicione audendũ est phlebotomare in melancholicis morbis, quam in pituitosis lib. de sang. miss. 16. Causæ sunt quia fæx sanguinis magis cum sanguine permiscetur, quam pituita, quæ nondum accessit ad sanguinis formam, ideo simul cum sanguine melius exhauritur melancholia. Altera causa quia ob lentorem pituita hæret vasis, non melancholia.

Tertia, quia pituita ob insignem frigiditatem debilitat innatum calorem infrigidando, & per obstructionem, prohibẽdo spiritus nutritionẽ ex aëre. Quod autẽ additur de cura tentante 3. de locis 7. Quod in dubio aperiatur vena, & consideretur, si enim sanguis erit crassus, & niger, permittatur exire à cõmuni vena, si tenuis statim sistatur, habet contradictiones.

Primi, nam apud Auicenam, licet appareat tenuis, non est statim sistendus: de vena etiam pugnat Mesues asserens in mania eligendam esse basilicam, in melancholia communem; causa varietatis, apud interpretes est, quia tenuis sanguis maniæ facile recurrit, ideo reuulsio longinquior conuenit.

Dic ad primum: conuenit inter omnes sectionem debere esse latam, & extrahendas esse ℥. ij. qualiscunque sanguis appareat; quod si perseueret exitus sanguinis tenuis, supprimẽdus est, nisi in casibus supra, si apertura sit angusta dilatanda est, si ligaturæ validæ laxanda est, si timuit supponendus est ori vas vsque quo redeat. Quod si adhuc pergit exire tenuis, statim sistatur, conuenit tamen perpetuò, vt excitetur, & linteis calidis brachia fricentur, vt crassities melancholica diffundatur.

Ad secundum: cum tam in vacuatioue, quam reuulsione requiratur cõmunitas in vase secto, quæ deest in basilica, vniuersaliter sententia Mesues recipienda non est, nisi crederetur ex omni parte fluere ad caput, in quo casu conuenit, phlebotomia basilicæ, simul cum phlebotomia venæ cõmunis, maximè cum omnis atra bilis sit humor crassus 3. de locis cit.

De purgatione autem, purgat Rasis quater intra dies xvj. eo, quod crassus humor paucioribus integre non inanitur. Purgationes validæ sunt pro crassitie humoris. Nam certa hujus loci interpretatio non videtur cum Herculano, vt pillularum hic scriptarum sumatur vna quarta, sed cum schylino, & alijs, quod sunt dosis vna.

Cur permiscet decoctum cum pillulis. Causa est quia timet siccitatem pillularum; & debilitatem decocti. Quare jungit vtraque, vt tamen simul perficiat curationem ex præcepto 2. acut. 11. tribus horis præcedant pillulæ ad decoctum.

Quod autem purgantia respiciant pituitam, & non solam melancholiam, causa est copia pituitæ, quæ in talibus propter melancholiæ frigus abundat. Quod interponat purgationibus solos dies tres, causa est, quia velociter subueniendum est

antequam cerebrum perducatur ad prauum habitum; & quia satius est, non permittere purgandos humores ex toto quiescere. Quare etiam 1. local. 2. in quinque diebus purgauit apopleticum. Quod autem in diebus medijs consulit alimenta, alentia, & humectantia, causa est, vt subueniat triplici siccitati, scilicet pharmaci, morbi, & vacuationis. Vomitoria autem conueniunt cum ventriculus non est debilis, nec inflammatus, & licet ex 4. aphor. 9. melancholicis non conueniat superna vacuatio, verum quia in hyppocōdriaca fortis est, ventriculo conuenit, sicut & clisteres magis, quam in alijs speciebus.

Aduerte quinto: de melancholia, siue sit per proprietatem, siue per consensum à toto. Si quidem sanguinea est manans à vapore sanguinis qui aduritur, confertim, & vbertim mittendus est sanguis, ita enim mox sanantur, nec timenda est copiosa phlebotomia, licet adsit gracilis habitus 6. epid. sect. 3. cōm. 29. & in ea festinandum est antequam sanguis bilescat, & transeat ad maniam. Postquam autem sanguis cessauerit ebullire, & capiti impactus est, non ante frons secetur apud Tralianum. Quod autem quidam commendant, vt in suppressione fluxus inferni, eligantur crura, non est recipiendum simpliciter, nam apud Tralianum cum venæ in cubito, non apparent, tunc subjectas secare oportet, idest venas externæ manus, & crurum. Humor enim capitis crassissimus, tam longinquæ vacuationi non cedit, sed oportet, vt præcedat reuulsio pariter, & vacuatio ex vena nigra, nisi judicatur defluxus à toto, vel à cephalica, si creditur influere à partibus infernis. Si verò melancholia melancholica est, frequentes purgationes, & remedia cephalalgiæ melancholicæ sanant. Tantum addendum est, quod cum spiritus actuales ex vitalibus gignantur, simul prouidendum est cordi interius, & exterius. Quare condita ex conserua borraginis, rosarum, corticum citri, & naphæ, cum puluere diamargaritionis, & diambræ, & auri folia conueniūt, & epythemata, vel sacculi cordiales. Considerandum item melancholiam quandoque oriri, ab immateriali intemperie; quæ solis

alterantibus curanda est, nisi forte prohibeatur defluxus, per leuia vacuantia.

Aduerte sexto: de particularibus speciebus melancholiæ, vel lycantropia, idest lupina melancholia, affectio est qua homo transit in mores lupinos, nocte morans in sepulchris, Arabibus vocatur (cutubut) id est tipula, vulgo tauaõ à crebro motu, licet Auiçena errans in nomine separet cutubut à melancholia.

Curatio traditur peculiaris, per somnifera, & refrigerantia, & humectantia, eo quod adusta bilis vehementer increuit. Quod autem Aët. lib. 6. cap. 11. tradit, & transcribit Auic. cap. proprio, phlebotomandum esse vsque ad animi diliquium, videtur intelligendum, vt per vices id fiat, vel quia creditur vniuersus sanguis adustus. Quare refrigeratio non timetur, sed habitus vniuersus mutandus est. Amor autem genus est melancholiæ peculiare, vulgo amor heroicus, peculiarem habet curationem, & citissimam ex concesso amato, aut saltem procuretur odium, & turpitudo amati, & accessus multus extra rem amatam, & inueniatur solicitudo aliqua maxima de vita, aut de grandi dispendio.

Remedia Melancholiæ.

PRimum: decoctum, & pillulæ Rasis hic positæ, & frequentandæ.

Secundum: syrupus de borrag. Validius sabor. Validius de epithymo, aquæ autem in calida melancholia de endiuia, borraginis, & serum. In frigida autem fumariæ, melissæ. Validiores autem euadunt hæ aquæ, si incoquantur flores cordiales.

Tertium: in mania decoctum lauando caput, cor, & pedes. Capiti vnius castrati, additis quatuor capitibus papaueris albi, vel folliculi senæ, flores, cum folijs borraginis violarum, çoquantur, & lauentur alternis, vel magis quotidie cum tepida

succe-

ſuccedente vnctione, cum oleaceo, roſaceo, amigdalino.

Quartum: puluis purgatorius teſtimonio Haly, & experientia confirmatus, ſi quaque hebdomada ſumatur ʒ. ij. in ſero. ℞. epythimi ʒ. iiij. lapidis lazuli, agari aña ʒ. ij. ſcamonij ʒ. j. gariophyla ij. Vel ſyrupus purgatorius cephalalgiæ melancholicæ. Vel ſumat 7. auroris continuis. Decoctum foliorum buglosi, borrag. betonicæ aña ℥. j. polipodij, glyſeriſſæ, radicis altheæ aña ℥. j. ß. in ℔. ij. juris pullacei, collatum quotidie potetur. Aliud ſolutorium lene in menſe ſumendum quater, maxime in calida melancholia. ℞. foliorum ſenæ, epythimi aña ℥. ß. polipodij ℥. j. ß. glyſeriſſæ ℥. j. veſpere poſt vnam ebullitionem in jure pulli pingui, vel in ſero macerentur, per noctem, in aurora collatum tepido addito ſaccharo potetur.

Quintum: purgatio in frigida confectionis hamec drag. iiij. radicis ellebori nigri drag. ß. cum ſyrupo violaceo fiat bollus. In calida autem melancholia, ſit confectionis hamec drag. ij. electuarij de ſucco roſarum drag. j.

Sextum: conſerua poſt purgationem. ℞. conſeruæ borrag. ℥. iij. conſeruæ roſarum ℥. j. zedoariæ drag. ß. ſumatur coclear tribus horis ante prandium. In calida autem zedoariæ ablata jungatur conſerua nenupherina par roſaceæ. Finis tractatus hujus.

CAPVT XVI.

De Defectu memoriæ.

ADuerte, in morbo omiſſo à Raſi, frequenti tamen ex Aëtio lib. 6. cap. 23. compendioſam, & ſufficientem curationem, pro triplici morbi varietate. Contingit enim primò ex immodica inanitione, vt pote jugibus lachrimis, purgationibus, aut extrema ſenecta. Secundò, repente inuadit obliuio ſanum. Tertiò, ſuccedit ad curatos alios affectus, v. g. ad lethargum, vel peſtem. Primi generis obliuio prouidentia eſt

vt nihil curiose moliamur, sed refectorio victu contenti simus, nam roboratis viribus redit memoria, fere enim vitia quæ ad extremam corporis attenuationem sequuntur, sola refectione sanantur, vt defectus mensium ex immodica gracilitate.

Secundi generis prouidentia est præcautio à magno morbo cerebri, epilepsia, vel apoplexia, talia enim præsagit is euētus. Præcautio fit victu tenuante, & vacuationibus repetitis. Tertij generis prouidentia requirit sedulitatem majorem. Oportet in totum abstinere ab omni humido victu; potissimum à multo potu, à cruditate, à venere, sæpe caput purgandum est hyera Ruffi, apud Aëtium, quæ apud Mesuem vocatur Hyera diacolochyntidos, cujus sumenda est ʒ. ß. pulueris, vel ʒ. ij. ß. ellectuarij. Post purgationem sequantur errhina, apophlegmatismi, masticatoria cephalalgiæ pituitosæ, caputque intra, & extra roboretur, calefiat, sicceturque juxta quantitatem qualitatis excedentis. Refert Iaso Pratensis obliuionem quandoque oriri ex calore, eo quod immodicus calor foligines gignit pro spiritibus. Quare ob inopiam temperatorum spirituum memoria læditur, quæ species moderate frigidis emollienda est.

Remedia diminutæ memoriæ.

PRimum: post purgationes sufficientes. ℞. ramentorum eboris, cornu cerui aña ʒ. ß. quotidie sumat cum mulsa, & tertio quoque die ejus loco castorij ʒ. ß. in mulsa. Secundum: imponatur lininum capiti, cum acri aceto decoctionis calaminthæ, & castorij. Tertium: post purgationes dictas quotidie sumat ʒ. j. conditi galangæ, ʒ. ij. conseruæ stæchados, ℥. j. conseruæ corticum citri, ℥. j. ß. pulueris plyris, & aromatici rosati aña ʒ. ij. & ß. rasuræ eburis, thuris, coriandri præparati aña ʒ. j. cum aqua saluiæ, & melle fiant conditum. Vel electuarij plyris ʒ. j. sumat quotidie per 15. dies. Validius: est si

interpo-

interponat semen anacardinæ ℥. j. in aqua fœniculi.

Quartum: puluis continuandus quindecim dies, ex quo sumatur quotidie ʒ. j. in aqua majoranæ. ℞. galangæ, macis, cubebarum aña ℈. ij. cinamomi, anisi, rosarum, calami aromatici, foliorum stæchados aña ʒ. ij. ß. gentianæ, piperis longi aña ℈. j. coriandi præparati ʒ. iij. sachari ad pondus omnium.

Aliud: galangæ, piperis longi aña cum butyro vacino, & melle fiat massa ex qua sumat ℈. j. redactum ad pillulam j. mane, & tantundem vespere. Vel ℥. ß. aquæ vitæ mane, cum qua etiam dormiturus vngat occiput.

Quintum: experientia probatum, post sufficientes purgationes, post duos menses, abstineat à cæna, vtens in prandio alimentis boni succi, simplicibus, facilis coctionis, quo tempore quotidie olfaciat pillulam describendam.

Transacto autem eo tempore, cum placet memoriæ mandare, indat nari pillulam j. pendentem ℈. j. & cotto obstruat, atque ita legat, qua ablata dormiat, surgens iterũ immittat pillulam eidem nari, & facile omnium reminiscetur lectorum, euadetque ingeniosior, & durat plures annos. Videlicet menthæ, pulegij, euphrasiæ, buglosæ, coriandri, roris marini, galli cristæ, verbenacæ aña siccentur, & in ℥. ij. pulueris cribrati, adde calami aromatici, styracis aña ʒ. ß. cinamomi ℈. ij. gariofilorum ʒ. ij. ß. moschi, mellis, anacardini, galliæ trochiscatæ aña ℈. j.

Sextum: vnctio de qua pollicetur magnam memoriam, si quater tantum in anno vngantur tempora, frons, syncipit, & tandem occiput, videlicet succi euphragiæ, calitrici, verbenacæ aña ℥. iiij. collatis adde pulueris radicis galangæ, ruthæ, buglosæ, valerianæ aña ʒ. iiij. stæchadis, sinoglosæ aña ʒ. ij. anachardi ʒ. j. misce in vnguentum cum pinguedine vrsi. Finis.



CAPVT XVII.

De Paralisi.

PRimo: notificat resolutionem. Secundo: curat frequentem per purgationes ℞. Cujus curam. Tertiò: curat eandem victu, & alterantibus. Quarto: curat resolutionem infrequentem ex externa percussione succedentem, ℞. Quod si paralysis.

Aduerte primo: de victu in causa frequenti frigida humida. Oportet esse sufficienter calidum siccum. Aër ergo talis eligatur, conuenit vicinitas elybani, & impositio linteorum calidorum, & insolatio, & immissio in tinna aquæ, vel olei seminum calidorum, vel vulpis decoctæ. Vel in vinacea cumulata sepeliri, vel in arena maxime marina. Commendat balnea, id est stuphæ, & thermæ sulphureæ salsæ, aut aluminosæ, videlicet transactis 30. diebus, apud Paulum, apud Auicenam consentitur vtilitas ex euacuationibus, eo quod thermæ sunt euacuationes particulares requirentes vniuersalem. Recte autem commendat Mes. vt post quoduis horum siccans, non sequatur statim aliquod humectans, videlicet cibus, potus, somnus, aliàs enim statim reponitur in corpore siccato humiditas.

Secundum: vigilia commendatur, ita vt non sit vitiosa, sed cum labore accomodato virtuti, apud Mesuem.

Tertium: exercitium laudatur modo recipiat à re leui, ne repentinus aggressus ferat materias ad membrum debile, & modo sit proprium, vt ambulatio cruri resoluto, & locutio linguæ resolutæ.

Quartum: inter alimenta commendantur strobili, cerebrum leporis assum, columbi, & magis palumbi, ita vt etiam morari juxta columbarium, jus galli veteris, ossa gallinarum assæ carnes rapacium; Ericei, caro salita assa, aut frixa cum aromatis.

matis. In vniuersum cibus parcus, potus parcior, ita vt primis 7. diebus solam mulsam præbeat, aut mel rosaceum, aut ptysanam. Sed ptysana reprobatur à Rasio nisi in calida caus.; præsente autem febre, vsque ad 40. dies vtitur Nicolus jusculis ex farina hordei, & jure cicerum præparato cum oleo nucum, & pauco synapi. In vi autem debili addantur paruæ auiculæ assæ, & palumbi ex præparatione Zoar. lib. 1. tex. 9. & lib. 2. tract. 7. Laudat Mesues talos alphæsyræ, id est turiones brionæ. Haly laudat mel cum nucibus. Zoar. lib. 1. tex. 10. in morbis neruorum gallos potissimum magnos nigros, cõmendat pullos nycticoracium, & cyconiarum, & vt furmentum sit valde purgatum à lolio, est enim infestum capiti, non tamen sit omnino mundum à furfure, Zoar. nutrit pullos carnibus viperinis coctis tussis, cum farina hordei, vsque quo depillentur, quorum pullorum vis tamquam summe dissipans, & ad cutem trahens commendat in paralysi, & elephantiasi, cum Galeno 10. simp. cap. de vipera. Commendat Paulus, & Aurelianus aërem lucidum modice calidum maxime maritimum. Vinum summopere noxium est, vbi tamen vrget necessitas, sit minime tentans caput, tale est aquosum, album, & austerum lib. de euchymia ad fin. & 3. acut. 3. Nam crassa dulcia magis tentant 6. 4. summa 2. cap. 31. licet Matheus contra sentiat.

Post aliquot tamen vacuationes quidam determinant post dies 40. ad lætitiam, coctionem, & resolutionem paucum vini antiqui, sed exhibenda est aqua sicut in cephalalgia pituitosa, vel aqua sacharata in causa calida, & commodior est ex aqua pluuiæ, nam aliquid adstringit 7. loc. 2. & apud Aëtium lib. 3. & apud Paul. lib. 7. ideo collyrijs expetitur, & fluxibus; ideo tardius corrumpitur 4. de sanit. 12. ideo etiam non valde penetrat neruos. Præterea parum frigida est, vt pote experta actione calidi, ex Oribasio lib. 5. Nicolus exhibet stillatitium liquorem majoranæ, iuæ, saluiæ, primulæ veris cum 6. part. sachari, vel mellis, & aromatizat cum cinamomo.

Aduerte secundo: de coctione, licet medicamentum

proportione debeat respondere morbo 3. simp.12. Quare humori difficilis eductionis fortior competit medicina, sicut de cephalalgia pituitosa. Verum aduertit Mes. quod si humor, nec ob multam distantiam, nec ob crassitiem, & lentorem est difficulter educibilis vna vacuatione valida, licet erradicatiue euacuare. Vbi verò secus præstat per plures, ita vt priores sint lenes, tam in coquendo, quam in purgando. Prima causa ne virtus statim resoluatur. Secunda, ne validum medicamētum instar flammæ absumat tenuem, reliquo manente difficillimo ad eductionem. Additur tertia causa in morbis neruorum, ne humor motus, & liquefactus à pharmaco magis impingatur neruis. Quo fit vt in humore crasso, apud Auicenam cap. de ouo, & in humore longuinquo à vijs ductuum, vt in morbis neruorum præcipiantur remedia validissima, ita tamen vt in primis diebus, non nisi valde remissa præbeantur, quod Galenus fecit 1. local. de alopecia, & obseruandum est in paralysi, adhuc magis propter tertiam causam dictam, videlicet quando non jungitur læsio sensuum, & mentis, nam si jungatur in paralysi, vel tortura, ob periculum imminentis apoplexiæ festinandum est ad magnam euacuationem.

Nec obstat, quod extremis morbis diligentissime extrema remedia adhiberi præcipitur 1. aphor. 6. quia vniuersaliter in curatione à debiliori inchoandum est. Prima causa, quia natura assuefacta debili, postea sine noxa tollerabit forte 2. aphor. 51. Altera causa, quia sæpe in initio morbus non plane cognoscitur, quare in applicatione fortis medicamenti vertitur insigne periculum. Casus autem in quibus irregulariter incipiendum est à forti, juxta præceptum 22. 3. de curatione dolorum juncturarum reducitur ad quatuor fen. 4. 1. cap. 1.

Primus: vbi materia turget, quare timetur defluxio ad membrum nobile. Secundum, quando corpus est aptum ad morbum magnum, licet quiescat humor aptus apoplexiæ, vel hæmoptoisi. Tertius: quando morbus est periculosissimus, vt phrenis, & angina. Quartus: quando vis non est tam valida, quod

quod credatur durare posse, vsquequo leuia fiant remedia, nec tam debilis, vt nec modo possit ea tolerare, nam tunc exequẽda sunt valida statim, quibus ferendis postea non erit, & est casus frequens juxta aphor. 21. lib. 2. Num autem inceptio à leuioribus in morbis magnis perficiatur sufficienter, cum parua dosi magni remedij, aut requiratur etiam leuitas in qualitate remedij. Dic: præstat incipere à leui, tam in qualitate, quã in quantitate, maxime in morbis neruorum. Si verò Galenus in alopecia inchoat à cocheis, in paralysi verò à fætidis, & Mesues in paralysi, ab exhibenda theriaca, habet duplicem excusationem. Vna: quia corpora eo tempore erant validiora; altera, quia docet curare quando Medicus vocatur, vocatur autem in his morbis Medicus, quando morbus viget, non quando incipit. In qua autem paralysi, plus temporis abstinendum sit à validis. Dixit Auicena in forti, ob tres causas dictas, quare in leui sufficiet expectare 4. dies, in valida 7. in validissima 14. ita vt in validissima in primis diebus mites clisteres suspecti sint, post primos autem dies modicissima paulatim agenda sunt.

Aduerte tertiò: de vacuatione, ac primo: de phlebotomia, Aurelianus statim phlebotomat reprobans Erasistratum, eo quod omiserit phlebotomiam, plurimum commendans post statum scarificatas cucurbitas, similiter & Aët. lib. 6. Haly verò 5. pract. & alijs displicet. Nam fere morbus est cacochymicus, vis imbecilla, multa crudorum humorum copia, & nerui ex frigore male habent. Nisi ergo resolutio sequatur ad casum, vel copiam humoris sanguinei, periculosa est, imò etiam in sanguinea paralysi propter causas dictas, apud Tralianum parce mittendus est.

Secundum: vomitum fere laudant, cum conditionibus, quod assuetus sit vomitibus, maxime si intermisit consuetudinem: quod fiat in æstate; quod gradatim inchoet à leuibus, causa commendationis est, quia in ventriculis talium multa pituita coasseruatur, ob frigiditatem.

Tertium: clisteres seu reuellentes commendantur, seu vacuantes, maxime quia resolutam habent aluum siccam propter obtusum sensum intestinorum, in quibus etiam gradatio obseruetur ex Haly, licet Auicena simpliciter concedat validos, licet autem mittere in clisteres duplam dosim, & eo amplius, quod per os sumitur.

Quartum: diuretica post sufficientes purgationes summopere faciunt, ad vacuationem crassorum humorum, tam in paralysi, quam in podagra 22. 3. tract. 2. cap. 7.

Nec obstat, quod videntur nocere, eo quod fundunt sanguinem, separant ethorogenia, vacuant seorsim, quare relinqunt humorem crassiorem, quam erat, & ita nocet expectorationi 5. simp. 13. Quare vacuatio multi serosi, siue per vrinam, siue per sudorem, in tenuibus humoribus sola potest sanare, in crasso verò non, nisi jungatur cum vacuatione crassi humoris qualiscunque abundauerit 3. cris. 3. diutini sudores soli nunquam suffecerunt sanare febres pendentes à crasso, vel mixto humore citra purgationem illius, siue in gallica lue, nec in paralysi, aut podagra.

Non obstat secundo adagium Italum, à nephritide podagra, cujus causam referunt ad vsum diureticorum in calculosis, quasi inducant podagram, quia in corpore pleno calculoso valida diuretica inducunt podagram, in podagrico verò purgato diuretica gradata sanant 2. continent. Commendatur prouocatio sudoris, ad eundem vsum, vncto dorso ex anethino calido. Quare vel hoc nomine commodissime sumi potest decoctum guaici, vel salsæ parrilhæ.

Quintum: purgationes repetitæ commodissimæ sunt. Quidam 1. cōtinent. sumunt quotidie pulueris hyeræ ʒ. j. cum ʒ. ß. piperis, à quo non supra potent, vt moretur in ventriculo. Vulgatior purgatio fit per itinerationes gradatas, ita vt sumatur initium à leuissima ad validissimam purgationem. Vel ab vna 4. dosis maxime validi purgantis, vsque ad maximam dosim. In diebus autem intermedijs exhibeantur particulares

capitis

capitis vacuationes similiter gradatæ.

Quod autem dies interponendi sunt singulis purgationibus, Zoar. lib. 1. tract. 9. cap. de vertigine dixit juxta numerum dejectionum. Galenus autem 2. local. in alopecia tres dies interponit. 1. continét. præcipitur vt saltẽ 7. quoq; die: sternutatoria tamen propter magnam agitationem suspecta sunt, ante integram corporis vacuationem, sed si causa est in occipitio, tutiora sunt errhina, si in syncipite masticatoria, & gargarismata.

Aduerte quarto: de alterantibus, præcepta. Primum Traliani, quando oritur resolutio ab intemperatura immateriali, calida, sicca, in qua sola refrigerantia, & humectantia; demum victus omnis hæcticus sanat.

Secundum: ex intemperie quandoque oritur immateriali frigida recusans purgatorium, sed solis calidis intro, & extra: sanatur potissimum cum thermis, de quibus tantum docet Tralianus, non esse illis diu immorandum, nec bis in die lauandum, ne immodice siccentur, & vt tempore intermedio perfruatur adjumento illarum.

Tertium: in reliquis speciebus alterantia, & roborantia intro, & extra succedant purgationibus cum gradatione, ita tamen, vt ex Haly, si tempus est æstas, aut læditur, & non juuatur à calidis, caueamus ab illis; & ex Auicena memoremur, quod in fine curationis resoluentia habeant admixtum aliquid adstrictionis, oportet enim roborare membrum, ne facile redeat affectio, idem Auicena commendat, vt si succedit febris ommissa paralysi, curetur cum acetoso, & melle rosato.

Quartum: ex Haly, & Traliano cap. de melancholia, quando morbi longi post repetitas vacuationes durant, oportet esse contentum probo victu, vsque ad sequentem anni mutationem, quia aliter natura infirmatur, ita vt morbus reddatur immedicabilis. Rasis verò post circulum purgationum ad eundem finem intermittit dies decem, quibus transactis redit ad circulum purgationum, incipiens semper à mitissimo.

Quintum;

Quintum: cucurbitæ commodiſſime imponuntur in capite lacerti læſi poſt aliquantam purgationem ad vacuationem contenti humoris, poſt integram autem vacuationem, ad roborationem innati caloris, ſint autem cucurbitæ anguſti oris, cum multo igne, & parum morentur; illa enim tria faciunt ad multam tractionem, ſine reſolutione. Quare quod 5. aph. 5. commendatur cucurbita magna retinendis menſibus, intelligatur de magnitudine ventris, non oris ex Auic. & Aurel. ex Hippocrate enim lib. de medico, duo ſunt modi cucurbitarum, paruus circulus, oblonga cucurbita, ad profundos dolores. Magnus circulus, venter amplus, vbi dolor occupat multas partes ſuperficiarias. Talis enim ſi dolor profundus eſt auget malum, apud Hippocratem, eo quod trahens à multa ſuperficie, & contrahens pellit ad profundum. Aurelianus ait, quod ſi neceſſe eſt, cucurbitæ multæ imponantur dorſo, incipiendo à ſuperioribus, tam in impoſitione, quàm in extractione, ſequente ſynapiſmo, vel dropale.

Sextum: commendatiſſima eſt etiam perfuſio in oleo vulpino, vel Lyenæ. De qua Matheus putat ex Serapione conuenire etiam in initio paralyſeos, vel arthritide frigidorum, ſed non probat. Nam Serapio in eo capite nihil habet proprium, ſed vertit Galenum non exacte; habet enim Galenus 11. ſimp. 52. eam balneationem moroſam vehementer haurire ex profundo, non ſolum materiam conjunctam in juncturis, ſed etiam antecedentem vaſorum, quo fit vt propter eximiam reſolutionem, non ſit totum ante vacuationem. Lyena autem arabibus eſt adit, nobis adeps frequens Africæ, ſimilis in virtute vulpi, & licet Galenus in oleo coquat alterutrum illorum, ſiue viuum, ſiue mortuum, ſatius eſt coquere exanteratas adhuc calentes; nam excrementa ſine vtilitate ſordidant, præſtatque effundere aquam ſufficientem parem oleo, cũ fænu græco, saluia, hypirico, althea, & ſale.

Septimum: conueniunt, & frictiones poſt purgationes, ita vt parti ſanæ adhibeantur validiores, ægræ verò lenes.

Octauum:

Octauum: locus imponendi remedij est origo nerui læsi, siue fuerit interna, siue externa læsio, benefacit tamen etiam totius vnctio resoluti membri propter nerui continuitatem.

Aduerte quinto: de particularibus resolutionibus, scilicet ex casu, ex permutatione colicæ, & de resolutione linguæ. Primum, si ex casu, initio curanda est cura casus. Victus tenuissimus potius refrigerans, reprimens, phlebotomia ex aduerso præcedente, vel vomitu, vel clistere pro varietate ventris pleni, quantitas sanguinis pro varietate casus, & nobilitatis membri percussi. Repellentia autem loco percusso imponantur. Mumiæ bollus, sumach, mirthi cum mirthyno, & albumine in stupis canabinis, vel in multis lintheolis, quorum alter alteri superinjiciatur. Sedato autem fluxu, siue si non timetur fluxio ab initio, si locus contusus, est minutissimas contusiones passus, ita vt jam receperit humorem præter naturam, imponenda sunt, in circuitu quidem repellentia, supra attritionem autem emplastrum laudatum 6. therap. 3. ex oxymelite, cum farina fabarum, & si dolor jungitur addita pice liquida imponatur calens medicamentum. Si autem totum corpus verberibus conquassatum est, ita vt plus sit sanguinis concreti sub cute, quàm impetus fluxionis, intra diem naturalem sanat pellis ouina calida recens detracta 11. simp. 22. Calor enim innatus ouium plurimum juuat in resoluendo, quod prisci hic, & in oleo vulpino fecerunt, posteriores etiam in phrenitide. Si autem videtur multum concretus sanguis liquandus, commode inspergitur pelli minutissimum sal.

Si verò in casu timetur fluxio, præstat in linteo innoluere imbuto vino decoctum, sumach nucibus, cupressi mirto etiã expresso. Item exhibeatur præstans remedium Mesues cap. de Rhab. licet corrupte legatur ex Auic. cap. de rubia. Videlicet ℞. Rhab. ʒ. j. rubiæ gr. xv. mumiæ gr. ij. in vino austero. Quod si post aliquot dies à casu succedat paralysis ex 1. de local. in fin. imponendum est remedium loco citat. vt resoluatur durities, quæ creditur ibi remansisse. Scilicet ℞. farinæ fænu græci ℥. j.

amoniaci ℥. ß. adepis anatis, lininiceræ aña quantum sufficit ad emplastrum. Nam si repente succedat resolutio ad casum, vel ictum, fere incurabilis est.

Secundum præceptum: de resolutione ex permutatione cholicæ. Dic: facile sanabilis est, quia materia est cocta, quare etiam crisis permutationis ad membra externa, & quia materia facta est tenuis, alioqui non posset repente pelli ad neruos, ideo etiam dicente Paulo sensum in talibus fere seruari. Quare apud Haly 5. pract. 22. scribit difficulter curari, intelligendum & credendum errorem esse interpretis.

Curatio fit per remisse calida, aliter materia extenuata extenditur, & magis infestat. Quare ait Auic. permiscendum est aliquid in quo frigiditas vincat, vt glycerrisa, in quo Auic. recte secutus est Galenum, & Paul. & Serap. locantes glycerrisam in 1. gradu frigoris, & humiditatis, sicut & 1. 4. tract. 2. cap. 17. commendauit ad sitim licet 2. can. oblitus sentiat inclinare ad calidum humidum. Peculiariter commendat Auicena in talibus medicamentum, sauromi, & ex gummi albescant, quæ interpretes praue explicant, cum ibi transcribat Galenum 4. de sanitate 11. & Paulum commendantes duo genera acoporum, videlicet populeum, & abietinum. Inungendi sunt cum anethino duabus partibus, violati parte vna, decimoquoq; die sumatur cass. in aqua fæniculi, cum pauco amigdalino, & alantur cum pullis, cum calidis enim fere male habent.

Tertium: in resolutione linguæ, post vniuersales vacuationes assidue gargarismata, & si venæ sub lingua tument, phlebotometur, fricetur vndique lingua, cum anacardina, vel cum castorio, & massa mastichis. Optima est cucurbita imposita primis vertebris colli ablatis pilis, & si non sufficit, imponatur ibi vesicatorium cephalalgiæ.



Remedia

Remedia Paralyseos.

PRimum: continuetur primis diebus mulsa simplex, paulo post sic, ℞. decocti stæchados, saluiæ, roris marini. Secundum: ex saluia minute concisa, cum melle despumato fiat electuarium, quod solum primis diebus conceditur. Vel fiat manus christi ex sacharo, & aqua saluiæ permixto puluere cinamomi, nucis muschatæ, zinziberis. Vel fiat erispella ex farina saluiaque.

Tertium: clister in 2. die exhibeatur lenissimus, post tertium infundantur clisteres lenes, cephalalgiæ pituitosæ. Post decimum validi.

Quartum: digestiuum in primis diebus, mulsa composita dicta; post septimum, syrup. de stæchad. simp. cum aqua saluiæ, post decimum quartum syrup. de stæchados compositus, & oxymel schylinum, peculiariter autem confert capiti, & neruis syrup. Zoar. descriptus capite de tremore.

Quintum: in paralysi 4. die, in valida autem 7. die sumat hyeræ simp. ℈. ij. agarici trochiscati ℈. j. post dies autem quinque dupletur quantitas. Post 14 pillularum fœtidarum vnam. Vel in iure galli electuarij indi ʒ. iij. ß. aut turbith, agarici præparati aña ʒ. j. zinziberis ℈. j. hyeræ, logodij, agarici aña ʒ. j. in decocto saluiæ, & stæchados cum ℥. j. mellis rosati.

Sextum: roborat si quotidie sumatur pillula j. dormituro pendens ℈. j. ex assa cum paucissimo castoreo, & apopanaco, vel alternis diebus puluis in mulsa; vel in oxymellite schylino, vel stæchadis ʒ. j. hysopi ʒ. ij. radicis pæoniæ ʒ. iij,

Septimum: abluatur crebro membrum resolutum, ex aqua vitæ, & vino albo paribus. Vel aqua saluiæ, & stæchados aña ℔. j. vini albi ℔. ß. mellis optimi ℥. iij. salis ℥. j. bullita, vel anethini ℔. ß. cum catulo vulpis in aqua sufficienti, vsque ad ossium separa tionem. Vel in musto ebulliente in quibus membrum resolutum moretur.

Octauum: vnctio præcedente, aliter præsente febre ex rosaceo, & camomelino, in frigida autem paralysi lenis vnctio est ex nardino, cum marciatone, validior addito oleo de castoreo. Adhuc validior lumbrici terrei in clibano siccati, galangi, piperis, aña ℥. j. mellis ℔. j. Aliud simile succi ruthæ post residētiam ℔. ß. stercoris columbini, quod sufficiat. Validior est lenimentum apopletici quintum.

Nonum: suffitus, ℞. sulphuris ℥. ij. cum fœnu græco, saluia, hypirico coctis in pluuiali suffiatur membrum resolutum, vel omnino opertus intra papelionem constituatur nudus, & in vinum album decocti dicti mittantur igniti lapides, & sudet præsente medico, quantum possit tollerare, exiens absterso sudore illinatur ex dictis, sumatque per os ellectuarium roborans.

Decimum: ellectuarium mitissimum de stæchados, inde florum roris marini, & aurantij. Validius diamoschus, vel plyris, vel nux muschata condita, vel zinziber conditum. Validissimum in sola pituitosa ad febrem prouocandam anacardina ℈. j. vsque ad ʒ. j. à qua dormiat, & tardet cibum. Finis.

CAPVT XVIII.

De Stupore, & tremore.

Incipit, Cum aliquis, &c.

OB familiaritatem jungit duas affectiones neruorum. Aduerte primò: stupor, & tremor sunt diminutæ actiones, primum sentiendi, alterum mouendi, sicut paralysis est integra ablatio vtriusque, cum autem ablatio, & diminutio pendeant, ab eisdem causis sola quantitate distantibus, fit vt curatio in vtrisque sola quantitate remedij distet. Cur autem diminutus sensus in stupore non appareat, nisi per interualla, diminutio autem motus in tremore perpetua fit. Causa est quia vir-

tus sensifica, non est in opere, modo quidem contrahendo musculum vnius partis tantum in motu membri, modo contrahendo vtrumque musculum in sustinendo membrum.

Aduerte secundò: de præsagijs Rasis. Sumitur præstantior prædictio ex parte in qua accidit stupor. Nam si in facie est, præsagit torturam, si in quouis alio membro, resolutionem partis, si in cerebro, apoplexiam, vel epilepsiam, si in dorsali, paralysim, aut conuulsionem, si in totum, & perseuerat, significat defectum spiritus in radice, quare mortem. Intelligitur item prædictio ex adjuncto, nam si stupori jungitur vertigo, nuntiat apoplexiam.

Aduerte tertiò: num frigida lædant neruos. Ostensum est 3. artis paruæ, quod sicut naturæ per totum valde recedentes à temperamento sunt præseruandæ, per contrarium, non per similia, ita & membra à temperamento humano valde recedentia. Sed obstat primò: quod facies, oculi, & os jubentur ad conseruationem foueri multa frigida, apud Cels. lib. 1. Secundo obstat 3. de temp. vlt. sumi indicationem à temperamẽto naturali ad similia.

Dic ad primum: calor faciei, & oculorum ex parte componentium exiguus est, sed ex parte spirituum plurimus, ob multitudinem sensuum in facie, ideo ea pars coloratior est, & magis affectibus animi mutatur, & magis tolerat nuditatem, & bene habet lotione cum frigida. Quod verò spiritus actualis accedat, & valde calefaciat membra, monstrant membra resoluta, quæ ob spiritus actualis defectum, repugnantis vtriq; extremo, ab externo calefaciente vruntur, & à refrigerante gelantur, & videtur ea causa symptomatis in quibusdam habẽtibus aliquam particulam debilem, sentiunt enim per quædam interualla glacialem frigiditatem modo, modo flammeum calorem, videlicet quia ex obstructione partis, cum non possint accedere spiritus animales, reddunt membrum obnoxium illis immoderantijs, ergo lotio faciei cum frigida ideo roborat innatum calorem, quia spiritus plurimus tenuissimus facillime

resolubilis ita coercetur, & per antiperistasim roboratur. Argumentum est, quia si calor faciei est valde debilis, ita vt timeatur, nec non roboretur per oppositionem contrarij, præcipitur vt cum vino albo lauetur, & fugiant omnino frigida scilicet in obnoxijs catharro, ob intemperaturam frigidam humidam cerebri. Ideo Celsus citat. cum addit nisi hyems sit, & Auic. de cura epilepsiæ deuitet ablutionem, cum aqua penitus, & ob eandem causam oculi tolerant frigidam, & nunquam rigent, licet Aristoteles 31. prob. 22. magis referat ad pinguedinem eorum.

Ad secundum: agit de alimentis Galenus ibi, quæ cum patiantur, & quo sint similiora melius alant. 6. de sanit. 2. requirunt semper similitudinem ad alendum, secus est de agentibus per alterationem. Præterea agit de actû ægris, quorum temperies natiuæ conseruandæ sunt.

Aduerte quartò: de tremore orto à potu vini confidit Galenus soli abstinentiæ, scilicet quia tenuis substantia est, licet per penetrationem lædat neruos, vel lædens, vel pungens, quando vertitur in acetum. Verum quia tenuis est, & calida, speratur sua sponte resoluenda ex probo victu, frigiditas verò aquæ niualis densat substantiam nerui, quare vltra abstinentiam causæ frigorificæ, additur à Ras. calefacientia, qualia sunt longa insolatio, aut sepeliri in arena ad solem tecto capite. Tremor autem particularis fere fit à defectu spirituum, cujus agnitio est quia ex quouis labore syncopisat, & ex alimento recreatur. Petenda est autem curatio ex reparantibus copiam spirituum carnibus volatilibus maxime odoratis, & assis, luteis, vino odorato pauco ex dimidio temperato.

Remedia stuporis, & tremoris.

AD stuporem, & difficilimum motum ex crassis humoribus lenimentum coquens, & roborans. Mirrha, amoniacum, dissoluantur in aceto addito camomellino, & croço, & fiat lenimentum.

CAPVT

CAPVT XIX.

De Tortura oris.

ADuerte: curatio traditur per omnia similis paralysi, quare lente procedendum est cum coquentibus, & vacuantibus, & in sanguinea cum phlebotomia cephalicæ; tunc succedat sectio venarum linguæ in vacuationibus item particularibus, & localibus remedijs sensim procedendum est. Præterea memorandum est, cum hujusmodi affectus, quem vocant spasmum cynicum, eo quod instar canini intorquentur, quandoque oritur à paralysi neruorum faciei, quandoque verò à conuulsione.

Si causa est conuulsio, requirit emollientia ante impositionem resoluentium, partim quia humor efficiens conuulsionem sæpe est crassus, cum paralysis ex tenui oriatur, partim quia in spasmo licet non adsit humor crassus, adest tamen contradictio densans neruum, & impediens penetrationem medicamenti. Vniuersaliter autem in tortura, post vacuationẽ commode affiguntur cucurbitulæ ceruici siccæ, ad deriuandũ, & calefaciendum.

Postremo cauterium in vena, retro autem partis affectæ, quandiu seruat apertum. Quod ergo in primis diebus locat ægrum in loco obscuro, causa est, ne pro lumine inspecto tracto ad faciem, spirituum humor faciei dilatetur etiam cum spiritu, qui in varia inspectione non diffunditur, in se coactus ea calefaciat, & sanet nerui obstructionem, quæ causæ validiores sunt, quam Mathei, hic scilicet, ne ex cognita turpitudine, per flatum aduersum consternatur animus, & alijs reddatur vilis.

Remedia

Remedia Torturæ.

PRimum: crebra inſpectio in ſpeculo chalibino ex aduerſo torturæ, ita vt conetur perpetuo dirigere faciem., & tunc præcedente vnctione, cum plumiceolis leniter ligetur directa facies.

Secundum: jugis ablutio faciei cum decocto aceti ℔. ß. ſynapis drag. j. ad iij.

Tertium: gargariſmata, & errhina, vertiginis; peculiare errhinum eſt, ſucci anagalidis ʒ. j. nucis myriſticæ puluerata ʒ. j. ſugatur, mox illinatur intra nares.

Quartum: ablutiones, & vnctiones paralyſeos, ſed ſi tortura oriatur ab ſpaſmo præcedat vnctio leniens fœnu græci, ſeminis lini, butiri, aſſungiæ anatis, medullæ cruris vacini, olei amigdalarum dulcium aña ℥. ß. nucis muſchatæ ʒ. j. cum cera. Vel miſceatur æſipus, cum reſoluentibus ſcilicet galangæ ℥. j. zinziberis, nucis muſchatæ aña ʒ. j. olei caſtorei, & vini albi aña ℥. iij. ad conſumptionem vini, cum cera, & æſipi ℥. ß.

Quintum: caro rapacium cocta trita calida, cum oleo nardino imponatur.

Sextum: Suffitus faciei frequens ex decocto camomillæ, ſtæchados, calaminthæ, majoranæ cum lapidibus ignitis.

Septimum: electuarium ex ſemine juniperi, & melle ſumatur quotidie ℥. ß.

CAPVT XX.

De Conuulſione.

ADuerte primò: de ſpaſmo ex repletione eſt multo velocior, tam periculoſior, quam paralyſis, maxime ſi ſunt duo ſimul, quæ ſpecies vocatur rigor, vel tetanus fere interimēs intra quartū ex 5. aphor. 6. quare victus conuenit tenuiſſimus

vt in paralyſi, vacuatio tamen tardanda non eſt, imò nec permittenda ſemper concoquentia, ob imminens periculum, localia autem ita varianda ſunt, vt biduo imponantur emollientia, reliquo biduo reſoluentia, ob craſſitiem humoris, frictiones cum linteis calidis, & manu ſemper frequentandæ ſunt, & cum pellibus vulpinis, aut lupinis adhuc calidis membra contegenda ſunt, cucurbitæ verò ſiccæ, ſi materia pauciſſima eſt, commode imponuntur finibus lacertorum, ad calefaciendum, & euocandum ſpiritus ex Auicena. Si verò humor copioſus eſt, vel abſtinendum eſt ab illis, vel ſcarificandæ sũt, ne humor tractus magis lædat. Rigor qui aſſeritur acutiſſimus ab Hippocrate, intelligitur occupans totum corpus, particularis enim, nec tenuis eſt, nec acutus.

Aduerte ſecundò: de ſpaſmo ex inanitione. Intentio eſt alere cibis ſubſtantifice, & qualitatiue humectantibus, facilis coctionis, & penetrationis in anguſto ventris, propter denſitatem contractam quales ſunt ſequentes.

Primum, oua ſorbilia, vel tremula, aliquantum magis alentia, & morantia in coctione.

Secundum, addunt recentiores vinum valde lymphatum tenue, non antiquum, odoratum, quod per horam ante potum permiſceatur cum aqua cocta, & refrigerata.

Tertium, aqua carnis multiplex, vna eſt ex gallina parum cocta in plurima aqua, cum lactuca, & ſeminibus cucurbitæ conteratur, & poſt integram coctionem per linteum colletur, & præmatur.

Alia: in olla noua operta, & illita cum maſſa, fruſta gallinæ, dempta cute, propter pinguedinẽ immittatur, ſupra fruſtos ligneos pendula in cacabo bulliente per horas tres, cum aureis decem, aperto operculo liquor exiens ſumatur. Alia: corpus maceratum per diem in vino, tritum in clybano diſtilletur, & addito luteo repente reficit. Alia: fruſta panis, hœdi, & gallinæ mittantur in alambicum additis aqua roſarum, bugloſæ, acetoſæ, pulueris diamargaritionis drag. j. panis auri.

Quartum, ptyſana ſimplex, cum carne teſtudinum fluuialium prius lota cum lixiuio, deinde cum aqua roſarũ, eo quod deſunt nobis cancri fluuiales Gallorum, & teſtudines nemorales Inſularum.

Quintum: lac aſininum, vel muliebre, vel ſaltem caprinum exceptum in vaſe, in quo infundatur calidum, & laneo operimento adhuc calidum potetur, cum ſacharo puluerato.

Sextum, balneatio in tepida, vſquequo intumeſcat corpus & ſtatim exeat antequam intumeſcat, quare ſit præſens medicus, & præſtat ſi in ſacculo addantur violæ, flores nymphææ, hordeum fractum, folia ſalicis. Præſtat adhuc ſi addatur lac, & magis ſi eſt balneum olei, quando non timetur calor ejus.

Septimum: vnctio ſpinæ dorſi bis in die horis temperatis olei violarum, & nimphææ aña ℥. j. & ß. lauentur ſæpe in frigida, adde aſſungiæ gallinæ, anatis, medullæ vituli aña ℥. ß. mucilaginis pſilij, tragacanthi, gumi arabici ℥. j. cum cera alba.

Octauum, reſtaurantes panes cineritij ex carne teſtudinum cum ſacharo, & amigdalis, & oua ipſa teſtudinum, & pulpæ eorum cum gallina cocta.

Nonum, pulli albi nutriti cum lacte, & farina hordei.

Aduerte tertiò: in non proportionata ad materiam. Primum ſi ex vulnere eſt, mittatur vulneri therebentina, cum luteo, & ſuperponatur althea calida cocta, cum roſacea, ſpina vngatur cum amigdalino, & ſæpe mittatur æger in tinam olei.

Secundum, ſi ex morſu venenoſo, intra duas horas repetatur bis cucurbita in loco morſus. Vel gallus, cum ano deplumato ſupra morſum, & ſi gallus moritur bonum eſt.

Tertium, ſi ex frigore eſt, ſolum vnctio ad ignem cum anethino ſanat.

Quartum, ſi ex dolore, ſtupæ cum roſaceo, luteis, & lacte. Vel panis calidus infuſus lacte, additis luteis duobus. Validius eſt, ſi addantur opij gran. iij.

Quintum, ſi ex conſenſu ventriculi, ſæpe ſanatur vomitu ex 1. aphor. 1.

Sextum, si ex flatu (vulgo cambra) frictione perpetua, & clisteribus resoluentibus simul, cum vnctione conuulsionis materialis.

Remedia Conuulsionis.

PRimum: vnctio in conuulsione ex repletione. ℞. styracis liquidæ ℥. j. olei linini ℥. ij. euforbij castorei aña ℈. j. ceræ quod sufficit.

Secundum: vngatur ex terebentina cum aqua vitæ. Vel imponatur sacculus ex fænu græco cum sale.

Tertium: post purgationem, concilians robur neruis, ℞. menthæ, saluiæ, betonicæ aña m. ß. gariophylorum, piperis, cardamomi, galangæ aña ʒ. ij. radicum consolidæ, calami aromatici, enulæ, aña ʒ. ß. rosarum rubrarum m. j. contundantur radices, & cera suauiter, & bulliant omnia in sufficienti vino albo odorato, ad tertias collato, & expresso adde anethini ℔. j. bulliant ad vini consumptionem, in fine adde euphorbij puluerati drag. ij. croci ℈. ij. Finis.

CAPVT XXI.

De Catharro.

ADuerte primò: de victu catharrosorum præcepta. Primum aëris immoderantiæ summopere cauendæ sunt propter mollitiem, & debilitatem cerebri aptissimi vt lædatur; in lib. de phleb. 8. tum quia aër accedit ad cerebrum, tum quia catharrosi peculiariter habent cerebrum debile, multo autem magis fugienda est frigiditas, cum præcessit calefactio. Nocturnus aër omnino caueatur, quare nec per æstatem aperta fenestra dormiendum est, & perpetuo ante solis ortum surgendum, quædam aliæ cautiones eleganter traduntur à Celso lib. 1. cap. 5.

Secundum: inter cibationes, nec edendum, nec bibendum

eſt, & à ſurrectione ad prandium intercedant horæ ſex; à prandio ad cænam octo, poſt cibum quatuor horis quieſcat animo, & corpore 1. aliment. 1. commode adhibetur lotio capitis ſingulis ſeptimanis, ex cephalalgia pituitoſa, & ſi fieri poteſt caput nunquam veſte velandum eſt, Celſ. lib. 1. cap. 4. Cæna autem omittatur, aut leuis ſit, a qua per horas duas, aut tres, vel ſtet, vel deambulet. Benefacit perpetuus vſus ſachari roſacei, potus autem in calida ſit decoctum ſeminis maluæ, vel aqua ſacharata, & retentio frigidæ in ore. In frigido autem catharro aqua glycirriſæ perpetuo, roſæ tuſæ, vel origani, vel mulſa, immodicus tamen potus perpetuo vitetur, quare etiam jura in cæna conferunt. In calido pultes hordeaceæ, & lac caprinum apud Auicenam; in frigido autẽ jus cicerum, & taluinæ, quæ fit ex lacte furfurum, cum lacte amigdalino injecto ſacharo, poteſtque conſtrui cum jure pulli.

Tertium: initio integra quies conuenit, ſicut in reliquis fluxibus, ita vt etiam ſternutatio, & clamor obſint. Nec obſtat, quod id curat Raſius initio per ſternutatorium; quia eſt cura tentatiua, quare conjectat catharrum pendere à leuiſſima cauſa.

Quartum: ſomnus ſicut cibus, & potus, vt pote humectantia oportet eſſe pauciſſima. Abſtineat à cibo, & potu omnino die, ac nocte, & remouebitur; modus cubandi ex Auic. ſit demiſſo capite, ita enim minus aſcendunt vapores, & minus deſcendit congelatus humor, licet ante praue legeretur.

Aduerte ſecundò: catharri curantis incipientis præcepta. Primum, aliquando catharrus, & cauſa catharri conueniunt ſcilicet in frigido, qui caſus non infert dubitationem curanti; aliquando verò variant, quo tempore obſeruandum eſt præceptum traditum 7. meth. penultimo de compoſitis affectibus, ſcilicet vt incipiatur à cauſa, vel ab eo ſine quo non; vel ab vrgentiori, inter quæ tria vrgentius habet majorem vim.

In principio ergo catharri, quando catharrus, & ejus cauſa pugnant, maior intenſio habenda eſt ad cauſam, non ſolum quia

quia causa est, sed etiam quia tunc nihil magis vrget, in processu autem major intensio est ad catharrum. Si ergo causa catharri fuit externum frigus citra plenitudinem, linteus valde calidus repetitus sanat. Si verò causa fuit çalor externus, imponatur frigidum aliquod, sed docente Mesue sit frigidum potentia non actu, vt rosaceum tepidum, timetur enim ex actuali frigore, ne humor qui incipit concrescere in capite, magis çoaguletur, & descendat.

Secundum præceptum: in initio adhibenda sunt sistentia excessum fluxus. In calido diapapauer, & violaceus; in frigido mirtinus cum melle rosato collato.

Tertium: cauendum est à validis reprimentibus ante integram vacuationem, in omni enim fluxu talia induçunt noxas insanabiles propter vehementiam fluxus retenti.

Quartum: securissima sunt diuertentia fluxum, & magis summam diuersionem, modice vacuant lotiones, & frictiones extremorum, multo tamen validiores in frigida causa, propter timorem agitationis; & clisteres in calida refrigerantes, in frigida calefacientes.

Quintum: phlebotomia sæpe causa est catharri, propter motum sanguinis effumantis 4. 1. 20. Quare cum timetur effumatio commode præbentur potandæ statim à phlebotomia aquæ endiuiæ ℥. vj. Conuenit tamen phlebotomia in catharro in casibus tribus explicatis à Mesue, Auicena ait minimè conuenire phlebotomiam catharrosis, vbi non jungitur tussis; maxime conuenire, vbi jungitur punctio mamillarum. Minoratiuum autem perpetuo conuenit apparente quauis coctione,

Sextum: vbi impetus fluxionis est maximus, ex quo multi intra diem pereunt, prouideatur respirationi difficili per frigidum aërem euentatum, omnino quiescat etiam à locutione, fumat papauerinum, cum aqua jujubarum, & diapapaueris, & si oportet pillulam opiatam. Ad dilatationem autem pectoris, imponatur sicca cucurbita modo pectori, modo spatu-

lis, & si oportet juxta dicta phlebotometur.

Aduerte tertiò: præcepta aucti catharri. Primum, si materia videtur non plurima, nec crassa, addantur diuersionibus dictis aliæ particulares à capite, per errhina quidem, cum fluit materia ad fauces; per gargarismata magis, vbi ad nares fluit.

Secundum: valent etiam tunc suffitus deobstruentes collatorium, in calido quidem ex decoctis violis, in frigido ex decocta majorana, &c.

Tertium: vt expurgetur valde tenuis humor, valet retentio in ore, & gargarizatio ex papauerino, cum rosaceo; in lento autem humore, cum oxymelite. Quod si judicatur materia relicta in cerebro, vel multa, vel crassa, purgandus est pituitosus cum pillulis cochijs. Biliosus purgandus cum pillulis sine quibus, cessante jam agitatione catharri, sequantur euacuationes particulares à capite.

Quartum: si omnibus peractis, adhuc defluxio durat, procedendum est cum sistentibus catharrum, non ante.

Remedia Catharri.

PRimum: in calido syrupi violati ℥. iij. pulueris diagarganti frigidi ʒ. j. paulatim lambatur. Aquæ autem in frigido sint decoctum vernicis thuris, nucum cypressi. In calido autem aquæ endiuiæ, & lac seminum frigidorum:

Secundum: minoratiuũ fiat in calido, cum ʒ. ij. pulpæ cass. in decocto fructuum. Vel cum manæ ℥. j. ß. in jure pullj. In frigido autem fiat cum ʒ. j. pillularum assagaret, vel mastichynarum.

Tertium: vbi humor concretus est in fronte, inducit dolorem, soluitur impositione sacculorum ex rosis, qui in calida mergantur, & vicissim expressi fronti imponantur sequenti tertio sicco. Valet autem ad coctionem catharri calidi, in introitu lecti potare drag. v. aquæ calentis, vel magis ptysanæ cum ℥. j. pænidiarum, in frigido autem sit lac furfuris.

Quartum : in quauis materia potissimum in salsa optime facit ad præcautionem, si ter in mense jejunus masticet, & deglutiat Rhab. drag. j.

Quintum: prohibet catharrum calidum frequens sumptio ℥. j. pulpæ cassiæ proxime ante cibũ, & si quotidie dormiturus paulatim deglutiat syrupi papaueris ℥. j. syrupi deglysirrisa ℥. ß.

Sextum: præseruat in frigido frequens sumptio bolli ex pulpa cassiæ ℥. j. pulueris hyeræ ʒ. ij. & ter in hebdomada deuoret dormiturus thuris gr. iij.

Septimum: pulueres inspergendi capiti dormituro, vernicis, majoranæ, rosarum, salis vsti aña, & magis perunсto sincipite, cum paucissimo mastichino calido. Validiora sunt emplastra siccantia ex cap. de polypo, & vesicatoria, & fontanellæ brachiorum ex cap. de cephalalgia varia.

Octauum: sistentia catharrum calidum, gargarisentur rosacea ℥. iij. camphoræ ℈. j. Vel suffiantur ex vernice in aceto infusa, & exsiccata. Vel ex ea, & sacharo, & sandalis cum rosaceo fiant lupini suffiendi. Vel detineatur in ore syrupi mirtini ℥. iij. bolli armeni, pulueris papaueris aña ʒ. j. Fortius est, pillula j. vel altera sumẽda dormituro, ℞. thuris, succi liquiritiæ aña ℈. j. mirrhæ, opij, croci, aña gr. j. cum rosacea fiant septem.

Nonũ: sistẽtia catharrũ frigidũ, gargarisatio cũ vino, decocti thuris, & vernicis suffitus paretur, ℞. thus, styrax cum pice fiant formulæ, vel ex puluere thuris, cum conserua rosarum lupini. Pomum odorandum, ℞. laudani, ligni aloes, aña ʒ. ij. ß. galliæ drag. ij. ambræ, ℈. ij. musci ℈. j. Vel exhibeatur dormituro pillula opiata dicta. Lauentur item brachia, & genua, cum calido decocto, & caput sacaletur ex thure, pulegio, origano, baccis lauri calidis.

De Electione aëris.

ADuerte quartò: inter sex res nõ naturales de vi, & electione aëris, ad morbos curandos propositiones. Prima, ex 1 de sanitat. 11. aqua, & aër non sunt alia alijs commodiora, sed

quæ

quæ puriſſima ſunt, & externæ mixtionis aliena, omni & ætati, & naturæ conueniunt apprime; præſtat autem puritatem illis, lux, flatus, abſentia externæ mixtionis. Quo fit vt juxta Oribaſium lib. 4. collet. cap. 5. loca aprica præſtent vmbroſis, & dies nocti, & aër villæ ſit commodior, quam vrbis ad appetendum, coquendum, ſentiendum. Aër enim vrbis licet ſit calidior; propter quietem aëris calefacti à ſole, eſt tamen multo craſſior, & ideo deterior; cauſa craſſitiei, quia non mouetur ventorum flatibus, cum ab omnibus impediatur, & quia bona parte ſui vmbroſus eſt, & propter plurimas, & prauas vrbis exhalationes.

Secunda propoſitio: multo potentius operatur aër in morbis pectoris, vel cerebri, vel totius; quia ad ea loca immediate accedit, & multo magis operatur in longis morbis, quia operatio aëris licet potens eſt, tamen paulatim, & magis immutat diuturnitate, quam vehementia agendi, ſecus quam medicamenta, quæ velociter imprimunt, morbi autem longi magis egent diutina, & lenta operatione, quam valida, & ſimultanea.

Tertia propoſitio: remedium aëris praui, ex Celſo lib. 1. cap. 3. & migratio ad illum, non fiat niſi hyeme, tum quia vis in hyeme magis valet ad repugnandum aëri prauo inſueto; tum quia grauis aër potiſſimum lædit æſtate, & autumno, nam frigiditas hyemis prohibet noxam ejus. Ob contraria verò à prauo aëre ad bonum ineunte æſtate migrandum eſt. Tacuinus autem in aëre epidemico docet perſeuerandũ eſſe cum habitatione in ſubterraneis, quia remota ſunt à commercio vagantis aëris, & potu poſchæ, & odore roſaceæ, & ſuffitu thuris cum ſandalis. Particulariùs autem traduntur remedia aëris praui, ab Auic. lib. de remouendis nocumentis.

Quarta propoſitio: agnitio ſalubris, aut inſalubris exhalationis terræ petitur ex indicijs quinque, apud Oribaſium lib. 9. collet. cap. 16. & 15. Primum, gleba terræ vbi humore madet, vel expirat, ſi verò terra praua eſt madefacta, expirat carbones extinctos. Vrbs ipſa mane ante fumos, & nidorem efflat ſuauem auram. Secundum, ſi quis humi cubat, leuior excitatur,

citatur, & cibi appetentior erit, somnus suauis citra somnia perturbantia. Tertium, plantæ omnes suauiter viridescunt calore suo saturatæ, placidæ, bene nutritæ cito maturescentibus fructibus, & odoratis. Quartum, infantuli, & catuli, floridi sunt, viuidi, & bene colorati. Quintum, frumenta, legumina reposita diu durant. Quod si exhalatio terræ grauis est, eligatur sublime tabulatum, nam crassities aëris subsidet. In regione verò salubri locus terræ vicinus commodat.

CAPVT XXII.

De Ophtalmia.

ADuerte primo: de victu præcepta. Primum: aër tenebrosus paretur pendente ante oculos pano serico nigro. Nam 1. de causis sympt. 6. spiritus visorius, vt pote modice tenuis ab vtraque immoderantia læditur, scilicet ab splendido rarefaciente, & à nigro incrassante. Succedit splendido album. Nigro verò, vel obscuro fuscum.

Quare maxime recreant sanos oculos medij colores, viridis, & cæruleus, quasi dicat, cæruleum, color sereni cæli (azulado.) Vbi verò ophtalmicus oculus à calida fluxione immodice calefactus est, recreatur non medio, sed externo colore nigro, sicut vbi offenditur splendore, bene habet clausione, quod à natura edoctum est.

Cur ergo non itidem oculus offensus diuturnis tenebris juuatur splendore, sed magis læditur, & exsiccatur 10. de vsu part. 4. Dic propter vehementiam agendi splendoris, nam 12. meth. 7. reductio ad moderatum, vt sit innoxia, oportet ne sit valde repentina.

Secundum: vestimenta ad collum angusta non sint, quia perpetuo ligatio propter dolorem, & expressionem concitat fluxionem, vltra partem ligatam, quo modo ligatura, supra cubitum mouet fluxum sanguinis ad cubitum, & cinctura

angusta in morbis hepatis obest.

Tertium: ex Auic. cap. 9. & 2. continent. pilorum prolongatio valde obest propter impeditam expirationem juxta adagium (*Se queres que o teu filho creça, tosquialhe a cabeça*) attonsi verò pilli conferunt trahendo excrementa adusta. Licet non credamus Auerr. 2. coll. 8. asserenti pilos animatos esse, & attractice facultate suggere foligines ad alimentum. Verum cum pili retineant poros distentos, benefaciunt ad facilem expurgationem foliginum.

Quartum: oculus non modo non tangatur, imò nec aliquid intueatur, nam simul cum spiritu humores ad oculum trahuntur, quare etiam sanum oculum claudat, quia ejus agitatio inquietat reliquum.

Quintum: somnus multis nominibus commendatur. Primò, quia est otium facultatis visoriæ, quare roborat, & non exhaurit spiritum. Secundò, quia humor in somno quiescit. Tertiò, quia tunc humor introrsum, non extrorsum repit. Quartò, quia sic magis coquitur humor. Quintò, quia somnus narcoticus est. In declinatione vigilia ad resolutionem benefacit, si homo sit capite plurimum eleuato, & supra læsum oculum 2. continent. supra sanum hic, supinus autem apud Haly.

Dic: cum quæritur resolutio, semper acubitus confert supra partem ægram, fluente autem humore supra oculum sanum, & supra dorsum magis, eo quod citissime communicatur fluxio oculo sano.

Sextum: cæna aut omittatur, aut paruissima sit. Nam apud Haly 1. pract. cap. 13. vnum malum est in cæna magna, quia nocet oculis propter continuitatẽ vueæ cũ tenui membrana cerebri. Acida autem reprobat Auic. cum Mesue, Rasis laudat, intelligantur priores de valde acidis mordentibus membranas oculi. Posterior autem de remisse acidis conferentibus, ad reprimendum, & extinguendum. Dulcia verò reprobat hic Rasis, quia in moderato calore augent sanguinem, in valido verò bilem,

bilem, qui duo humores abundant in ophtalmicis.

Aduerte secundò : de vacuatione præcepta. Primum, quomodocũque permisceatur sanguis, incipiendum est à phlebotomia, eo quod timetur inflammatio oculi, non solum propter nobilitatem suæ functionis, sed etiam quia propter nimiũ sensum, & exiguitatem membri timetur vlcus, aut ruptura, qua etiam de causa large phlebotomandum est, & extrahendum ℥.x. & conandum vt eadem fiat secundatio propter causam explicatã 3. techni. Nam apud Auic. 3. 3. cap. 9. immissio sanguinis plurimi sanat in hora, & Galenus de phlebot. 17. ad horam diei 4. extrahit ℔.iij. & rursus ad horam 9. ℔. j. Quod si sanguis immodice tenuis est, præstat præsumere incrassans papauerinum, & jujubinum, ne ebulliat sanguis propter phlebotomiam; succedant autem phlebotomiæ cæphalicæ, aliæ magis particulares à capite per sectam venam, tunc cucurbitæ, & hyrundines.

Secundum: sequatur ad phlebotomiam purgatio, sed leniens tantum, vt pote in inflammatione membri, & ea calida. Verum ex præcepto Galeni 4. acut. 76. purgatio exoluens adhibetur, vel sedata jam agitatione, & humore concocto, vel vbi res valde vrget, statim in principio primis duobus diebus antequam humor in parte figatur, in quibus temporibus exhibendum est moderatum solutorium 2. acut. 11. & talis casus intelligendus est 13. therap. 15. vbi incipientem ophtalmiam vnica die purgatione sanat.

Tertium: omne genus remediorum adhibendum est, tamquam in morbo difficili, potissimum autem ex continent. 2. in antiquis ophtalmijs conferunt post vniuersales vacuationes particulares capitis per erhina, gargarismata, masticatoria, aurium perforationes, setones, hyrundines circa oculos, in temporibus, in naso, retro aurem, demum cauteria in conjunctione capitis, aut coronalis.

Quartum: ex 13. therap. vlt. inuestiganda est causa perpetui fluxus, & per contrarium emendanda est, itaque si causa

est frigiditas, & humiditas synapismo curetur; si calor frigorifi-cis ex cap. de cephalalgia calida. Si verò quod frequens est, causa fuerit imbecillitas vasorum cerebri, parua quidem vasa secētur, magna verò vbi prius vtrinq; ligata fuerint, ex toto præscindantur, vel quod magis placet Nicolo cauterisentur; estque remedium vehementissimum, cum fluxio fit per externa vasa; cum verò per interna, prodest, partim ob communicationem internorum vasorum, cum externis, partim ob defectum alimenti oculi, quare residuum poterit concoquere. Considerandū tamen est, ne ejus longo tempore apertio cōseruata, reddat oculum minorem, ob atrophiam: Auicena addit non esse exequendam hanc curationem, nisi cum reliqua non contulerint, & post sufficientem vacuationem, & cum dolor capitis sedatus est.

Aduerte tertiò: de applicatione remediorum ocularium præcepta. Primum, valde pensanda sunt, tum propter operis nobilitatem, tum quia ob summam mollitiem facillime effunduntur vulgo (*olhos maos, &c.*)

Secundum: imponantur remedia actu frigida, sicut in auribus actu calida, nam propter pinguedinem multam, & conuersationem cum aëre externo, non offenduntur à frigido, & à calido mouetur fluxio in membro nobilissimo. Nam & in sanitate, oculi nunquam rigent 1. poblemat. 22. cum aures facile refrigerentur. Præterea spiritus visorius, ab oculo propter raritatem facile exhalat, quare frigida conferunt retinendo spiritum, & non indigent medicamenta actuali calore, ad penetrationem, cum oculi sint nudati cute.

Dubitat Matheus, quare fomenta oculis calida imponuntur, & lac ab vbere calens. Quare explicat sententiam Mesues de conseruanda sanitate tantum, ad quam Mesues addit: siue morbus sit calidus, siue frigidus, fomenta verò quæ extra imponuntur totis oculis, modice calida aplicantur, quæ verò infunduntur etiam ad resolutionem, & in morbis frigidis, actu frigida præcipiuntur. Laç verò calens ab vbere infunditur, ne vitietur.

Ter-

Tertium: ex lib. de medicatrina 9. & 10. in affectibus oculorum, æger curandus est, non ad lucem, ne oculus offendatur, non à luce, ne fugiat nos effectus, sed ad lucem, id est oblique.

Quartum: timenda sunt quæ lentore participant, aut crassitie, nam talia, vel cum dolore extrahuntur, vel remanentia putrent, oculus enim propter immodicum sensum, & raritatem 4. local. 2. facilime patitur. Quare omnia mordacia fugienda sunt, scilicet quidquid valde adstringit, vel abstergit, vel acre est, vel acidum, vel salsum lib. cit. 1. & 4. oportetque fere contentum esse insipidis à terrea substantia, siccantibus, redactis ad exactissimum liuorem.

Quintum: lippa ex Ras. 9. continent. abstergatur, nam tollitur grauans, & fit perspiratio, & paratur locus actioni medicamenti, cum cuspide radij inuoluto cotto, & madefacti in rosacea in principio, in augmento autem in aqua sachari, sed in declinatione cum cotto sicco; lippa autem infestans citra ophtalmiam breuiter cessat, si dormiturus lauerit faciem, & oculos cum poscha.

Sextum: dolentium oculorum remedia vniuersalia proponuntur 6. aphor. 31. Vini potio, balneum, vacuatio, scilicet in repletione totius, vel capitis; balneum in acredine humorum citra repletionem corporis, & hoc vel vniuersale, vel particulare, quod fomentum vocatur; vinum in crassitie sanguinis in oculis obstructis, sit autem vinum meracius, cum paucissima aqua, apud Aët. post horas tres à cæna leui dormituro exhibitum, apud Auicenam, & Galenum 6. eped. sect. 6. tex. 5. tale enim in totum aufert dolorem, & hemicranium, & quemuis alium à frigore ortum, vel ab obstructione, non præsente plenitudine.

Septimum: in ophtalmiæ principio conueniunt lenientia asperitates, abstergentia acrem fluxionem, temperantia fluxi humoris acrimoniam, oui liquor, lac, mucilagines, oui liquor valde merito receptissimus propter causas 17. therap. 21.

qui

qui si conferatur ad metallica ellota, tutiã, & cærusam, minus illis emplasticus est, plus tamen illis lenit, & diluit acrimoniam 4. local. 1. sect. 2. Quod ergo sect. 7. in fine legitur oui liquorem in totum carere vi abstersoria, intelligitur ex facultate propria abstergente, lauat tamen magis, quam metallica illa ex modo substantiæ humidæ, lac verò instilletur ab vbere tepidum, juuenculæ, boni succi, lactantis fœminam quam gestauerit, à tertiò mense partus vsque ad annum, innoueturque quauis hora, ob facilem corruptionem, tale enim magis concoctum frigidius est, apud Auic. cap. proprio, & Galenum 4. local. 2. Si verò hæc duo remedia inter se conferantur dixit Galenus citat. lac magis mitigare dolorem, ob majorem lenitatem butyri, & quia magis ex sero abluit, minus tamen infrigidat. Quare in magno dolore præstantius est ouo; mucilagines autem simul dolores leniunt, & maturant hoc ordine, apud Auicenam 9. Primus locus in humore valde mordaci est mucilaginis psylij; proximus mucilaginis seminis citoneorum, tertius, seminis fœnu græci, non modo lauantis, & maturantis, sed & resoluentis; valida autem adstringentia, vel emplastica in initio non conueniunt, nec in oculis, nec in fronte. Causa prima vniuersalis est, quia corpus plenum non recipit 3. tegni, alia causa particularis est, quia timetur, ne retenti acres humores inducant distentionem, dolorem, & vlcus. Adde quod corpore pleno adstringentia oculis instillata exprimunt humorem ad opticos, cum periculo cæcitatis, frontalia verò adstringentia exprimunt ad oculos.

Octauum: in augmento, apparente, jam lippa aliqua, addendum est dictis decoctum camomillæ, meliloti, aut fœnu græci, aut puluis tenuissimus candi, & collyria dicta monachera, quia intra vnam diem sanant, & frontalia adstringentia.

Nonum: in statu, conueniunt fomenta, ex decocto rosarum, melliloti, fœnu græci, si aut dolor modicus est bis aut ter in die, sin aliter quater 4. de locis 2. Nam in repertis fomentis, & similiter in balneis periculum est de plenitudine partis,

partis, conuenit tunc permixtio medicaminis ex pari adstrictione, & resolutione: sicut in declinatione oportet dominari resolutionem.

Decimum: si in statu, ophtalmiæ dolor rursus exacerbatur citra causam manifestam, suspicio est de errosione corneæ, quare illi prospiciendum est peculiaribus remedijs.

Remedia Ophtalmiæ.

PRimum: in ophtalmia calida, in prima die mittantur in oculum sexta quaque hora guttæ tres albuginis contussæ cum rosacea, & clauso oculo imponatur cottus in eadem imbutus, & linteus similiter imbutus, & expressus complectens totum oculum, & partes vicinas, alligeturque capiti, non laxe, sed citra dolorem. Si verò jungitur immodicus calor, in ℥. ij. rosaceæ adde camphoræ gr. ij. si dolor magis vrget extrahatur in rosacea calida mucilago psylij, si verò major est acrimonia, extrahatur mucilago seminis papaueris albi, & cottus imponendus infundatur lacti, cum paruo rosacao, vel medulla pomi asli, vel violæ coctæ, cum rosacea tritæ, vel caseus recens, non salitus cum folijs apij. Vel luteus assus tritus, cum croco, & rosacea. Validius: folia hyosciami assa cum luteo. Vel decoctum papaueris, cum liquore oui.

Secundũ: in calida ophtalmia, die secũda coquantur in aqua plantaginis, rosæ, myrthus, camomilla, fœnu græcum, & lintei sæpe duplicati, macerati in dicto liquore imponantur oculis, & innouentur antequam arescant. Vel aqua albuminis contracta cum lacte muliebri. Vel si dolor vrget collyrij albi, cum opio ʒ. j. in albuminis liquati ℥. ij. Item frontale occupans tempus dolens, rosaceæ ℥. iij. aceti ℥. j. albumina ij. bolli armeni ℥. j. permisceantur. In minori autem calore, rosarum, sanguinis draconis, bolli armeni aña ʒ. j. cum albumine imposito, toto triduo non auferatur; & infestantibus vigilijs adde frontali opij gran. v. Aliud frontale Galeni: cocleæ integra,

gra, cum albumine tritæ, vel thuris, vel foliginis gr. ij. cum albumine.

Tertium: in calida ophtalmia die tertia, collyrij albi, fine opio ʒ. j. rofaceæ ℥. ij. extra autē tollit dolorē linteolus butyro madefactus oculis impofitus 4. loc. 8. fect. 2. poft quartū adde farcocollæ tritæ in lacte mulieris ʒ. j. croci, fpica aloes lotæ aña gr. vj. cum aqua fœniculi, poteftque addi aliquid rofaceæ, exterius autem cottus in decocto rofarum, meliloti, fœnu græci, cum aqua, & vino.

Quartum validum reprimens Traliani: in calida difficili tutiæ lotæ, poft aduftæ, & extinctæ in lacte ʒ. ij. cerufæ lotæ ʒ. j. & fcoriæ ferri ʒ. j. dragacanthi, gummi arabici aña ℥. j. opij ℈. j. cum aqua pluuiali.

Quintum: in initio frigidæ imponantur remedia calidæ augefcentis. Vel colyrij albi ʒ. j. fpicæ croci aña gr. v. cum aqua rofarum, & mirthi, fupraponatur autem cottus in decocto rofarum, & mirthi: in proceffu infundantur farcocollæ ʒ. j. rofarum, croci, amyli, tragacanthi aña ʒ. j. & in decocto cotti addantur fpicæ, & fœnu græcum modicum.

Sextum: decoctum finiens dolores, in declinatione applicitum in fpongia. Bulliant in aqua fœniculi, meliloti, fœnu græci aña manipulum j. rofarum m. ß.

Septimum: fi orta eft ex percuffione, abfintium calefactum fæpe applicetur, vel ceratum calens, ex cera, rofaceo, puluere cymini. Si verò ex frigore orta eft, fuffiantur oculi decocto lauri, & cum eodem lauentur.

De anno inconftanti.

PRimò definitur annus conftans in lib. de aëre, & aqua, & 1. epid. 1. initio. Incipiēte autūno pluit, & venti frigidi cōfpirant. Sequitur hyems, nec valde procellofa, nec ferena. In vere aliquantæ pluuiæ defcendūt, & moderātia aëris adeft. In æftate calor, & ficcitas abunde increfcunt, fed ante ortum canis, auftri, qni prodiomi, aliter prodioni, id eft percuffores appellā-

tur

tur pauci flant. Post ortum canis fere perpetui aquilones, quos vocant ethesias, id est annales, vel anniuersarios, quia fere cum legem obseruant 3. epid. sect. 3. tex. 6. & pluuiæ respondent proportione ethesijs. Causam autem eorum docuit Aristoteles 2. meteor. 5. eo quod sol transacto solistitio æstiuo (10. Iunij) liquat glacies aquilones, & excitat anniuersarios, sicut sol pomeridianus magis calefacit, quam ad meridiem, & quia nocte cessant illi venti, ideo feruidiores sunt noctes, quam dies æstatis. In tali auté anno, sicut fructus terræ tempestiui redduntur, ita morbi pauci fiunt, & hi constantes respondentes naturæ temporis, & boni judicij, idest non interimentes, non recediuantes, nec cum prauis symptomatis criticantes 3. aphor. 8. De ventis autem dictis Plinius lib. 2. cap. 27. verum licet in multis conueniat annus ferax, & salubris, vel constans, non tamen in omnibus, nam loca palustria feracia sunt, eadem tamen valde insalubria. Vulgo definitur annus ferax: *Ianeiro geoso, Feuereiro neuoso, Março escadorçoso, Mayo ventoso, faz o anno fermoso.*

Secundum: num præstet annum offerre mutationes dictas, an præstet offerre æqualitates temperamenti per totum. Dic: ex Galeno 3. de temp. 4. melius foret annum totum esse temperatum, saltem sit bona sui parte temperatus. Verum plane ita foret, si reliqua in orbe inferiori temperata forent, quia verò sunt, vel contraria, vel ex contrarijs constantia, præstat ad conseruationem contrarietas illa æquata, & sibi ex proportione respondens in aëre sicut, & reliquis. Quare hoc solum colligit Galenus præstare annum, vel totum, vel magna ex parte esse temperatum, quam valde intemperatum.

Probatio assumpti: nam hyeme roborantur, & crescunt radices stirpium, & viscera animalium, quæ proportione radicibus respondent, in æstate verò fructus, & artus quorum neutrum æque fieret, ab immoderato calore; sic vicissitudo diei, & noctis, somni, & vigiliarum, accessus, & recessus solis commodissimi sunt, requirunt tamen ea contraria, ad sanita-

tem duo. Alterum, vt respondeant sibi proportione, sicut elementa in mundo. Alterum, vt mutationes non ex longissimis interuallis sucedant, ideo præstat, nec dies, nec noctes esse lõgissimas, vt sub æquinoctiali, vbi noctes pares sunt.

Octauo: mutationes reddunt locum fertiliorem ex lib. de aëre, aqua ad mediũ, in Asia minori propter paucam inæqualitatem temporis, stirpes, pecora, & homines pulcherrima, & fœcundissima sunt, vnum enim intemperamentum diu durans valde intemperat, nec tamen oportet mutationes illas simul jungi, vel ex paucissimis interuallis succedere, nam ex lib. de humoribus, aër cum valde sensim mutatur, sicut & ætates, & naturæ, annus est salubris, si verò repente morbosus.

Dic 2. aphor 52. & 6. epid. 27. & 3. aphor. 1. ideo insaluberrimum tẽpus est, & pestis nuntium, quando sol cum nubibus permiscetur, quod in insula S. Thomæ apparet, & aperienti se soli caput committendum non est, apud Celsum lib. 1. cap. 2. & flumen inter solis cursum, & vrbem præterlabens, locum reddit insalubrem, quia licet præstet excessum vnum anni cito corrigi sequente contrario temperamento, ita tamen sequi oportet, vt in corpore, & capite non asseruet recrementa, vel jam asseruata liquet, qua ratione autumnus, ob breuissimas mutationes partium diei redditur noxius.

Tertius: maxima aëris mutatio ex solis accessu, & recessu petitur, vnde quatuor tempora gignuntur, æstas quidem calida, & sicca, non solum collatione aliorum temporum, sed simpliciter, id est collatione temperamẽti hominis, sicut hyems frigida humida, ver in vtrisque temperatum, in passiuis verò ad sicum inclinans. Quo fit vt inter ea tempora ver sanissimum sit, ob tẽperiem humoris, quẽ gignit, & quia extra trahit quæcunque vitia quæ in profundo corporis latent, & quia excipit corpus bene habitũ, & robustũ ex hyeme, Autũnus verò omniũ pessimus. Prima causa, quia asseruat pessimum humorem atrabiliosum, vstos humores, & sæpe etiam ob esus fructuum, & olerum etiam prauos, sæpe etiam excipit vires per æstatem

debi-

debilitatas. Quarta, inæqualitas magna partium diei, si conferatur meridies, ad duo crepuscula.

Diuisio autem horum quatuor anni temporum 2. 1. doctrina 2. cap.3. apud astronomos solum ex motu solis petitur. Quare numerant ea æqualia, tribuentes cuique tempori tria signa, quia non considerant mutationem, quæ in corpore humano à tempore fit, sed solam varietatem quatuor punctorum Zodiaci. Medici autem cum videant temperaturas dierum variari, non solum sumum situm solis, sed etiam summum exortum, & casum magnorum syderum, & quia considerant impressionem aëris in corpus humanum; tempora autem anni in quibus experimur aërem temperatum breuiora sunt, quã in quibus intemperatum, constituunt quatuor anni tempora valde inæqualia, & determinant quoduis illorum, per diem exortus, vel occasus alicujus magni syderis. Videlicet, opinabãtur Hippocrates, & Galenus 1. epid. com. 1. & lib. de septimanis, & 3. aphor. 14. Oribasius cap. 8. lib. 9. octauam sphæram esse immobilem, quare cum suo tempore oriretur arcturus 12. dies ante æquinoctium autumnale, opinabãtur perpetuo sic orituru͂. Ptolomeus verò cum posterioribus astronomicis reperierunt in octaua sphæra motum trepidationis, quo fit vt descriptiones temporum, ab antiquissimis Medicis traditæ, nostro tempore non paruam varietatẽ recipiant. Scilicet initium veris describitur illis æquinoctium vernale, finis autem ortus virgiliarum incidit æquinoctium vernale in 11. Martij nobis; ortus autem virgiliarum in 24. Aprilis, cum Galeni tempore virgiliæ orirentur in 1. Maij. Quare ver nostrum continebit dies 45. æstatis verò initium est Aprilis dies 25. finis autem ortus arcturi qui oritur in die Septembris 17. suo autem tempore in 1. Septembris, quia continet nostra æstas menses quatuor, dies 23. Autumni verò initium est Septembri die 18. finis autem occasus virgiliarum, incidit is occasus nobis ad diem Nouembris 7. suo autem tempore ad initium Nouembris. Quare continet autumnus noster dies 50. initium hyemis est dies Nouem-

bri 8. finis æquinoctium vernale. Quare continet hyemis nostra menses 4. dies 4. Arabes verò temporum diuisiones citra has difficultates constituunt ex sensus experientia.

CAPVT XXIII.

De Vlceribus oculorum.

Incipit, Cum in oculis,&c.

DE duobus affectibus oculorum simul tradit, eo quod vnus sequitur ad alterum. Primum, vocant phictenam, nostri verò pustulam, Auicena vesicam. Alter est vlcus corneæ, quod ad pustulam sequi solet.

Aduerte primò: curandarum pustularum præcepta. Primum, distant hæ affectiones, ab ophtalmia dupliciter, primò, quia cum hic afficiatur cornea, quæ à dura membrana, sub caluaria oritur, in ophtalmia verò afficiatur conjunctiua orta à pericraneo, frontalia,& vasorum sectiones crebriorem locum habent in ophtalmia, quam in pustulis; alterum discrimen, quod in opthalmia, ob mollitiem conjunctiuæ fere speratur resolutio, hic ob duritiem corneæ sæpe maturatio.

Secundum: non est properandum ad collyrium de thure Rasis suppurans, sed aliquando properandum in cieph albo, cum mucilagine seminis citoneorum,& fœnu græci,& cottus in eadem mucilagine, cum rosacea alligetur oculo, vt compressione sua prohibeat exitum oculi, & si pulsatio procedit perseuerans, fiat permutatio ad collyrium de thure reminiscentes, ex Rasio hic, quod si forte pustula est magna è directo pupillæ, fugiantur suppurantia, & substituatur reprimens vocatum à Rasio elcisir, satius enim est, quod reprimatur, resoluaturque si fieri potest, vel saltem, quod suppuratio introrsum mandetur, quam quod oculus procidat.

Tertium: si pustula aquosa est post purgationem cum turbith,

bith, in aqua fœniculi infundatur tutia, antimonium, ſcoria æris, tragacanthum, ſi adhuc durat perforetur cum acu.

Quartum: ſi puſtula rubra eſt, primum, lac inſtilletur, poſt ſanguis columbæ, aut turturis calens, extra verò pomum aſſum cum roſacea.

Quintum: ſi puſtula cancroſa eſt infundatur collyrium album opiatum cum lacte, extra verò luteus cum roſacea, ſi verò malum ſerpit intro, etiam vſque ad cerebrum, euellatur oculus, & cauterizetur locus poſt exitum multi ſanguinis.

Sextum. in vlcere præſtantiſſimum eſt collyrium de plumbo. Raſis cum lacte, vel cum ſyrupo roſato, & tandem eleiſir ad cicatricem inducendam, reliqua curatio, & victus ex ophtalmia petenda ſunt.

De anno inconſtanti propoſitiones.

PRima: vbi pars anni deuiat à ſuo tẽperamento ad quãtis qualitatẽ, incipit humorum proportio corrumpi, quod ſi ſequens tempus, & magis etiam tertium deflectant à ſuis temperamentis, multi morbi generantur. Poſt diſcurſum verò duorum temporum exemplum eſt in omnibus ſtatibus lib. epid. Galenus 1. epid. 2. 3. aphor. 1. docet cum hujuſmodi mutationes occupant multa tempora, morbos gigni epidemicos, vbi hujuſmodi lapſus reperiuntur in vno tantum tempore, non gignuntur, niſi lapſus valde magnus ſit; nam 1. epid. ſect. 2. tex. 5. ſi vnum tantum tempus deflectit à ſuo temperamento, multis eſt remedium, ſcilicet contrarie temperatis. Nam bilioſa natura per æſtatem aceruat bilem immoderatiorem, quod ſi ſequatur autumnus frigidus humidus, temperatur, ſi calidus ſiccus, protinus ægrotat. Quare lapſus vnius tantum temporis, quandoque ſufficit gignendo morbo epidemico. Lapſus autẽ portionalis vnius tẽporis minimus nõ poteſt. Quidam verò, inter quos videtur Ariſtot. 1. prob. 2. interpretantur Hippocratem de mutationibus, id eſt de ſucceſſionibus temporum, in quibus ob mutationes, etiam ſi paulatinas

magis morbi gignuntur, quam in medio, vel fine temporum. Quare lib. de aëre, & aqua præcipitur, vt caueamus hujusmodi mutationes temporum, solistitium scilicet, & æquinoctium, & 6. epid. sect. 3. 27. vt in quauis mutatione temporum nos domi contineamus, ideo aër vespertinus ad noctem incommodat; sed cur sic non vitatur aurora. Dic: in die autē terra nubila vitatur commode, quia respondet is aër crassitie, & permixtione vespertino, in reliquis æstatibus non incōmodat, quia est mutatio paulatina ad aërem purum, lucidum, solari vi roborantem innatum calorem, & præstat, vt calor diurnus paulatim accedat, vnde terræ suscipientes solem exorientem, fæcundiores sunt, quam quæ suscipiunt illum meridianum, à quo exuruntur repente. Hanc sententiam etiam Galenus recipit tanquam veram, licet non putet esse germanam mentem aphorismi, sed prius relatam, nam mutationes, id est successiones temporum, non maximè gignunt morbos, sicut enim quosdam gignunt, ita & etiam nonnullos soluunt 3. decret. 7. posset tamen infirmari hæc ratio Galeni, si verbum maximè, referatur ad medium, & finem cujusuis quadræ.

Secunda sententia juxta 3. aphor. 15. ex anni constitutionibus inconstantibus, siccitates imbribus præferuntur, salubrioresque sunt, quia pluuiosus annus asseruat plurimi recrementa in corpore, & ea parat putredini. Sed cur non distinguit Hippocrates per actiuas qualitates, quæ magis immutant. Dic: simpliciter magis mutant actiua, ideo climata penes illa distinguntur varia; sed in vno loco major differentia anni eueniens per pluuium, & serenum, quam per varietatem actiuarum. Sed quomodo est salubrior sicca constitutio. Dic: quia in ea pauciores ægrotant, num autem sumpto numero pari morborum, sint periculosiores morbi humidæ constitutionis. Dic: in ea adest copia excrementorum, & major putredo, in sicca verò calor acrior est, quare in sicca constitutione morbi erunt breuiores, juxta 3. aphor. 7. periculum autem, vel erit par, vel ali-

quanto majus in ſicco tempore, niſi jungatur calor multus humiditati. Redditur enim tunc conſtitutio peſtilens. Illud autem addendum eſt, ex Celſo lib. 2. cap. 1. tres eſſe conſtitutiones aëris, in paſſiuis, ſcilicet pluuioſam, ſerenam, & nubilam, vel caliginoſam, quam explicat 1. epid. 8. eſſe conſtitutionem, per quam ſpiritus noſter redditur ſimilis externo aëri caliginoſo, ſuntque ſaluberrimi dies ſereni, meliores pluuij, quam nebuloſi. Cauſa duplex videtur: altera, quia pluuij dies jungunt ſibi motum aëris à quo corpus diflatur, & expurgatur. Caliginoſi verò propter ſummam quietem aëris intro coercet excrementa. Altera, quia ſumma malitia aëris eſt craſſities 1. de ſanit. 16. nubilus autem aër craſſiſſimus eſt, vt pote permixtus aquæ, leuitate ſua ſupralatæ. Humiditas ergo aëris noxia eſt, ſed eo magis quo jungit ſibi calorem, ita enim citiſſime ſequitur putrefactio. Vnde ſol Martij, vulgo non creditur tutus, ſicuti etiam noctes plenilunij, quia talis calor ſoluit, & non reſoluit, ideo etiam per æſtum irroratio pauimenti tuta non eſt, ſicut enim calx aqua perfuſa magis calefacit 1. Feb. penult. niſi exiguus ſit calor qui latet, quo modo in partibus diei moderatis conuenit rigatio hortorum, & terræ, aut ſi accedatur ad locum paulo poſt irrigationem.

CAPVT XXIV.

De Albugine oculorum.

ADuerte primò: de eſſentia morbi, vbi in oculo apparet albedo præter naturam. Auicena ita diſtinguit, vt tenuis vocetur nebula, craſſa albugo, apud Paulum verò vniuerſaliter cicatrix; quæ verò profundior eſt leucoma. Numerat autem hujus albedinis differētias tres, vnā ex defectu nutritoriæ aſſimilantis, reſpondens vitiligini in cute, id eſt (*Aluarazes*) hæc fere à generatione contrahitur, licet etiam quandoque à morbo, & non admitit curationem. Secunda, frequens ex

ex humore asseruato in superficie oculi, hæc fere curatur, facilius tamen in pueris.

Tertia: ex vestigio vlceris, nam cum cornea sit spermaticum membrum, cum perditum est, non regeneratur, sed substituitur instar calli, non albescentis, hæc sicut abscisio reliquorũ radicaliũ, in pueris crebro sanatur, nunquam in adultis.

Aduerte secundò: de curatione præcepta. Primum, incipiendum est à leuioribus, & si remedium validum est, imponendus est cottus in cuspide radij, qui tinctus in liquore hæreat pauco pulueri, & applicetur soli albugini, & si succedit dolor, aut rubor, intermittatur curatio, & si oportet infundatur lac. Secundum, ante quamuis applicationem benefacit emollitio, cum suffitu decocti fœnu græci, vsquequo facies rubeat.

Remedia Albuginis oculorum.

PRimum: liquor stillatitius mellis, cum cando puluerato. Secundum validius, os sepiæ, sarcocolæ, spuma maris, id est Algonum. Aliud, vitrum plenum floribus roris marini, per dies 40. intra stercus, vel per æstatem, sub terra contentum, effundit aquam potentem. Aliud, stercus hyrundinum valde pulueratum cum melle. Tertium, validissimum est collyrium Rasis hic.

De mutatione aëris, ex reliquis syderibus præter solem.

PRopositio prima, num puncta quatuor zodiaci, solistitia scilicet, & æquinoctia etiam propria immutent aërem, vltra quam quod sint signa propinquitatis solis ad nos. Præterea ortus, & occasus magnorum syderum, item varietates lunæ penes conjunctionem, & oppositionem, & eclipsim, similiter, & accessus solis, ad varia signa Zodiaci. Distingunt enim corpus humanum in partes xij. & arieti, tribuunt caput; tauro humeros, &c. quasi peragente sole dicta signa otiandum sit, ab illis membris, neç tangenda. Dic: magna lis est inter medicos

diços

dicos nostri æui, multis enim videtur talia considerari à medicis solum, prout sunt notæ propinquitatis solis ad nos. Sed contra lib. de aëre, & aqua, postquam dixit oportere considerari solistitia, & æquinoctia per quæ constat propinquitas solis, addit nec non syderum ortus, & occasus, quæ tamen non momentaneè distant ab illis quatuor punctis. Item cum medici quatuor tempora inæqualia constituant solùm obortus, & occasus syderum. Item 1. epid. in procem. & apud Aët. lib. 3. 174. & Haly lib. 5. c. 7. & apud Plin. lib. 18. c. 28. & lib. 2. cap. 40. & apud Arist. 26. prob. 22. & 1. prob. 3. astrorum ortus repente mouent pluuias, serenitatem, ventos, calorem, frigus, ita vt etiam maria, vina, lintea sentiant exorientem canem. Columela ait natos in canicularibus esse incontinentissimos, & facinorosos. Alexander 6. epid. 6. 24. nisi ita sentiamus, inquit erimus pejores piscatoribus, qui ex syderibus agnoscunt incrementũ lacustarũ in mari. Nec obstat respõsio Musæ 4. aphor. 5. quod oporteret oriente cane etiam in polo antartico calorem augeri, cum eo tempore hyems ibi vigeat, quia sol ex coitu canis magis calefacit nos vicinos, illos absentes minus infrigidabit, quia semotos à cane.

Secunda: Lunæ opera in aëre multiplicia apparent. Nam sues per conjunctionem lunæ, vsque ad dies septimum, non interimũtur eo quod caro illorũ tũc præhumida est, & intestina rumpuntur, luna enim post solẽ maxime mouet inferiora, vnde sol paruus vocatur 4. de generatione animalium vltimo, maximè autem dominatur humidis, vnde hominem animalium humidissimum quantitatiue plurimum mutabit, maxime quando ægrotat cum humores abundant, nec à natura sufficienter regulantur, in motu verò diurno mouet mare fluxu, & refluxu, & motu illuminationis, aliquando augens aquas, aliquando minuens, vnde non visum est mori hominem, nisi æstu recedente Plin. lib. 2. c. 98. Thadeus, & Vgo 2. aphor. 27. viderunt ægros in certa quadra lunæ optime habere, in alia deterrime, idque in toto morbo. Item plena lumine mouet men-

ses, & epilepsiam, carnes sub pleni lunio putrent, pessime tunc habent grauidæ, & natu editi . de hist. animalium 20. Conchilia omnio tunc valde aucta sunt, & cerebra hominum vulneratorum tunc erumpuntur, ligna tunc cæsa male sonora sunt, & citissime putrent; oleum in vasis crescit, ita vt quandoque effundatur, & medullæ in ossibus magnæ reperiuntur, fructus omnes reponendi, tunc collecti, citissime putrent, & radix pæoniæ, tunc collecta, minus siccat, oculi felium crescunt, dormiens sub plenliunio habet faciem liuentem, & dolet caput, & sæpe in hæmoptoisim incidit, & immodicam veneris appetentiam, fructus eo tempore celerrime maturantur, & ferarum occisa corpora confestim putrent, animalia tunc occisa non durant imputrefacta, & futularia ex corijs eorum cito rumpuntur, fructus omnes cucumerum generis tunc plurimum augentur, punica scinduntur, aquæ puteales increscunt, retia, & panni loti corroduntur; in peste frequentissima mors adest in plenilunijs, & interlunijs; tunc parientes fere fluxu sanguinis periclitantur, si conceptio fit in illis punctis, vel juxta oritur fœtus 7. mense, non aliter: Plinius lib. 7. cap. 5. solum sæpe (ait Placentinus 7. medicinæ) germinat inter radices decrescente luna, arescit cum augetur, ideo plenilunij noctes magis roridæ sunt, ideo venantes canes minus assequuntur vestigia, quia impeditur delatio odoris; apoplexia tunc inuadens perimit apud Tralianum. Iam quod ventos, pluuias, & serenitates, motu illuminationis per quadras frequenter immutet luna, receptum est.

De motu autē proprio lunæ, quod per quadras mutet inferna ostenditur 5. hist. anim. 20. insecta, & multa animalia certis septenis oua pariunt, certis incubant, & excludunt, certis integra figuratio præstatur, & lib. 6. 17. aquatilia ait gestare vtero varie, sed omnia spatio septenario distingui. Septimus dies nato magnam affert mutationem 7. hist. vltim. & lib. de carnibus in fin. Septimo die inædia perit homo, per septimanas annorum dentes prodeunt.

Quod

Quod autem vis ſeptenorum, tam in dictis, quam in criſibus morborum, ad proprium lunæ motum referenda ſit, apparet, quia ſola luna peragrat in toto tempore quartam circuli, & quia ea mutatio maxime apparet in motibus humorum, quibus luna imperat. Quare potiſſimum conſpicitur impreſſio lunæ in capitis vulneribus, & in morbis materialibus, & in affectibus reumaticis, & maxime in pueris, & ſenibus, quorum priores naturali, poſteriores excrementitia humiditate abundant.

Tertia cauſa horum affectuum lunæ, & ſyderum quandoque refertur, apud Ariſt. & Aphrodiſ. 2. de generatione animalium cap. 4. ad temperaturam lucis ſuæ, quia comparatio caloris lunæ ad ſolem eſt comparatio fæminæ ad marem, quare trahit, implet flatu, non diſſipat, ſicut ſol Martij, ideo in plenilunio etiam æſtiuo magis creſcunt fructus, & humida, quam in alio tempore etiam pluuioſo, eo quod calor ſolaris ſufficit diſſipare, pluuia citra calorem congelat, non fundit. Calor verò plenilunij junctus humiditati lunæ maxime replet humiditate. Iungitur & illa cauſa, quod apud Ptholomeum eſt proprium lunæ, trahere humiditates à terræ viſceribus ad ſuperficiem. Quare in venis, & membro vlcerato, peragrante luna ſignum ejus membri, fit maxima repletio. Quidam tamen eorum affectuum, non referendi ſunt ad lunam, nec ad calorem ſenſatum communicatum aëri, ſed ad proprietatem caloris cæleſtis fauentis calori noſtro 3. de generatione animalium 2. vel etiam infenſi, ſcilicet quod ſtirpes vigente frigore ſenſato in aëre incipiente Ianuario germinant, ſcilicet quia roboratur calor ſuus innatus, non à calore ſenſato, ſed à proprietate caloris ſolaris accedentis ad nos, ſic etiam fructus eadem proprietate caloris ſolaris maturantur; ſic ægri vigente adhuc frigore tranſacta media nocte quieſcunt, & melius habent propter acceſſum ſolis ad nos. Sic ſydera quorum lumen, non experimur in aëre afficiunt nos, vel benigne, vel maligne, ob proprietatem caloris ſui.

Ex quibus colligitur non esse negandã mutationẽ aëris, & aquæ, & corporũ quæ ibidẽ cõtinentur à corporibus superioribus, & habendam esse medico rationem eorum, primò quidem & maxime solis immutantis aërem, tam motu proprio, quam diurno. Deinde conjunctionis, & oppositionis lunæ. Deinde quartarum lunæ, & punctorum quatuor Zodiaci, & ortus, & occasus magnorum syderum, vt scilicet in illis nullum medicamentum lubentes demus lib. de aëre, & aqua primo, si possunt sine vllo periculo, magna remedia in aliam diem transferantur. Nec probat quod Manard. & Valeriol. lib. 6. disp. 2. afferunt de vacuationibus celebratis dictis diebus, quæ liberarunt ægros, quia coeuntibus contrarijs indicationibus semper sequenda est validior. Nec probat etiam quod dixit Zoar. lib. 2. cap. 2. standum esse in omnibus solùm ei, quod sentitur de calore in aëre, quod ostendit ex arboribus, modo seriùs, modo citiùs germinantibus, pro vario aëris calore, non pro certo accessu solis, vel syderum ad nos, quia ostenditur calorem aëris manifestum mutare contenta, non tamen ostẽditur, quod accessus solis, vel syderum non plurimum mutat.

Ostenditur propositio quarta, ex Oribasio lib. 9. cap. 3. & 4. luna per quadras sui motus illuminationis etiam aërem mutat in prima quarta, mouens extrorsum humores verisimiles. Secunda, æstati. Tertia, autumno. Quarta, hyemi. Item sol diurno motu, per quadras refert quatuor anni tempora, prima enim quarta complectens horas noctis postremas, spiritum, & sanguinem mouent extra, ideo sanis juxta, ac languẽtibus suauis est, & veri similis. Sex horæ sequentes circunstantes meridiem æstatem referunt. Sex vespertinæ autumnũ; postremæ circunstantes mediam noctem hyemem. Quare sicut vesperi abstinemus à somno, & medicinis, ita ad noctem defluxiones augentur, & pessime habent ægri, redeuntibus ad viscera humoribus, videturque hæc diuisio partium diei, ex parte conformior, quam diuisio Aëtij lib. 3. cap. 162. diem artificialem secantis in quatuor partes, & noctem in totidem.

CAPVT

CAPVT XXV.

De Scabie, & ſabel.

ADuerte primò: Scabies oculorum eſt pruritus, rubor, & aſperitas palpebrarum internarum: diſtincta in ſpeciem primam, vocatam Celſo aſperitudinem, cum ſola adeſt aſperitas cum rubore, hæc medicinis cedit; ſpecies altera rariſſime citra chyrurgiam ſanatur, cum intra palpebra apparent mollia grana, vocata Auic. granula; Celſo ficoſa palpebra. Tertia, ſpecies nunquam citra manum curatur, cum viſuntur grana rubra ſubdura, & in fuſcum inclinantia. Celſo vocatur calloſa palpebra. Sabel verò jungitur à Raſio, propter communitatem curationis. Affectio oculi contagioſa inſtar panniculi oculum obtegens, apud Græcos venit ea affectio nomine vngulæ albæ.

Aduerte ſecundò: de curatione remedia vniuerſalia fiant tempore interualli, vel cum ſanus eſt ait Raſ. fere enim hujuſmodi affectiones periodicæ ſunt, in periodicis autem morbis tempore interualli operandum eſt, & quia tunc affectio extirpanda minor eſt, & quia tunc natura curaturo minus ſuccumbit.

Secundum præceptū: ante vſum medicamenti abſtergentis, & errodentis, ſemper præcedat emolliens balneum, vel ſuffitus, incipiatque à leuiori, & perpetuò conſideretur impreſſio ejus, ita vt medicamentum, vel intendatur, vel remittatur.

Tertium: ſi localia non ſufficiant, palpebra inuertenda eſt, & interna pars fricanda, vel cum tenuiſſima lima, vſque ad eruptionem granularum, vel cum indice inuoluto folio ficus, aut parietariæ, & permittatur exire ſanguis copioſe, tunc lauatur oculus cum roſacea tepida; inſpergaturque palpebræ puluis aliquis ſubſcriptus; & imponatur cottus imbutus lacte, & roſacea, & vbi dolor magis vigot pro roſacea ſit roſaceum,

& si timetur fluxus imponãtur frontalia ophtalmiæ; sedat item dolorem luteus assus, cum pullo per medium sçissus, & calidus supra tenuissimum linteum impositus.

Remedia Scabiei oculorum.

PRimo conueniunt remedia albuginis. Aliud: polenta hæmatitis cum melle. Aliud: cortex oui diebus decem ad solem in aceto maceratus, tritus mittatur. Secundum validius: cum jungitur calor. ℞. tutiæ, croci, scoriæ æris, gummi arabici, æris vsti añà drag iij. mirrhæ, lapidis hæmatitis, spicæ, opij rosarum añà ʒ. j. piperis albi gran. iiij. conficiatur cum vino, & vtere cum albumine. Tertium validissimum est: sieph album, collyrium rubeum Rasis hic.

De mutatione aëris, ex ventis.

PRopositio prima: ex Oribas. lib. 9. cap. 9. vniuersales venti fere salubriores sunt particularibus. Vniuersales autem ita habent, boreales maxime salubres, sed ob vehementiam non ita suaues. Zephyri ab occidente, minus his salubres, sed ob lenitatem suauissimi sunt, orientales praui, & vehementes, Austrini caput grauantes sæpe etiam vehementes, à quo ordine nonnihil discrepat Auic. 2. 1. cap. proprio. Numerus autem ventorum licet non omnino constet, apud Aristotelem 3. meteoror. 21. & Plin. lib. 2. cap. 49. & lib. 13. cap. 34. & Aët. lib. 6. cap. 166. ita verius traditur communi autorum consensu.

Ab ortu æquinoctiali subsolanus Leste, Soão, Leuante. Ab ortu æstiuo Lestnordest, Ab ortu hyemali Eurus, Vulturnus, Lestsuest. Nautæ cum Aët. citat. cognoscunt alterum robustiorem, Aristoteli ignotum in medio quadræ, Nordest: Septentrionalis autem Cardinalis, Boreas, Septentrio, Aquilo, Norte: çollateralis versus orientem, Nornordest, çollateralis versus

versus occidentẽ Cirtius Nornoroüest. Nautæ cũ Aëtio addũt alium robustiorẽ in medio quadræ à septentrione ad occidentem Noroest, Occidentalis autem Cardinalis, Zephirus, Fauonius, Oüeste, ou Poente: collateralis ad austrum Lybs, Africus, Oëstesudueſt, collateralis ad septentrionem Argestes, Oüeste Noroüeste. Nautæ cum Aëtio cognoscunt alium robustum in medio quadræ, ab occidente ad austrum Suduest, Meridionalis autem Cardinalis, Auster, Notus, Sul. Collateralis ad occidentem, Libanotus Sud sudoëste: Collateralis ad orientem, Phænicias, Euronotus Sudsuest. Nautæ cum Aëtio cognoscunt alium robustum, ab occidente ad austrum Sud, ouëst.

De temperamento Aquilonis, & Austri.

PRopositio secũda: Omnis ventus infrigidat, & siccat, quoniam tollit vaporẽ calidũ humidum proximũ corpori, sed aliæ intẽtiones vincunt intẽperamenta vẽti. Nam aquilonares frigidi sicci sunt, eo quod flant nobis ab Arctico polo gelato, & quia dicebat Aristoteles à locis vicinis nobis, quare flatus eorũ est impetuosior, ideo ob majorẽ diflationẽ magis refrigerant. Austrini verò calidi humidi, eo quod ab adusta Zona terræ perflant, quia ob calorẽ trahunt copiã humiditatis, vnde reddũtur humidi. Addit Auic. 2. 1. doctrina 2. cap. 8 & quia Meridionale mare plurimum est, & sol vicinus plurimum eleuat vapores.

Patiuntur tamen hæc aliquas instantias. Prima: quia licet frequentissime auster calefaciat, aliquando tamen refrigerat, parum tamen durat, & minus aquilone semper refrigerat, flat autem auster frigidus fere semper initio veris, quo tempore aues solent aduentare nobis, ideo 2. meteor. 5. vocat Aristoteles hunc ventũ ornithias, & quia ejus flatu albet aër, vocatur etiam leuconotum, de quo 1. epid. 1. & 3. epid. 33.

Secunda instantia: habitantibus regiones meridionales, vltra æquinoctialem, contrarium est horum ventorum tempe-

ramentum

ramentum, ob contrarias causas, nec id est nouum inuentum, quod gloriatur Manardus lib. 5. epist. 1. cum etiam Aristoteles fateatur 26. poblem. 48. & 1. epid. citat.

Tertia instantia est: regiones septentrionales, quæ habent mare austrinum, propter intermedium mare experiuntur frigidos austros, quod euenit nostris Algarabiensibus. Quod ergo ait Aët. lib. 3. cap. 172. austros perpetuo calidos esse, humidos autem non perpetuo, sed plerunque minus exactum est. Quod item Valeriola reprobat Aristotelem quasi secum pugnet, asserens Austrum à polo antarctico spirare, & cap. 5. quod spirat non à polo, sed à solistitio æstiuo. Dic: prior sententia de tota terra est, posterior de nostra septentrionali.

Propositio tertia: orientales, & occidentales, quod attinet ad vehementiam, omnium maxime opponuntur; sunt enim occidentales blandissimi, ob duas causas 26. prob. 31. & 50. quia occidentales montibus carent, mari abundant, emergit ergo ventus æquabiliter per campos spirans, citra impetum acquisitum à montibus objectis.

Præterea cum venti sequantur fere motum solis, occidentales fere spirant ad vesperam, & quia antecedit eos nothus, & sequitur aquilo, ambo vehementes, ille medius judicatur blandissimus. Ob contrarias autem causas orientales vehementissimi sunt, apud Aët. citatum: excitantes rheumata maximè enim mouent humores in animalibus, & plantis, vnde creditur fœcundus arboribus.

De temperamento autem eorum aperte Aristoteles, & Auicena 1. continent. 115. licet Cardanus neget, orientales inclinant ad calidum siccum, occidentales contra. Causa varietatis est, licet ambo spirent à regione peragrata soli, quia orientalibus, qui fere spirant ad initium diei, adest rectitudo solis potens calefacere, & extenuare, qui licet postea recedat, sufficit tamen calorem inductum conseruare. Ad occidentalem verò ventum nunquam habet rectitudinem, quæ sola sufficienter calefacit, nisi approximante nocte, delitescens autem sol,

nobis

nobis non excitat ventos, Aphrodiseus 2. meteor. 5. humidior autem redditur ventus occidentalis, partim propter mare, quod plurimum est in occidente septentrionali; partim etiam quia cum minus attenuatus fuerit, minus aridus auasit.

Propositio quarta: particulares venti fere deteriores sunt, quia per longam viam non depurantur, sicut depurantur venti vniuersales, & aqua magnorũ fluminum, inter quos qui flãt à campis, & terra perspirata boni sunt, qui à mare salubres hyeme, & vere: & æstate calidiores, quam par sit; qui autem è flumine, è conuerso: deterrimi autem sunt qui ex paludibus metallis, & locis conclusis exhalant.

CAPVT XXVI.

De Lachrimis oculorum.

ADuerte primò: præcepta curatoria. Primum si affectus ex ætate est, fere non curatur, si sequuntur ad alios morbos, curatio est sanatio illorum. Secundum: si causa lachrimarum est defectus carunculæ in oculo interno, curatio est immissio incarnantis pulueris. Tertium: frequentissima causa est debilitas cerebri, vel oculorum cum materia; perficitur curatio purgatione, & exsiccatione capitis, & emendatione intemperiei, & interceptione fluxus, & postremo, fontaneis in brachijs ex cap. de cæphalalgia.

Remedia lachrimarum oculi.

PRimum: incarnans puluis tenuissimus thuris. Aliud validius. Sarcacolæ nutritæ 10. sanguinis draconis 4. aloes, croci aña ij. spumæ maris pars dimidia.

Secundum: intercipientia fluxum intro, grana thuris deglutiantur dormituro. Si verò causa sit calida similiter deuoret primam, ex subscriptis pillulis. ℞. thuris ℈. j. mirrhæ, opij,

croci aña gr. v. cum papauerino, extra verò imponantur frontali lana ſuccida combuſta cum albumine.

Tertium: imponenda in cauſa calida, puluis oſsium, mirabolanorum combuſtorum cum aqua myrthi. In cauſa verò mixta ex Raſio hic tutiæ x. coralorum rubeorum, myrabolanorum citrinorum, aloes aña partes ij. pi peris dimidiam. Aliud validius, ℞. ſarcacolæ diu nutritæ in lacte mulieris partes iiij. tragacanthæ, thuris, ſcoriæ ferri, margaritarum non perforatarum aña j. ſpicæ acaciæ aña ß. amelli, ceruſæ aña ij. tutiæ præparatæ iiij. tritæ perfundantur ſucco punico acido, & ſiccentur. Secundò, perfundantur infuſione galangæ maioris. Tertiò, cum aqua ſolani addita camphora, & cando aña partem j. Quartò: in cauſa frigida tutiæ præparatæ, corticum ouorum, aloes optimæ aña ℥. j. inuoluta linteo ſuſpendantur in aqua fæniculi, & ſæpe in die exprimatur in oculos. In cauſa autem valdè frigida abluantur oculi cum aqua ardenti.

De mutatione aëris, ex ſitu, ex Oribaſ. lib. 9. cap. 11. vſque ad 21.

PRima propoſitio: loca maritima cronicis morbis accomodatiora ſunt, quia calefaciunt, deobſtrunt, neruis proſunt. Mediterranea verò acutis morbis meliora. Quia verò loca inſalubria habent aërem ſicciorem, & terram magis humentem, ſalubriora euadunt, & magis frugifera, quæ verò loca metallis vicina ſunt, ſiccitatem habent perfocantem, quare loca thermarum noxia ſunt; habentia verò paludes vicinas, in æſtate peſtilentem auram perflant, quia recipiunt putredines omnes, & quia aqua ipſa per quietem putret. Si verò terra argiloſa eſt (*galega*) exhalatio ſiccat, & magis ſi terra rubra eſt, *mouriſca, ou de barro*, omnium optima nigra.

Secunda propoſitio: loca ſublimia frigidiora ſunt, quia radiorum reflexionibus carent, & tenuioris aëris propter flatum ventorum vndique perſpirantium, quare ſalubrior habitatio eſt, ſed in hyeme obnoxia frigidis morbis. Contra ſe habet humi-

humilis, & maximè caua, quia senibus, & sincopisantibus confert, reliquis præfertur sublimis.

Tertia: regio consita plantis per hyemem frigida est propter solis inopiam, per æstatem verò suffocans præ repercussu ejus, quare deteriorem efficit habitationem.

Quarta propositio: flumen præterlabens, si moderatum est, inundationibus carens, & terra sicca, saluberrimum reddit aërem, in contrarijs statibus pessimum, & maxime si aqua inundans stagnat, per moram enim putret, & fructus propter immodicam humiditatem non maturantur. Præterea tales regiones arboribus abundant, quod addit ad crassitiem aëris. Postremo ob exhalationes fluminis matutinas, & vespertinas, friget aër; in meridie verò ob aëris crassitiem immodice calet, quare instar autumni terra morbida euadit. Regiones verò flumine carentes aërem habent tenuiorem, simul & fructus magis maturescentes.

Quinta propositio: variatur, & aër ex situ adjacentium vrbi, nam si locus proximus versus septentrionem in sublime vergit, calefacit vrbem; si deorsum infrigidat; si planus est minus infrigidat. Si verò locus respiciens austrum, in sublime vergit, infrigidat; si deorsum calefacit. Ad orientem verò, & occidentem situs adiacentis loci, minus variat temperamentum vrbis.

Sexta propositio: Variatur etiam aër ex situ vrbis ipsius. Nam quæ ad meridiem spectant optimæ sunt, quæ ad septentrionem pessimæ, reliquæ mediæ sunt. Causa: quia vergentes ad meridiem toto tempore anni, & toto die fruuntur sole; decliues autem ad septentrionem (auesseiras) è conuerso Nam & in plantis illæ, quæ meridiem spectant visuntur cum fructibus odoratioribus, majoribus, pluribus, celeriter maturescentibus, gratioris vsus, imò & ejusdem arboris meridionalis pars tenerior, & rarior est, flexibilior, leuior, fabrili operi accommodatior, crassioribus, & procerioribus ramis.

Septima propositio: optima constitutio ciuitatis est, cum

viæ omnes rectæ sunt, non sinuosæ, amplæ, maxime si procedunt à septentrione, ad meridiem, partim verò ab oriente, ad occidentem: vna causa: quia tales vrbes ventis principalibus sufficienter purgantur, & citra violentiam; procedunt enim venti citra reflexionem, purgantes fumos, exhalationem, puluerem. Vbi verò venti coguntur reflecti, non purgant, & vario illo repercussu ex vno fiunt multi, quare sequitur magna agitatio in aëre & spiritu nostro. Altera causa: quia sol oriens perfundit vndique calles omnes ab oriente ad occidentem, quando autem est in meridie lustrat omnes à meridie in septentrionem. Quare omnis aër vrbis sufficienter tenuatur, & purgatur.

Octaua propositio: plantæ verò ita mutant, quæcunque ferunt fructum esibilem, aut odoratos flores, aut folia, aut vim habent tenuandi, benefaciunt, vel communicando aëri salubrem exhalationem, vel ipsum per attenuationem purgando; reliqua pro varietate effluxus lædunt, nam prauæ plantæ, & oleta, vt pote vitiosi succi aërem inficiunt, vnde intelligitur hortorum aërem salubrem non esse. Crassus etiam redditur aër ex oleosis arboribus, vt ex oliuis, & magis ex resinosis, & ex pinetis, & ex ficis, sic ex permixto multo puluere, vt quando, cum pluuia descendunt multæ ranæ, & bufones, sic aër ex igne capiti, & oculis noxius est, maxime ex carbonibus, & radicibus ceparum, propter persocatum in illis terræ halitum, & magis si nõ habuerit ferrum ignitum.

Nona propositio: cubatio in domo subterranea, nocturnus aër, aut diurnus nubilus, omnia vitanda sunt; redduntur enim in tali statu spiritus nostri nebulosi 1. epid. 8. quare oportet tunc intra domum se continere. Verum status anni in totũ à ventis silens parat pesti 3. epid. in initio. Quare eligendus est locus qui à ventis purgetur, nam ventus omnis longiorem aëris fruitionem corporibus exhibet, violento motu aërem inducens ex Aët. lib. 3. cap. 163. non tamen ideo probatur aër vẽtosus, turbat enim spiritus, & humores, & semper caput replet.

CAPVT

CAPVT XXVII.

De Debilitate visus.

ADuerte primò: methodicæ propoſitiones. Prima propoſitio: ſi naſcitur ex ſiccitate ſcilicet corrugata cornea, vel diminutis humoribus, aut ſpiritibus oculi, remedia ſunt conuulſionis ex inanitione per infuſa naribus, oculis, capiti.

Secunda: ſi naſcitur ex craſſitie ſpirituum victus attenuans, boni ſucci, item medicinæ clarificantes ſanguinem, dupliciter autem hæc operantur, aut tenuando ſubſtantiam, quod potiſſimum faciunt decocta adianthi, & fumariæ, vel expurgando craſſitiem humorum ſanguini permixtam, vt ſenæ, mirabolani, agaricus, item medicamenta reſoluentia vapores à capite, & ſpiritibus, quorum mixtione ſpiritus craſſeſcunt, ſcilicet exercitia, frictiones, & pectinationes, reprimentiaque flatus à capite.

Tertia: ſi naſcitur ex tenuitate immodica ſpirituum, ſanatio eſt incraſſatio citra turbationem, oriza, amylum, pedes pecorum, conſerua roſarum, mirabolani, triphera, item omnia roborantia ſpiritus ex cap. de melancholia.

Quarta: in debilitate frequenti quæ ſequitur, ad materiam decumbentem in oculos, conuenit vacuatio peccantis humoris, verum copioſa phlebotomia cauenda eſt, minuit enim ſpiritum, qui copioſiſsimus ad viſum requiritur. Inter particulares euacuationes, errhina aliquanto ſuſpecta ſunt magis, quam maſticatoria, & gargariſmata: vomitus autem commendatus hic à Raſio in cauſa pituitoſa rarus conuenit, frequens verò valde lædit oculos, deturbando ad illos materiam præ conatu, vnde in vomitu oculi ligantur, poſt vacuationem autem roborantur membra mandantia, in cauſa quidem frigida cum chebulis, aut cum triphera minori Meſues quotidie ſumpta. In cauſa verò calida, cum citrinis, aut cum ſabor, tri-

phera apud eundem cap. de debilitate visus.

Præterea jurulenta omnia, potiones & euaporantia obsunt, paucus verò fletus quandoque depurando oculos juuat, minimus extreme lædit, confert pyramis exuto viridi, & immissio oculorum in aquam, ex cap. de ophtalmia, confert & modica exercitatio oculorum, in lectione magnarum literarũ, & magis in conspiciendis viridibus omnibus, plantis, vitris, immodica tamen lectio maxime in literis minutis obest, potissimum propter radios calcanthis siccantis oculos.

Remedia in frequenti malo.

PRimum: aqua stilatitia ex verbena, fœniculo, rosa, chelidonia, rutha, & si placet magis abstergere, contineatur in vase æneo, & si adhuc magis insoletur, & si magis adhuc, in quauis ℥. aquæ addatur candi ʒ. j.

Secundum: peculiare in causa frigida. ℞. succi fœniculi cocti in æneo vase cum bracteis auri quinque, & depurati ℥. j. post collaturam adde mellis optimi ʒ. iij. item bulliat, & insoletur in vitro, abjiciendo per interualla fæcem. Validius euadit si addantur fellis auis ʒ. ß. Distant enim fella, ita vt mitissima sint piscium, validiora quadrupedum; validiora auium, & adhuc magis rapacium, validissima reptilium maxime jejunorum.

Tertium: peculiare in causa calida. Antimonij ʒ. xx. tutiæ x. marchasith ʒ. v. teratur quodque per se cum pluuiali sæpe, aliquoties cum aqua fœniculi, & majoranæ tandem addatur hæmatites, præparati croci aña ʒ. j. margaritarum non perforatarum ʒ. ij. muschi ℈. j. camphoræ ℈. ß. sumach. ʒ. ß. redigantur in tenuissimum pollinem.

Quartum: in causa mixta, aqua rosarum, & fœniculi cum aloe puluerato elambicetur, & oculi lauentur. Vel fœnu græci, radicum altheæ aña ℥. ij. mundentur, & in aqua pura citra fumum coquantur ad tertias collato expresso, adde aloes optimi

optimi loti in aqua rosarum ʒ ij. candi ℥. j. eoque ad cõsistentiam mellis, & per interualla instilletur, quod si oculi mordicant, ex collyrio abluantur lacte, vel rosacea deluticandi. Purgantia autem sine custodia, & electuaria petenda sunt ex Rasio, & Herculano hic.

De mutatione aëris propter clyma ex 3. aphor. 14. & 2. de sanit. 7.

INtemperatissima loca sunt vicina septentrioni, vel austro, maxime si sunt mediterranea (*certão*) nam vicinitas maris remittit vtramque immoderantiam intemperamenti. Temperatissima verò sunt inter septem clymata septentrionalia habitabilia, clyma quartum dictum diarrhodos, quæ duo discutienda sunt.

De 1. local. maritima 2. 1. doctr. 2. cap. 10. ideo sunt temperatiora æstate, & hyeme, quia aër ex vaporibus magis crassefactus difficilius permutatur ad vtramque immoderantiam, sicut aqua crassior tardius calefit in æstate, & refrigeratur hyeme ex 5. aphor. 26.

Sed obstat huic determinationi, primo id quod scribitur 21. problemat. 6. hyemem esse frigidissimam, quia frigiditatem plurimam à noctibus conceptam, aër crassus per hyemem deponere non potest; & æstatem feruentissimam esse, quia calorem eximium à diebus æstiuis conceptum per noctem non deponit, sicut & lapis, vbi semel calefactus est, magis quam aqua calefacit, & vbi semel refriguit magis, quam aqua refrigerat.

Obstat secundò: quod Alfarab. 10. theor. 3. ait: maritima si habent à septentrione mare, sunt frigidiora mediterraneis, quia sæpe perflantur aura aquilonis. Si verò ab austro calidiora propter oppositam causam.

Obstat tertiò: quod in aphorismo citat. scribitur, loca meridionalia maritima esse minus calida; septentrionalia, verò minus frigida, quia mare non vniuersaliter operatur idem in omni

omni tractu terræ. Dic: mare mutat temperiem loci in ratione maris, & in ratione situs maris, & in ratione situs terræ, vniuersaliter enim reddit locum salubriorem 2. meteoror. 2. ob causas quatuor apud Auerroem.

Prima: salsugine renititur putredini. Secunda: humiditate vitam prolongat. Tertia: semper inspirant venti aërem purgantes. Quarta: temperat æstatem, & hyemem propter causam dictam modicæ crassitiei aëris. Euentus autem intemperamentorum in ponto habet duplicem causam, vnam longissimos æstiuos dies, cum breuissimis noctibus, & longissimas noctes hyemales, cum breuissimis diebus. Altera causa, crassities plurima aëris, licet enim pauca crassities faciat ad aëris temperamentum, plurima tamen facit ad temperamentum.

Secundò: mare mutat ratione situs maris, nec illud est contrarium superiori, quia potest ratione variorum varie immutare.

Tertiò: mutat mare ratione situs terræ, ex Galeno enim aphor. citat. loca meridionalia maritima minus calent, quia cum talia loca sponte sua caleant, temperantur à mari, & è cõuerso in regione septentrionali, quia hæc consideratio continetur in prima, atque adeo habetur solutio ad tria objecta opposita. Num autem vapor magis humectet, concessit Auicena citat. & constat experimento. Olysiponenses enim habent cutes leniores, & facies pulchriores, quia sol ex omni re non eleuat, nisi leuissimum, & dulcissimum in lib. de aëre & aqua quia non eleuabit adustum salsum.

Nec obstat, quod scribitur 24. prob. 39. natantes in mare ideo gracilescere, quia vapor maris calidus siccus est, agit enim ibi de vapore eleuato in aëre, sed de humiditate salsa communicata natanti. Nec obstat item, quod supra loca maritima commendantur in morbis chronicis, quia vapor maris humiditate sua fundit excrementa crassa, & siccitate extenuat.

De secundo autem proposito, quod clymatum sit tempe-

ratissimum

ratissimum Auicena 1. 1. doctrina 3. cap. 1. induxit paradoxam opinionem, quod locus sub æquinoctio temperatissimus est. Post quem locum cum Galeno præfert quartum clyma. Auer. verò collet. 22. præfert quintum clyma patriam suam. Manardus lib. 5. epist. præfert sextum patriam item suam, argumento quod sit media secundũ æquidistantiam inter æquinoctium, & septentrionem; licet enim Ferraria latitudinis, vel eleuationis Poli gradus 41. clyma autem nostrum (diaroma) gradus 41. sicut quartum clyma (Diarrhodes) gradus 36. Sed vere temperiem loci particularem multa faciunt alia, scilicet præter clyma, situs loci, & astra, sicut & anni temperiem alia præter solem mutant particulariter. Vniuersaliter autem quartum clyma est medium clymatum, licet enim sit medium latitudinis, ab æquinoctiali, ad septentrionem; sextum autem est medium latitudinis, sed non clymatum habitabilium, quare plurima loca in eo sunt per frigidum intemperata, & ideo relegandum est à temperatissimo, sed recipienda sunt quartum, & quintum, ambo comprehendentia Hispaniam.

Nec obstat quod de lib. de aere, & aqua minor Asia præfertur Coo, Hippocratis patriæ sitæ in quarto clymate, quia in eodem clymate sunt Cous Hippocratis, & bona pars Asiæ minoris, sed ob situm regionis minor Asia præfertur.

CAPVT XXVIII.

De Suffusione.

ADuerte primò: de affectione, quam vocant suffusionem, vel cataractam, vel aquam, vel imaginationem, licet imaginatio magis importet principium, reliqua nomina perfectam affectionem.

Præcepta autem curatoria sunt. Primum: vacuatio vniuersalis, & particularis minorans, & erradicans, frequentiorque in affectibus similibus propter malitiam morbi semel con-

firmati, phlebotomia tamen rarißima, propterea quod rarißime pendet suffusio à sanguine.

Secundum: victus multo tenuior, ita vt abstineat etiam à cæna, & exsiccatio, ita vt vinum vitetur, & omnia virulenta.

Tertium: in vitijs citra suffusionem multo remisiora sufficiunt, cum soli vapores fere à ventriculo communicati sint dißipandi. Quare sufficiunt remedia debilitatis visus materialis, cum verò aqua concrescit in oculo validiora applicanda sunt, non tamen quandiu in oculo adest vlcus, aut inflammatio, vel calor prodiens.

Quartum: operatio chyrurgica non est tentanda in valde recente, fluxibili, nec in valde antiqua, dura, hærente, neque vbi adest obstructio nerui optici, aut affectio alia prohibens visum.

Remedia Suffusionis.

PRimum: ante impositionem cujusuis collyrij inspiret in oculum frequenter familiaris quispiam masticans semen fæniculi. Vel mitatur oculus in vas plenum decocto fæniculi calentis, primum autem collyrium est fel hyrci, exsiccati in vase æneo, grana lauri decorticata aña ʒ. v. serapioni ʒ. j. gummi ʒ. ß. cum melle, & vrina pueri non polluti, vel salis gemmæ oppopanicis aña ʒ. j. in lacte mulieris.

Secundum validius est: felis, succi celidoniæ, fæniculi, ruthæ, vini albi aña ℥. iiij. tutiæ ℥. j. amoniaci ℥. ß. floris æris, spumæ maris aña ʒ. ß. distillentur, & cum radio inuoluto cotto imponatur.

De mutatione aëris ex domo, strato, & vestibus ac 1. ex domo juxta Oribasium lib. 9. cap. 13.

PRopositio prima: domus terrestres conueniunt ijs qui egent refrigerari, vel viribus sunt debiliores, hæmoptoi-

cis, & cæphalalgicis, reliquis tabulata meliora. Secunda: magna domus præstat vi validæ, & materiæ multæ discutiendæ, in contrarijs parua.

Tertia: sublimis tecto respirationem facilem efficit, & caput leuat, humilis improbatur.

Quarta: cujus fenestræ respiciunt meridiem, optimæ sunt ad calefaciendum; in egentibus autem refrigerio præstant aquilonares januæ, & fenestræ. Secundo loco sunt orientales pessimæ occidentales, quia mane quando lux suauissima est ea caret, & vesperas cum nocte per æstatem æstuosissimas habent.

Quinta: parietes tenues patent intemperaturis continentis, præstant ergo crassi, qui mitiores sunt, & minus frigidi, ex lateribus quam ex lapidibus, illiti autem calce visum tentant.

De mutatione autem ex strato juxta eundem cap. 14. Propositio prima: optimus decubitus est in lectica, pessimus supra duram terram, nam & duritie injucundus est, & flatu terræ corpus replet.

Secunda propositio: si lectica humilis est, exhalationi terræ obnoxia est, si excelsa timoris plena est quasi pendeat, optima ergo est mediæ altitudinis.

Tertia propositio: parua est molesta nimis, magna lassat errando, mediæ ergo magnitudinis optima est.

Quarta propositio: firma sit, non concussa, quare funes valde contenti sint, ne corpus vacillet, & strata inferna non valde mollia, nam & impense calefaciunt, & laboriosam faciũt in lecto versionem, coreacea autem strata, primo frigefaciunt, paulò post valde calent ideo incommodant.

Quinta propositio: situs sublimis ad caput, affectibus capitis prodest, & promouet fluxiones vterinas, sed lassat continendo corpus sublime, quare extra illas necessitates præstat æqualitas.

Sexta propositio: stragula splendida, & valde tincta feriunt sensus, varia autem, & figurata vacillandæ mentis occasionem præbent.

De mutatione autem ex vestibus, quæ locum aeris supplent, propositio prima: in membro debili operimenta, & ligaturas opportet ejusmodi esse, vt prohibeant à debili membro immoderantias aeris, & defluxiones, opportet esse hujusmodi, non ea copia, vt rarefaciant, aut trahant ad debile.

Secunda: quod de victu priuatorum scribitur, per æstatem opportere indui vestes oleo infectas etiam à Galeno in commentar. non recipitur, nam mundæ, de solo contextu, nihil pilosæ æstate conueniunt, vt pote refrigerantes citra molestam grauitatem, eo quod densitas contextus non conseruat exeuntem vaporem, & aer liberè means magis refrigerat, hyeme verò contraria.

CAPVT XXIX.

De Dolore auris.

Incipit, si cum dolore.

ADuerte primò methodi curatoriæ præcepta. Primum: ante injectionem medicaminis, semper emundetur auris leniter cum cotto in cuspide radij.

Secundum: injiciantur medicamenta actu tepida, ne ab immodice calido, aut frigido offendantur, ob tenuitatem mēbranæ, & os substratum.

Tertium: mittantur guttæ tres, ægro jacente supra sanā aurem, & post horam vertatur supra ægram; injicianturque quater in die, vt suppleatur frequentiā injectionis paucitas injecti liquoris.

Quartum: in dolore externo, vt pote membri ignobilis vicini nobili, repellentia non conueniunt.

Quintum: in dolore intensissimo, sedatio doloris præcedat ad vacuationem juxta præceptum 4. 1. cap. 4. in reliquis sumatur initium à vacuatione.

Sextum: phlebotomia conuenit copiosa in calido dolore, ob doloris vehementiam, & adhuc magis in inflammatione. Purgatio autem magis conuenit in frigido dolore, & in calido non inflammanti. Si verò jungitur inflammatio, purgatio leniens sufficit vsque ad initium declinationis.

Septimum: in critico dolore reprimentia omnia vitentur, & modice juuetur crisis emundatione auris, fomentis, & emplastris anodinis. Si verò morbus criticans esset grauissimus, etiam per cucurbita, & emplastrum atrahens adjuuetur, quod tamen non caret periculo, ob vehentiam doloris ex humore tracto.

Remedia in dolore auris.

PRimum: in initio doloris calidi rosacei ℥. ij. amigdalini ℥. j. aceti ℥. iij. coquantur ad consumptionem aceti. Validius est, rosaceum, cum paruo succo cucurbitæ, vel parietariæ. Validius, in ℥. ß. liquoris, opij gr. x.

Secundum: in frigido dolore nardinum, & lininum bullitum in cæpæ cauo, cum aceto sub quintuplo. Validius est. si addatur succus raphani, vel ruthæ, vel fel tauri, cum adipe anatis. Validius est, si in ℥. ß. liquoris additur opij, castoris aña gr.v. sequaturque postea injectio solius nardini.

Tertium: in dolore flatulento sacculus ex millio, & sale torrefactis, vel suffitus per canulam meliloti, camomilæ, anethi, majoranæ, baccarum lauri, absinthei, pulegij.

Quartum: in maturatione calidi doloris, addatur mucilago seminis citoneorum, & altheæ, vel diaquilone minori, cum camomelino fiat vnguentum, & liquidum infundatur. In frigido autem dolore addatur assungia gallinæ, vel anseris. Vel fiat vnguentum liquidum, cum diaquilone majori, & sesamino. Maturat simul, & resoluit in causa mixta emplastrum ex farina ordei, cum decocto altheæ, & camomelino. In frigida autem causa cæpe assum, cum butyro contusum.

Quintum: emplastrum rumpens inflammationem, cæpe

coctum, cum butyro, & fermento. Validius, radix lilij, cum melle, & butyro, & linino? Validius, si addatur radix ireos, & fimus columbinus.

De Motu, & quiete.

PRopositio prima: ex Oribasio lib. 6. cap. 1. & 2. & 14. Quiescere conuenit post cibum, & in initio, & augmento accessionum, & in hora somni. Decumbere verò in morbis acutis, ne lassentur vires defectæ ex acuto morbo, & inædia. Nam in diuturnis per interualla accessionum motus conuenit.

Secunda propositio: figura cubandi ita varianda est. In affectibus capitis conuenit sublimis, dempta phrenitide, in qua perturbatur ex eo decubitu. Conuenit etiam sublimis in asthmate, & thoracis affectibus, quia sedentes facilius respirant. Si verò affectio est defluxio ad intestina, conuenit inclinatio ad illa. Si vrget dolor colicus conuenit decubitus pronus. Si ventriculus tarde concoquit, decumbat supra sinistram, ita vt hepar amplectatur ventriculum; si verò affectus possidet renes, aut vesicam vitet supinum decubitum; si inflammatio diuturna, aut schyrrosa occupet jecur, aut splenem: cubet supra affectam partem, initio autem supra oppositam.

Tertia propositio: de speciebus exercitiorum. Quædam sunt valida: alia velocia, nonnulla vehementia. Validum est, quod peragitur magna musculi contractione, licet non celeriter, vt magnum pondus sustinere, vel accliuis ascensus. Velox verò dependet, ex veloci non vehementi musculi contractione, vt pulsus vehemens, mixtum ex valida, & veloci contractione, vt fossio, inter quas differentias plurimum debilitat vehemens, quia plurimum resoluit. Minus autem validum, vel velox. Distant autem plurimum duo membra postrema, quia velox varietate motus magis siccat, quam replet trahendo, validum autem magis replet continuo tractu, quam siccet motus frequentia.

Quarta

Quarta propositio: quædam magis vnum membrum, quædam aliud exercent, vt stare, inclinare lumbos, incedere, & ambulare, crura, & scriptio manum, vox thoracem, inspectio minuta oculum, cogitatio cerebrum.

Quinta propositio: ante exercitium opportet præcedere frictionem, vel vnctionem, vel aliter corporis emollitionem, quia est dimensio stadij in equo cursuro, ne repentinus motus violentus, aut rumpatur vas, aut obstruat. Agnoscitur autem terminus exercitij ex nocte 2. de sanit. 5. cum corpus non amplius tumet, & quando floridus color carnis florescit, & alacritas ad motiones minuitur, & sudor vel adhuc calens minuitur, vel jam incipit frigere, sicut autem ante inceptionem exercitij opportet præcedere emollitionem, quam vocant præparatoriam, ita ab exercitio non statim quiescendum est, sed vtendum est apotherapia, vel recuratoria exercitatione, ea est leuis exercitatio ad exercitationem eorum, quæ liquantur per exercitium, quale est deambulatio in equis fatigatis, currendo. In nobis autem cohibitio spiritus, extensio brachiorum, & crurum pandiculatio, lenta deambulatio, & frictio, quæ in fine exercitij ad præcautionem lassitudinis adhibetur.

CAPVT XXX.

De Graui auditu.

Incipit, Cum in Auditu, &c.

ADuerte primò: de methodo propositiones. Prima, si causa est surdities auris, dirigatur auris ad radium solarem, & cum manu extendatur auricula, vt foramen rectius constituatur, & cum spicillo auriculari molliter circum trahatur. Si verò induruerit prius, emolliatur immissione amigdalini, post emendetur, vel cum spicillo, vel cum lenimentis, vel per syringam mulsa injiciatur.

Secun-

Secunda, in causa frigida frequenter purgationes humoris crudi repetitæ exiguntur, localia autem tardentur, & tententur leuiora; quod si lædunt, omittantur, difficile enim est permittere quantitatem profuturi remedij, procedit autem commodè ad infundenda, cottus ex decocto emolliente, & attenuante.

Remedia grauis auditus.

PRimum: vacuans per interualla crudos à capite humores. ℞. salis gemmæ, piperis aña gr.ij. castorij j. puluerentur, & per interualla sumantur in ouo sorboli gr.v.

Secundum: suffitus auris ex capite superiori. Vel ex vase angustiori, quod diu conseruauerit oleum.

Tertium: injiciatur absinthei succus cum sale. Validius, gariophilorum ℈. ß. masticis gr. ij. seminis porri gr. vj. crasse trita buliant in ℥. ß. rosacei, & instilletur tepidum, vel castorij gr. ij. rosacei ℥. j.

Quartum: in causa calida, succus vtriusque punici (Romãa) coquatur in cortice suo, vsque ad modicam crassitiem cum aceto, thure, & rosaceo, & instilletur.

De Sermone, ex Oribasio lib. 6. cap. 7.

PRopositio prima: locutio omnis replet caput, vel quia vox prærequirit eflationem 4. de locis 6. eflatio autem propter vim expressi pectoris exprimit in caput vasa. Dissoluit item vires propter eflationem, quæ violenta est pectoris constrictio, & sitim inducit propter ingentem aëris calefacientem motum. Quare obest ophtalmicis, & sanguinis quomodocunque effusioni, conuenit autem comatosis.

Vociferatio quæ editur orantibus, & concionantibus, cantantibus, præstantissimum exercitium est, habetque vsus quinque. Primo enim dislatat, abstergit vasa omnia, & meatus,

tus, eo quod ad durationem vocis ad acutiem,& eleuationem ejus requiritur atractio frequens, & plurima aëris per os, per nares, & per vniuersam cutim.

Secundò: rarefacit, & lenem efficit carnem hac vicissitudine aëris modo tracti, modo pulsi, cum reliqua exercitia concilient carni duritiem, & densitatem, vnde apparet experientia ex reliquis exercitijs reddi homines ingenio magis hebetes, ex cantu verò ingeniosiores.

Tertiò: vt li varietate modo exhaurit musculos laxando, modo roborat intendendo, cum enim editur sonus acutus, prolongatur collum,& mentum sursum,quare tenduntur muscula ceruicis, & consequuntur eandem tensionem thorax cum ventre. In graui autem sono laxatur, deprimiturque collum, & mentum, quare, & pectus, & venter.

Quartò: excrementa corporis maximè capitis, & pectoris per dilatationem, & calorem meatuum excernuntur, multi enim muci à capite legentibus prodeunt, & vapor crassus ex ore exit, & per cutem roridus sudor.

Quintò: Omnes excessus intemperamentorum moderantur, nam valido illo aëris tractu spiritus noster refrigeratus quantitate, & qualitate calet, humida verò excrementa absumuntur. Sic siccitas plurimo aëris tractu temperatur, calor verò immodicus eadem aëris copia refrigeratur.

Tertia propositio: jucunda est vociferatio, sicut & reliqua exercitia post aluum purgatam,& deambulatio postea sequatur, vel aliquanta frictio, incipiatque à sono grauissimo, paulatimque procedens ad acutissimum, vnde rursum fatigata vi redeatur ad grauissimum, vt scilicet progressus fiat paulatinus, satiusque est memoriter recitare, quam legere, quia ita animus magis intendit modulato exercitio.

Optimæ sunt ad recitandum, quæ includunt frequentes vocis varietates, qualia in musica vocantur (mudanças) & ex versibus Iambici, vel Saphici, hoc nomine præstant eligiacis.

CAPVT XXXI.

De Hæmorragia narium.

Incipit ex his, &c.

ADuerte primò: methodi præcepta. Primum: si fluxus debilis est, licet incipere à remotione causæ; si verò validus, ab eo quod magis vrget, id est vt sistatur per valida reuellentia, vtrumque tamen non tarde complendum est.

Secundum: si causa fluxus est bilis vacuetur cum tamarindis, mirabolanis, & cassia, ex cephalalgia biliosa. Præterea infrigidetur, & incrassetur sanguis, potissimum membrum à quo prodit, intro quidem cum papauerino, & aqua portulacæ, & chalybeata, extra verò cum bolo armeno, & poscha rosacea. Succi verò infrigidantes imponantur membro vnde fluit sanguis, & si ex toto corpore totum infrigidetur, & vbi vis tolerat, in frigida mergatur. Si verò causa est serum plurimum, sanguis exsiccandus, & calefaciendus est cum decocto thuris, & nucum expressi. Vacuandumque serum cum mirabolano, & succo ireos ex cap. de hæmoptoisi.

Tertium: plurimum potest reuulsio valida per ligaturas, & cucurbitæ è regione naris appositæ, natibus, spatulis, hepati, lieni, & magis sectio cephalicæ affectæ. Quod si fluxus impetuosus est, vel causa fluxus est plethora, semel plurimum exhauriendum est, si verò contra, fiat sectio angusta, & per interualla horarum paucissima quantitas crebro extrahatur.

Quartum: victus parcus infrigidans, & incrassans, amilum, pedes, oriza, acetaria, & portulaca cocta, & cruda, & indumenta paucissima, & laxa maximè juxta collum.

Quintum: localia sistentia hæmorragiam. Quædam id operantur congelando, vt camphora, & opium; alia crustam inducendo, vt cauterium potentiale ex vitriolo, & calchanto,

aut calce, vel actuale. Quædam conglutinando, vt thus, & gypsum, alia adstringendo, vt bursa pastoris, & aloe. Nonnulla à proprietate, vt stercus asini, aut porci, aut hæmatites, & jaspis suspensa, inter quæ tutissima sunt adstringentia pariter, & glutinantia.

Remedia.

PRimum fronti applicetur gypsum in albumine. Validius ex Rasio gypsum, cinis cartæ, galla, sanguis draconis, calx, vitriolum (*caparroza*) vel albuminis, & amyli aña insufletur.

Tertium: Validius si continuo insuflatur, vel inspergitur lenimento imbuto albumine, calx aurificum, & penitus naribus inseritur, ea constat chrisocollæ (idest tincal) fecis vitri (*latram*) partibus septem, mixtus autem puluis detur (*pos de soldar.*)

Quartum aliud: stercus asini, vel porci recens, vel aridum immitatur naribus.

Quintum: emplastrum laudatum 5. therap. 4. ad omnem hæmorragiam. ℞. aloes ij. thuris j. cum albumine, & pilis leporis tenuissimis, sequenti die si fieri potest de ligatione ejus primi quatuor circuitus compræhendat vulnus.

De Frictione ex Oribasio cit. cap. 17. & 20. & Galeno 2. de sanitat. per totum, & Celso lib. 2. cap. 14.

PRopositio prima: compendiosissime natura frictionum explicatur ab Hippocrate hic. Frictio dura ligat carnem, mollis soluit; multa attenuat, mediocris auget. Cum enim diuidatur frictio penes quantitatem, in multam, mediocrem, & paucam; penes qualitatem, in duram, mediocrem, & mollem. Hippocrates expressit in diuisione qualitatiua duas differentias extremas, eo quod habet effectus extreme contrarios.

rios. In diuiſione autem quantitatis explicauit vnum extremum cum medio, eo quod habent affectus ſimiliter oppoſitos. Pauca enim frictio cum nec trahat ſufficienter alimentum, nec ſufficienter roboret calorem membri, ad alitionem, non ſufficit augere carnem.

Secunda propoſitio: ad finiendam febrim præſtans eſt remedium, cum febris non eſt valida, nec jungitur inflammatio, aut ſudor multus, & febris obtinet jam ſtatum vniuerſalem, & adhibetur in declinatione particulari juxta 11. therap. 10. fiat autem frictio in junioribus à quatuor, in majoribus à ſex viris, ſcilicet ne dum interim pars vna fricatur, altera rarefacta frigeſcat, fricenturque juniores centies; adulti ducenties cum hydreleo calido, & præſtat ſi ſit camomelinum, & in tepidiori febre etiam addatur vinum album. Conſtituantur autem ita fricantes, vt priores duo, alter à dextro, alter à ſiniſtro fricent brachia vſque ad extremos digitos. Duo ſequentes thoracem, vſque ad inguina: poſtremi duo crura, vſque ad imos digitos, tandem leniter contrectetur collum cum capite. Frictionum modus eſt, vt incipiat à leni, & terminetur pari lenitate; in medio ſit celer, & præmens, & ſemper magis ſuperne deorſum, quam è conuerſo homine conſtituto, primum quidem ſupino, poſtea prono; ſcilicet vt exercitatio ſenſim incipiat, & finiat, & præterea vt excrementa in parte poſteriori ad anteriora mandentur.

Tertia propoſitio: ſi procedente frictione ſuccedit ſenſus vlceroſus, vel parua tollerantia, vel immodicus calor junctus multæ implaciditati, vel pulſus, aut reſpiratio valde debilitatur, aut crebreſcit, vel febris intenditur, & paulo poſt nõ miteſcit confeſtim ceſſandum eſt. Si verò hæc abſint, apparet hilaritas vultus, tumor carnis, pulſus non langueſcens, perſeuerandum eſt, & licet poſt frictionem febris æqua redierit, ea declinante rurſus fricandum eſt. Nam paulo poſt ſæpe apparet vtilitas, ſcilicet quia febris non redit, vel mutatur, in alium typum, vel redit vehemens, ſed ſemel tantum, vel fit

continua, nec tunc opportet turbari, nam cito cessant. Quare amplectendum est remedium, vt generosum, cum conditionibus dictis.

CAPVT XXXII.

De Dolore dentium.

ADuerte primò: conseruandorum dentium præcepta vltra Auicenã, & Doctores hic. Primum, benefacit si non dormiatur ore hyante, eo quod non exhalat ad dentes flatus ventriculi teter, cum habeat exitum.

Secundum: optime facit si semel in mense mundentur erradicato lapide, & apposito parcissimo vnguento, & aqua forti, papyro, farina ordei.; aut semel in hebdomada colluantur, cum aceto schyllino, in minori necessitate cum vino, in quibus dissoluatur trochiscus, scilicet ossium dactilorum ʒ. ij. coralli rubri ʒ. j. farinæ lupinorum ʒ. iij. schyllæ assatæ ʒ. vj. radicum iridis ʒ. iij. trita cum melle conueniant in trochiscos dragmales. *Item a raiz do memendro posta na coua do dente tira a dor.*

Tertium: si gingiba immodice tumeat, aut liueat, scarificentur, & valde præmantur à sanguine, coquente collutione vini nigri decoctionis rosarum, saluiæ, balaustiorum.

Aduerte secundò: curandi doloris calidi præcepta. Primum in initio contineantur in ore refrigerantia, & præstat esse aliquid abstergens, vt reprimatur fluxio humorum, verum vbi copia humoris inflammat gingibam, vel dentem distendit, magis sedat dolorem leniens aliquod, vt decoctum maluæ, & violarum.

Secundum: si materia fluit sanguinea, aut mixta, diuertenda est simul, & euacuanda, cum phlebotomia cæphalicæ, & si creditur communicari ab inferioribus eligatur vena cõmunis, sequantur scarificationes, aut hyrudines, in dorso,

 mento,

mento, gingibis sub lingua. Si verò causa est biliosus humor merus, præsta cholagogum phlebotomiæ. Quod si jungitur inflammatio, sufficiunt tamarindi cum cassia, & mirabolanis, vt constat ex cap. de cephalalgia biliosa.

Tertium: vniuersale est remedium, aqua communis, vel magis rosacea, cum sub triplo aceto, & in majori calore ad ℥. j. liquoris adde camphoræ gr. x. vbi verò dolor magis vrget suffiatur cum imbuto (id est infundibulo) ex semine hyosciami, vel leniatur dens dolens cum camphoræ, & pyretri aña gr. x. in syrupo acetoso. Validius, & rosacei ʒ. ij. opij gr. v. in quo inuolutus cottus comprætendat totum dentem; vel deglutiat pillulam j. opiatam ex cap. de catharro.

Aduerte tertiò: curandi doloris frigidi præcepta. Primum, collutio in initio cum calidis permixtis adstrictioni, post maturatorijs, & resolutorijs, decoctum gallæ in vino, & aceto, post decoctum vernicis; deinde decoctum passularum, & caricarum; benefacit masticatio pyretri, educens pituitam, & si cum puluere origani, salis, seminis synapis inuolutis in lintheo fricetur dens cum gingiba. Vel ex staphysagria, & pyretro aña ʒ. j. cum pauca cera fiat capsula denti. Vel fricetur cum aqua ardenti.

Extra valent fomenta ex millio, aut sale, aut cæpe assum cum linino. Vniuersale autem in omni dolore ita paratur. Radices altheæ coquantur ablato meditulio, tundantur, & addita farina camomilæ, fœnu græci, & seminis lini, & camomelino imponatur calidum.

Secundum: vbi dicta non sufficiunt, suffiatur dens, ex semine hyosciami cum styrace. Validius est, si in oximellitis ʒ. ij. opij gr. v. cottus intinctus imponatur, vel cauterizetur dens cum oleo ebulliente, scilicet in cuspide radij intincto cotto; vel cum aqua forti, aut styllo ignito, aut tenacula immittatur sæpe frustulum thuris feruens, immittatur autem, vel foramini, vel radici dentis, præstatque in hujusmodi cauterizationibus, vt partes sanæ operiantur petia imbuta rosaçea.

Aduer-

Aduerte quartò: curandæ erroſionis præcepta. Primum, emendetur putredo poſt applicationem frequentem cotti intincti in aceto, decocto melanthij.

Secundum: impleatur foramen folijs auri, vel cum maſtice, in frigido ſanguine draconis. In calido ſuffiatur ſemine hyoſciami cum ſtyrace. Valent cauterizationes dictæ; quod ſi dens vndique illinatur in aqua forti, in poſterum non dolet, ſed tractu temporis frangitur.

Tertium: non eſt temere extrahendus dens, ſi enim cauſa eſt in gingibis, lædit cum augeat defluxum; ſi in neruis aliquando prodeſt propter faciliorem vacuationem materiæ, aliquando obeſt propter auctum dolorem. Si cauſa eſt in dente, ſanat extractio, & non fiat niſi ſedato dolore ſaltem cum narcotico, & dente exacte ſcarificato.

De Ambulatione, ex Oribaſio cit. 21.

PRopoſitio prima: deambulatio commodum exercitium eſt, cum ſcopus eſt deducere infra ſuperiorem humorem, ſed oportet vt ſit multa, & contenta, ita vt crura modo plus, modo minus moueantur, & gradiendo corpus incumbat, modo calcibus, modo digitis pedum; ſi enim fiat extremis digitis renitentibus, & aluo ſupreſſo, impenſe prodeſt, opportet autem, vt inſtar reliquorum exercitiorum incipiat, & contineтur mitis, in medio autem fiat vehemens.

Secunda: ſuſcipit variationem deambulatio ex loco, & aëre in quo fit, ita vt accliuis, jejuno homini dilatat meatus omnes ſpirandi, quia in valida corporis eleuatione, cum multus ſpiritus exhauriatur, neceſſe eſt plurimum aërem trahere ad eum alendum, quia confert talis deambulatio obſtructis, & aſthmaticis. Decliuis verò laborioſa eſt cruribus, ſed omnium maxime materias capitis deorſum deponit, quæ fit in breui ſpatio, vel circumuoluto, capiti nocet ob ſpirituum vertiginem. Progreſſus in arena valde firmat totum corpus, &

mate-

materias infra deponit. Quæ peragitur in pomarijs, vel viridarijs blandissima est, sed caput repletur tum propter odorem, tum propter loci humiditatem. Omnibus præfertur quæ efficitur in sublimibus tabulatis (*varandas altas*) aër enim ibi est purior, quare expers flatuum terrestrium, & cum tabulata cedant gradienti, materias deorsum trahit. Quæ verò peragitur juxta mare attenuat, & siccat, quæ verò in mediterraneis minus. Quæ juxta flumen humectat, juxta stagna verò lædit. Reproba est quæ in locis fit cauis, vel sub tecto, sub dio verò optima est, mediocris sub vmbra arborum, cum arbores salubres sunt, si peragitur in loco à ventis silenti excrementa dispergit, si in ventoso variè operatur juxta venti varietatem. Nam boreas thoracem lædit, ventrem, & sensus roborat; Auster autem corpus, & maxime cerebrum infirmat, & replet: Solanus ferit, malusque est; Zefirus jucundus, & blandus, sed vniuersaliter propter frigiditatem densantem minus dissipantur excrementa, quod si in loco à ventis silente, si sub cœlo sereno fit, leuat, & attenuat, si nubiloso, replet, & grauat. Inæqualis minus fatigat, sed minus etiam firmat corpus, quæ si per æqualem campum fiat; quod quæritur ab Aristotel. 1. pobl. 10. & 13. causa, videtur quia assiduitas vnius motus magis fatigat, quam si fiat in motu permutatio: qua de causa vt minus fatigemur in quouis exercitio, manus, aut pedes commutamus membra ipsa, sic deambulatio per inæquale spatium, cum fatiget vicissim, modo quidem superiora in ascensu, modo inferiora, in decliui, magis alleuiat, quam si æqualem viam vno motu conficeremus; verum si motum aliquem intersecamus quietibus, vt fit in breuibus deambulationibus magis fatigamur, quam in conficiendo iter longum, & continuum, & in processionibus, propter quietes medias magis fatigamur. Causa diuersitatis inter hunc casum, & priorem, videtur quia quietes mediæ causa sunt, vt excrementa per exercitium liquata defluant ad juncturas calore fatigatas, quare repletæ laborant: vbi verò motus non interpolatur quietibus, sed motuum, & figura-

gurarum varietate fit, vt modo ex vna proprie exhauriatur spiritus scilicet, & excrementa, modo ex altera, quare ita singulæ proprietates minus laborant.

Propositio tertia: variatur & deambulatio, penes quantum, & qualitatem, nam pauca, & quiete conuenit cibatis,& à somno expergefactis, lassitudinemque soluit, purgatis exercitandis, exercitatis dolentibus, quamuis corporis partem; totum corpus graue habentibus. Robusta verò conuenit vbi placet meatus distendere, carnem augere, calefacere. Multa verò conuenit vbi caput, aut thorax male affectum,& aut vbi destituimur alio exercicio. Penes tempus item:sic matutina aluum emollit,spiritus attenuat,vapores dissoluit, vespertina verò dissipat flatus,& somnum allicit.

CAPVT XXXIII.

De Pustulis oris.

ADuerte primò: curandarum pustularum oris præcepta. Quas Græci apthas; Arabes alcola (*boca danada*) appellamus. Primum: si leuia sint vlcera non errodentia, illinantur cum rosacea infusi corticis bugiæ, vel illiniatur ex rosaceo, & amyllo, vel ex puluere dragacanthi, & gummi arabici in syrupo rosaceo. Si verò sola sit excoriatio optimus est puluis ligni putrefacti, caries (*caruncho*) consolidans autem in vlcere non profundo ita paretur. ℞. gallæ ʒ. j. rosaceæ ʒ. vj. aceti ℥. ij. ad consumptionem iiij. partis, cum quo os colluatur. Validius rasuræ pergamini, aluminis, gallarum aña ℥. j. in ℔. j. vini maneant ℥. viij.

Secundum: in causa calida conuenit præcedere phlebotomiam cephalicæ, & scarificationem sub mento, vel in collo. In frigida autem præcedant cochiæ.

Tertium: si vlcera errodunt inungatur crebro, cum ægypsiaço in aqua plantaginis, mundato autem vlcere inspergatur

gatur puluere ex mastiche, thure, corallis, & in aurora colluatur os cum vino calido.

De Gestatione, & alijs particularibus exercitijs, ex Oribasio lib. 6. 23. & sequenti.

PRopositio prima: gestatio media est inter motum, & quietem singularum partium, estque æqualis exercitatio, quia non habet diuersitatem partium motarum à quiescentibus, & placidissima, quia nulla pars laborat in deferendo, sed omnes æque deferuntur. Præterea patitur omnem varietatem juxta robur, & velocitatem gestantis, quare nihil minus magnis exercitijs operatur.

Secunda: in veternosis inducit vigiliam, quia roborat corporis tenorem, cujus dissolutio torporem inducebat, in vigilantibus verò inducit somnum, quia eleuat vapores suaues soporiferos.

Tertia: ex speciebus gestationum leuissima est in lectica perpulchra, gestandus est autem jacens, qui valde debilis est, vel febriens, sed non paruissimo spatio, nam aliquando id febrem excitat, sed longiusculo reliquis præstat sedentes gestari. Item veternosis commodius est sedile non tectum. In vehiculo (*andas*) vel curru vim habet emolliendi stabiles morbos propter varietatem motuum in ascensu, & descensu, similiter, ac nauigatio in tranquillo mari, nisi quod gestatio in vehiculo habet aerem minus aerem, & siccum. Quare longis morbis non æque commoda est, quæ verò peragitur in mari, potissima est ad morbos longos, propter contrarias, & vehementes mutationes, dummodo parum mouetur, modo vehementissime, & velocissime, & modo animus securitate torpet, & modo timore turbatur, quare operationem efficit albi veratri. Æquitatio verò hoc habet deterius supra dictis, quod fatigat inguinem, si autem fiat per impulsum (*de arremeço*) laboriose concutit corpus, & est intensissima thoracis

cis exercitatio. Quare requirit repentinam, & vehementem intentionem ſpiritus, ſed ob diſtenſionem ſepti valde roborat ventriculum, redditque ſenſoria propter contentionem multo purgatiora. Geſtatioque in lectica, aut cathreda 1 die peragitur per ſtadia 8. & in ſequenti tantundem, inde quotidie ſuperaddantur ſtadia quinque; in vehiculo verò incipiat à 30. deſinat in 60. qui naui peragitur incipiat à 60. deſinat in 120. vbi autem intentio geſtationis eſt prouocatio ſomni, vel ſedatio doloris, terminus eſt ablatio ſymptomatis præter naturam. Complent autem 8. ſtadia miliarium vnum, perficiunt autem miliarium vnum jactus baliſtæ, ſicut leuçam noſtram miliaria quatuor.

Quarta propoſitio: venatio terreſtris ex Tacuino eſt immodica exercitatio, maxime inſuetis, infrigidat, & ſiccat. Quare qui conficiunt venationes, redduntur obnoxij morbis, piſcatio verò infrigidat, & humectat.

Quinta propoſitio: ex eodem, & Oribaſio citat. Luctatio commoda eſt ſolis validis, carnoſis, non aptis ad pthyſim; efficit corpus muſculoſum, ſed paruæ carnis, & firmæ, diſſoluit pinguedinem, aquam inter cutem, & tumores omnes; ad luctam autem accedunt exercitia, quæ vocant vmbratilem pugnam, vbi cum vmbra certatur modo manibus, modo cruribus, modo calcibus. Præterea geſticulatio niſi quod hæc etiam imbecillioribus conuenit, & magis firmat humeros qui præcipue exercentur.

Sexta propoſitio: curſus vehemens exercitatione calefacit corpus, & firmat maxime ventriculum, ſiſtit fluxiones, licet in initio magis videatur eas mouere. In affectibus autem renum, profluuio ſeminis, & ſchyaticis, commodiſſimus: licet enim ſchyatici initio vix queant moueri, progredientes ſatis currunt; juuantur autem valde omnes dicti propter diſcutionem materiæ intro contentæ, partim propter contentionem extra pellentem, ſed caput ex retento ſpiritu repletur, & ſi fit operto corpore, mouet ſudores, nudo verò denſat carnes.

Septima propositio: natatio perpetuo lædit caput, quia constituit pronum, calefacit, & firmat, & attenuat corpus propter contentionem motus, particulatim autem quæ in mari fit prodest scabiosis, elephantiacis, hydropicis; quæ autem in fluuio, neruos debilitat propter frigiditatem, & humiditatem aquæ, quare raro admittenda est, perpetuo autem corpus perungendum, & fricandum est, & repente insiliendo in aquam, vt ita præcalfacta cute, & ex immersione celeri densata non læditur.

Octaua propositio: saltus differt ab exiliendo, nam exilire, est variare poplitem, & crurum articulos corpore eodem loco manente, quod tripudiantes faciunt. Saltus verò est violenta totius corporis ejaculatio. Prior potenter deturbat corporis excrementa, crura verò sufficienter olit, & roborat, nec thoraci incommodat. Saltus verò potentiùs pellit deorsum menses, vterum retractum, hæmorrhoidas, sed propter retentionem cohibiti spiritus thoracem concutit.

Nona propositio: pilla ex Oribasio 3.. & Galeno lib. proprio omnium est exactissima, & laudatissima exercitatio, cum in ea omnia, & singula membra omni genere, & motus, & quietis agitentur. Numerantur autem ejus tres species. Prima vbi ludens, vel ad parietem, vel ad socium jactat pillam vnica contentione, qui motus stabilitate crura, & brachia dorsumque intro comprimit. Secunda præstantior, in qua per modicam distantiam ludentes coguntur intendere aciem, & progredi, & ad modum varie ad omnem differentiam positionis mouere corpus, ne pilla eludat capientes. Tertia, exercetur per longum interuallum grandi pilla, cum copioso sudore, & motibus tum velocibus, tum validis, quare solis robustis juuenibus conuenit.

Decima propositio: jactatio alter nobis ludus similis est (*tirar con barra*) est incommoda capiti, & thoraci, propter magnum conatum in cohibito spiritu, atque ideo replet caput, & thoracem, sed naturalibus membris commodissima est, sufficienter

cienter calefacit, frigidum, & ascescentem ventriculum, & humeros, carnemque auget.

CAPVT XXXIV.

De Angina.

Incipit cum in diglutiendo.

ADuerte primò: curandæ anginæ præcepta. Primum, requiritur in calida festinatio maxima, nam quandoque intra quartam horam perimit. Quare phlebotomiæ copiosæ, & repetitæ, sequentibus scarificationibus dorsi, & sectione sub lingua, post phlebotomias lenitio, cum cassia, tamarindis, vel prunis ex cephalalgia sanguinea. Vel mannæ ℥. j. rhabarbari ʒ. ij. in ℥. vj. aquæ buglosæ, in quo tempore toto validis reprimentibus est gargarizandum.

Secundum: transacto principio, quod aliquando breuissime fit post dies tres, in frigida autem post multo plures, agendum est intro suppurantibus, ad quæ sequantur rumpentia simul, & extrahentia.

Tertium: postremo rumpendum est cum acuto ligno immisso per canulam, vel cum digito violenter impacto, & cum res desperata est aperiatur guttur inter duas cartilagines ad respirationem, & sanata angina vlcus consolidetur.

Remedia in angina.

PRimum: in initio calidæ. Succus punici dulce acidi gargarizetur. Vel rosacea infusi rhois, vel papauerini diamoron aña ℥. ß. rosacei ℥. iij. misce. In frigida autem diamoron, vel dianucum cum aceto.

Secundum: in augmento calidæ, lac gargarizetur, cui addi potest medulla cassiæ; vel mulsa decoctarum caricarum, &

passularum. In augmento autem radicis ireos, hysopi, adyanti aña m. glycerrisæ, passularum, caricarum, seminis lini, fœnu græci aña ℥. ß. mellis ℥. ij. in aqua sufficienti redeat ad ℥. viij.

Tertium rumpens; gargarizatio ex oximellite deuretico, & magis schyllino, cum decocto caricarum, & magis addito synapi, & salgema.

Quartum: vnguentum extrahens in calida, mucilaginis, seminis psylij, & citoneorum aña ℥. ß. fermenti, caricarum aña ℥. j. medulæ cassiæ, butiri sine sale aña ℥. ß. violacei ℥. ij. In frigida autem dialtheæ ℥. j. ß. mucilaginis, fœnu græci, & seminis lini aña ℥. ß. fermenti, caricarum aña ℥. j. amigdalini dulcis ℥. ij.

Quintum: à tota substantia curat stercus canis sola offa pasti, ex quo vulnerato insufletur gutturi, vel cum melle illinatur. Extra verò filum perfocatæ viperæ, & magis tinctum in murice çircundatum collo, vel caput viperæ collo appensum.

De Somno, & vigilia.

PRopositio prima: ex Oribasio lib. 6. cap. 4. & sequentibus, & Galeno 2. aphor. 1. somnus semper humectat, calorem innatum roborat, externum minuit. Quare in non febriente referto prauis, id est, crudis succis calefacit, in jam febriente refrigerat, videlicet quia cum innatus calor auctus per somnum, sit contrarius frigori, & calori lib. de tremore, & palp. 7. merito refrigerat extraneum calorem.

Propositio secunda: ex varietate partium acessionis, & diei. Si in initio acessionis, & augmento somnus lædit, non est lethale indicium, in declinatione verò si lædit lethale est. Nam in declinatione ex natura temporis juuat; in reliquis verò temporibus, si quidem morbus est intermittens, dormiendum est in interuallo, quia scilicet volunt retrahere humorem fluentem ad mineram, ad faciendam acessionem, ad vniuersam

ſam cutem. Vigilia autem præſtat in acceſſione; ſi verò acceſſio paulo longior eſt, ſtatus etiam, & declinatio accomoda ſunt ſomno; incommoda verò ſunt principium, & tempus antecedens principium: augmentum ſi breue eſt dormire poteſt, aut ſi incip•: poſt mediam noctem, ſi longum maxime, ſi incidit per meridiem vigilandum eſt.

Ex horis verò diei naturalis, nox potiſſimum poſt horam tertiam accomodatiſſima eſt; dies vſque ad meridiem non incommodus. Veſpera incommodiſſima. Cauſa præter alias videtur quia accedente ſole ad nos roboratur innatus calor, & cum ſomnus proportionetur criſi propter coctionem, & pugnam, requiritur adjutorium cœleſte ſolis accedentis non recedentis.

Tertia: vigilia in duobus caſibus maxime prodeſt, vnus cum quæritur reſolutio per halitum, & maxime ad minuendum ea quæ in ventre ſunt. Trahit enim vigilia à ventre, ſicut contra ſomnus retrahit ad ventrem, ideo ſtatim à ſomno non fameſcimus. Alter caſus vbi ſucci intro repunt, quod maxime accidit in craſſis, & frigidis ſuccis. Spiritus enim in tali abundantia extrameare non poſſunt, quare intro retenti augent craſſitiem, & obſtructionem eorum. Quare in talibus ſomnus malum eſt ſummum. Permittendi ſunt tamen parum dormire, tum ad reparandas vires per vigiliam abſumptas, tum ad coctionem humorum procurandam.

Quarta: ex probatis Auctoribus, matutinus retinet excrementa, quare non confert, niſi in his qui per noctem male coxerunt. Addit Celſus lib. 1. cap. 2. oportere tales, ſi hora matutina dormire non poſſunt, ſaltem in lecto quieſcere, ſi neceſsitas cogit ad ſurgendum, vt peracto negotio redormiant. Meridianus verò niſi in gracili corpore, cum robuſto capite lædit, non ſolum retinens, ſed gignens de nouo excrementa, & catharros, neruos emolliens, quia cum ſomnus omnis habeat noxam replendi capitis, & è conuerſo vſum coctionis promouendæ, meridianus infert eam noxam validiorem, cum

juuetur à calore diei ad replendum, & caret vtilitate, quia non habet tempus sufficiens coctionis integræ, quæ sola inanit caput. Nocturnus verò habet noxam paucam, vtilitatem multam, in studiosis verò ob lucubrationes antelucanas concedit idem Celsus longis diebus meridionari, quod si vigilia excessit, præcipit Auicena lib. de remouendis nocumentis tractu 6. odorare rosam, si somnus excessit odorare muschum.

CAPVT XXXV.

De Tussi.

ADuerte primò: curandæ tussis præcepta. Primum in tussi etiam calida, actu frigida propter asperitatem, quam inducunt pectori, cauenda sunt; quare præcipit Ras. etiam cum aqua permisceri syrupum violaceum.

Secundum: si sequitur ad catharrum, sananda est curatione catharri si verò ad calorem, vel frigiditatem alicujus partis, ea pars primum contrarijs curanda est, & emendanda.

Tertium: vbi molesta est somnum auferens, per opiata sananda est, & magis prouidendum tussi quæ pendet ab acri defluxu, vel vbi imminet periculum rupturæ.

Remedia Tussis.

PRimum: in calida, syrupus violaceus. Validius, syrupus jujubinus. Validius, papauerinus, & eo magis si in ℥. iij. addatur pulueris dragacanthi ʒ. j. contineatque in ore contrauo bechicas, & frequenter amylum in jure pulli, & dormiturus potet ciathum aquæ calidæ post penidiarum ℥. j.

Secundum: purgatio sine custodia frequentanda, pulpæ cassiæ, vel manna. Validior est, si soluatur in decocto pectorali vt liquiritiæ additis ʒ. ij. dragacanti, vel Rhabarbari.

Tertium: vnguentum in calida mucilaginis dragacanthi, & gummi

& gummi arabici, asfungiæ recentis, butyri sine sale, violacei & amigdalini aña cum pauco croco, & cera alba, vt fiat sparadrapum ex violaceo cum cera.

Quartum, in frigida tussi syrupus adyanthinus, validior de glysirisa. Validior de hysopo, potentiores sunt trochisci Rasis hic.

Quintum: purgatio sine custodia agarici ʒ. j. pulpæ cassiæ ℥. j. vel jus galli veteris cum ℥. ß. carthami, fœniculi, passularum vrticarum aña. Validior, purgatio est ex ʒ. j. & ß. pillularum de agarico. Vel pulpæ cass. ʒ. vj. agarici ʒ. ij. cinamomi gr. x. cum sacharo.

Sextum: vnguentum dialtheæ, vel mucilaginis, fœnu græci, seminis lini, adipis anserini, butyri recentis aña ℥. ß. mirrhæ ʒ. iij. amigdalini ʒ. j. ß. cum cera.

Septimum: in tussi non calida, caricæ, vel dactili pleni cando, & asi, item puluis mane sumptus ex cando, farinæ fabarum, glyserisæ ter in hebdomada jejuno mulsam potet. Quotidie sumat terebentinæ ʒ. j. jejunus. Validius, est loch de pino, siue celema (*lambedor.*) Validius loch sanum. Validius loch de schylla.

Octauum: in antiqua molesta tussi auferente somnum, pillula j. aut duæ Rasis dormituro. Item suffiatur jejunus cōtinuis diebus puluere Rasis hic, præsente pure in pectore, quo absente præstat per infundibulum ita suffiri. ℞. hysopi m. j. liquiritiæ, passularum aña ℥. ij. seminis fœnu græci, & lini aña ℥. j. & ß. in ℔. iiij. aquæ ad dimidias.

De Inanitione, & repletione.

PRopositio prima: commodissimum est quotidie alui beneficium. Nam lib. de aëre, & aqua, & 6. aphor. 33. qui aluuum humidam habent, minime morbis corripiuntur. Quare in omni valetudinario oportet non spectare.

Secundò: commoda & promouentia sunt clyster cōmu-

nis, vel in ſiccitate inteſtinorum, ex oleo ſolum inſulſo 5. de ſanitat. 9. quia parat in poſtremum ad facilem dejectionem, ſupra autem in affectibus calidis conueniunt jus pulli, in quo coquantur maluæ, pruna, betæ, mercurialis, collatum addito ſacharo potetur hora vna ante cibum, vel pulpæ caſſiæ ℥. j. aniſi gran. x. cum ſacharo fiat bollus ſumendus eadem hora. Vel conſerua alexandrinæ ℥. iij. ſupra potati ſeri ℥. iiij.

In affectibus autem non calidis aloes ʒ. ij. formentur pillulæ ij. ſumendæ mane, vel reſinæ terebentinæ, aut larinæ optimæ drag. ij. in nebula madente, aut Rhabarbari dragma ß. in vnica ß. ſachari roſacei.

CAPVT XXXVI.

De Aſthmate.

ADuerte primò: curandi aſthmatis præcepta. Primum, ſi eſt à ſanguine, phlebotomia baſilicæ, & repetita. Si propter retentionem infernæ vacuationis, etiam crura ſecentur, & prouocetur aſſueta vacuatio. Si propter catharrum capiti prouideatur.

Secundum: in frequenti aſthmate pituitoſo, ſanat in interuallis purgatorium, & vomitus frequens vſus commodus eſt, accommodat frequentatio vacuationis propter ſedem pituitæ, in ventriculo, ſimul cum medicamentis pectoralibus attenuantibus, & abſtergentibus juxta 7. local. 6. ſed repetita propter longitudinem morbi, poſt quæ ſequantur ſuffitus ſiccantes reſiduum. Conferunt pulmones omnes, & dulcia præſertim, ſi habeant junctam abſterſionem.

Remedia Aſthmatis.

PRimum: vbi cauſa non valde frigida eſt, remedia tuſſis dicta. Item quotidie pulmo vulpis ſiccus ad ʒ. ij. cum decocto cõmodo. Item punicum dulce parte ſuperiore quadri-

partitò

partitò ſcindatur, & ablato meditulio membranoſo repleatur cando, & inuolutum madente lyntheo ſub cineribus aſſetur, ſumantque grana eximie lenientia vocem, & pectus; item emplaſtrum imponatur pectori dactilorum, caricarum aña ℥.ij. radicum maluæ, & altheæ aña ℥.j. & ß. poſt coctionem, tritis adde ſtercoris, terebentinæ aña ℥.j. cum mucilagine fœnu græci, & ſeminis lini. Item ex 7. local. paſſulæ optimæ exacinatæ (ſem bagulho) fœnu græci lotum coquantur in octupla aqua, vſque ad diſſolutionem, collatum expreſſum quotidie calidum potetur addito ſacharo, vel ℥. j. ſyrupi violacei.

Secundum: in valde frigida valent remedia Raſis, & poſt purgationem ſuffitus tuſſis. Vel mane, & veſperi per dies quatuor, ita ſuffiatur, thuris, maſtichis, ſulfuris, lythargiri, ſanguinis draconis, aluminis, picis aña cum albumine coeant, & immiſſa calamo ferulæ ad ignem, & prunas euaporent, à ſuffitu autem ſumatur coclear mellis ad leniendam aſperitatem.

Aduerte ſecundò: de affectibus animi immodici. Affectus multis mortem, plurimis morbos accerſerunt. Nam 1. de ſanit. 5. non paucos ſanauit ſola moderantia affectuum. Argumentum eſt, quod fæminæ zelotypæ perpetuo ægrotant, quæ quam primum habent viros beneuolentiores conualeſcũt. Nõ ſecus qui paupertate, & mœrore quodam detinẽtur. Quod autem ſolicitudo vitã breuiet; oſtẽdunt curiales, & literati, quorũ vita breuior eſt, quam mechanicorũ, & ciuiũ. Ex oppoſita verò ratione diuitijs oppulẽti corripiũtur arthritide, & apoplexia.

Secunda propoſitio: repentinus timor ſæpe ſanauit in morbis, in quibus ſanguis impetuoſe ruit extrorſum, ſicut grandis ira nonnunquam ſanauit validas obſtructiones externas.

CAPVT XXXVII.

De Pleuritide.

ADuerte primò: Primum, phlebotomia conuenit copioſa, tum quia locus affectus maximè obnoxius eſt plethoræ, propter vicinitatem duorũ viſcerũ ſumme ſanguineorũ cordis,

& hepatis. Qua de causa inter inflammationes internas pleuritis frequentissima est, tum quia sectio cubiti citissime trahit à pleura. Quod ergo legitur 6. epid. 3. vltimo pleuritim impedire venæ sectionem, commode explicandum est ex Galeno in com. Verum in pleureticis phlebotomia aut excusanda, aut parcissime exequenda est in casibus. Primus vbi pleuritis leuissima est, quales euenire solent, cum sputo subcruento de qua 6.epid. citat. Secundus, cum jungitur fluxio ventris, quo casu præcipit Tralianus, vt licet in alijs fluxibus non sit statim illis repugnandum, in pleuritide statim sistatur, quia debilitat citra vtilitatem, & creditur prouenire ex pure inflāmationis communicato, cohibita autem aluo per fomentum adstringens, statim sequatur phlebotomia. Tertius, si pleuritis sequitur ad alium morbum in quo præcessit sufficiens phlebotomia. Quartus, si pendet à mera cacochymia, cujus indicium est si post phlebotomiam symptomata non sedantur, & adhuc magis si sequitur dyspnea aut syncopis. Quintus, si expuitur sufficienter coctum, debilitatur enim per phlebotomiam vis naturalis ad expuendum.

Secundum: num fomenta debeant antecedere venæ sectionem variant Auctores. Nam Tralianus damnat medicos non prius fomentantes. Contra autem docemur 4.continēt. & à Matheo hic, postquam constat de vera pleuritide.

Dic: si constat de pleuritide vera, & de plenitudine corporis non est præponendum fomentum, quia replet, si verò enim constat de his ambobus, adhibendum, quia sæpe excusat à plebotomia, etiam in vera pleuritide 2. acut. in initio, & 13. therap. 21. Nunquam in inflammationibus ante phlebotomiam vteris euaporante auxilio fidenter, id est certo, sed tentatiue ad judicandum, num subsit plenitudo, nec ne: fomenta autem pro humoris varietate mutanda sunt. Tralianus autem ita commodè parat in biliosa ex sola calida, & decocto camomillæ. In pituitosa ex lana cum anethino calido. In sanguinea apponit sacculum ex millio. In melancholica imponit

nit facculum ex furfure in decocto camomelli. Adnotauit etiam Auicena, quod fomenta humida etiam si non juuent, non nocent; sicca verò si nocent, magnifice nocent. Verum aliqua ex humidis etiam periculose adhibentur, vt decoctum in aceto, apud Hippocratem citat. Modus autem imponendi fomenti ex Hippocrate addiscendus, sicut numerus ex Galeno cap. de ophtalmia.

Tertium: vnde secandum est, ostensum est 3. thegni, quod fere à basilica affecta, ita vt non tardet secundatio ex eodem vase. Si tamen in initio morbi, vel quod frequentius est in processu credimus humorem fluere non à solis partibus rectis, sed & ab aduersis, vel ab inferioribus, cujus indicium est, quod post aliquot sectiones affectæ partis dolor non minuitur, secandum est ab aduersa, vel ab inferna.

Quantum autem ad mutationem vtriusque coloris, scribitur 2. acut. 11. vsque quo pro albo ruber est, scilicet explicante Galeno de sang. miss. 14. Per album intelligit minus rubentem. Cum enim sanguis mutatur in rubriorem, vel nigriorem, vel in magis variegatum priori sanguine, propter varietatem partium sanguinis putrentis, transpositus est jam sanguis noxius, qui continebatur in parte inflammata. Verum admonente Galeno citato, in vna missione rarissimò spectatur ea mutatio, quanto ergo minus nostro æuo spectanda est, cum multo parcius mittatur sanguis. Colligitur, quod si non adest interna inflammatio, nec maligna putredo, sanguis primò extractus magis putret, quia innatus calor intus vigens extrorsum pellit extraneum. In casibus verò contrarijs posterior sanguis deterior est. Colligitur etiam cur putrens sanguis petat summum vasis, vel ob calorem languentem, & inde etiam est, quod in pelui non apparet putridus, sicut in vasculis, quia pars dispersa putrens latet.

Num autem albus sanguis, qui quandoque innatat sit putridus. Dic ex lib. de atra bile 2. Pituita abundans in vasis innatat in sanguine extracto. Agens enim calor extraneus in hu-

midum, nigrefacit, si verò in subjectum siccum, albefacit, nam sanguis rubens actione calidi ignei albus reddi non potest. Accidit autem eam pituitam putrere, & tunc quo tempore innatat duplici nomine, & quia pituita, & quia putrens; pituita autem sua sponte innatat propter flatuum, copiam, initium enim coctionis multiplicat flatum, consumatio extinguit.

Quartum: de purgatione autem conueniunt lenientia sola, & si venter astrictus est, addi potest ℥.ß. Rhab. in ptysana infusi, verum purgatio integra, non est exequenda 4. die juxta Matheum hic, & 4. acut. 76. sed tradente Galeno in com. hic sicut in reliquis acutis, vel purgandum est in primo initio dum adhuc turgent humores, nec dum firmantur in parte, idque rarissime exequendum est juxta 7. aphor 24. & 2. acut. 10. vel declinante jam affectione, & remissa febre, quod præceptum in acutis omnibus exequendum est tanquam maximi momẽti. Nam 13. meth. 19. non solum in febre continente, sed etiam in tertiana, prohibet purgationem, antequam febris aliquo pacto remittatur.

Quintum: summe cõmendatur diuersio ad partem extimam, per profundam scarificationem, & cucurbitam in loco dolente, apud Tralianum, & 4. continent. tanquam certissimũ medicamentum, cum non est plenitudo in corpore. Nam humor trahitur à nobili ad ignobile, quia partes extimæ minus neruosæ sunt; tum quia non præmuntur à costis similiter internis. Gordonius putat esse curationem suspectam, quia si erratur, magnifice erratur. Vulgo apponuntur spatulis, vt sit diuersio paulo longiquior, & proinde securior, vbi non habetur certitudo de integra vacuatione totius. Conjectura autem integra vacuationis, apud Mes. est quod sint acti 8. dies morbi, apud Paul. & Auic. 14. sed conjecturale est.

Sextum: num repellentia conueniant in pleuritide. Nam Traliano in totum displicent. Auic. cum Mes. rarissime admittunt, videlicet cũ vocamur in principio, si humor paucus est, & non fixus. Dic: triplex indicatio haberi potest ad applicanda repellentia in pectore inflammato.

Prima

Prima est à dignitate membri inflammati, juxta quam scribitur 11. meth. 17. pectus, & renes habere medium locum inter membra quæ requirunt perpetuam roborationem per adstringentia, & membra quæ illud non requirunt.

Altera indicatio sumitur à situ partium pectoris. Nam in affectibus pulmonis propter multam molem interpositam, adstringentia externa, magis replebunt pulmonem, in pectore verò ipso affecto parce concedit, scilicet vt subaudiatur. Quod si inflammatio occupat partes externas pectoris, conferent adstringentia externa; si verò occupat pleuram, præstat non adhiberi propter periculum ad interiora repellendi.

Est etiam tertia indicatio ad expectorandum humorem inflammantem, & ob has postremas duas indicationes præstat in inflammata pleura non imponi adstringentia.

Remedia Pleuritidis.

PRimum: emplastrum sedans dolorem. ℞. Radicis altheæ coctæ, & præparatæ ℥. ij. florum camomilæ ℥. j. farinæ hordei ℥. iij. cum violaceo, & camomellino.

Secundum: fomentum ex decocto camomillæ, violarū, melilloti. Validior est si pro violis recipiat fœnum græcum. Vnctio autem mitissima est ex violaceo, validior ex amigdalino calido. Validior ex vnguento pectorali. Validior vnctio tussis frigidæ, aut cerotum ex ea. *Maluas pizadas com vnto, ou com manteiga crua, cabeças de macella, & farelos, feito disto emplastro, posto sobre a pontada. Ou folhas de violas, macella, coroa de rei cozidas, deste cozimento molhem meada, ou feltro, aplique se.*

Tertium: expectorans in valido calore, mucilago psilij extracta in aqua buglosæ, cum pauco syrupo violaceo. Remissius est lac seminum frigidorum. Remissius ptysana. Remissius lac furfuris çum amigdalino, & penidijs.

De Alimentis: ac primum de necessitate alimenti.

PRopositio prima: cum constemus quatuor elementis, talia autem perpetuo dissipantur in mixtis, multo magis in viuentibus, cum vita sit permansio calidi in humido, in lib. de morte, & multo magis in animalibus, actuali enim calore constant non potentiali, vt multæ stirpium 3. simp. 6. & inter animalia non minimum homo, tum quia est animalium calidissimus 10. probl. 55. tum quia cutem habent tenuissimam, ideo dissolutioni aptissimam 3. de hist. 11. eguit necessario substitutione quatuor cõponentium, & terra quidem restituitur cibo, aqua potu, & ignis respiratione, & pulsu 1. de sanit. 3. in quo loco per potum intelligit cibum liquidum 7. aphor. 17. 2. libr. aqua non nutrit, licet possit connutrire 3. acut. 17. 4. aphor. 17.

Præterea intelligendum est omnia hæc ex omnibus ijs restitui, sed majorem partem singulorum, ex certis scilicet solida, & spermatica magis ex solido alimento reparantur; carniformia autem magis ex liquido.

Nec obstat, quod scribitur 4. therap. 3. carnem reparari ex medio alimento solidi, & liquidi. Quia 1. de sanitat. dixit partem aqueam in nobis reparari liquido alimento, 11. autem meth. dixit carnem nostram restitui ex alimento medio solidi, & liquidi.

Nec obstat item, quod oportuerit vltra cibum, potum, aërem, parari quartum alimentum igni; quia cum intus ardeat cor, quod motu perpetuo ex aëre citissime reparat ignem, pars aëris tracti per pulsum, & respirationem, seruit aëri resoluto, pars regenerando igni dissipato, non secus quam piscibus, ex eodem cordis calore parat perpetuam migrationem aquæ in aërem, vnde refrigeratur.

Secunda: quod autem horum sit magis necessarium. Dic singulata ita necessaria sunt, vt quouis ex toto deficiẽte pereat homo.

homo. Non enim potest constare, sine omnibus quatuor humoribus, & elementis, lib. de natura humana in initio, vincit tamen in perpetua necessitate respirandi ignis, deinde aër, aqua, & terra. Ratio est quia tenuia citius dissipantur, & vehementiorem calorem habent, & nisi substituantur, citius immutant hominem, quare respiratio plus potu, potus plus cibo necessarius est. Argumentum afferunt quod exeuntes carcere plus appetunt aërem liberũ, deinde potum, tandẽ cibum; ideo etiã natura parauit igni, & aëri internis, copiosissimũ alimẽtũ. Continens enim idem præstat aëri, & igni, quod terra plantis.

Tertia: cujus ex his tribus malitia dãnosa plus sit. Dic, eodem ordine, nam quod citius, & magis immutat plus operatur quam quod tardius, & minus, & licet cibus plus in corpore moretur, magis præstat frequentia aliorum in alterando corpus in solido alimento. Adde quod illa duo accedunt ad corpus fere non mutata, alimentum verò mutatum. Item apparet morbos maximè lethales, & repentinos oriri ex aëre prauo, deinde ex aqua praua, postremo ex malo cibo. Sicutè conuerso nihil potentius expugnat morbos diuturnos cõmodo aëre 6. epid. sect. 2. com. 20. Item maxime immutatio regionũ ex varietate clymatum oritur, minor ex varietate aquarũ; adhuc minor ex varietate alimenti. Addit rationem particularem, cur aquæ malitia plus obsit, quam cibi, Aristotel. 1. pobl. 14. Quia plus sumitur aquæ quã alimenti. Quod tamẽ idem Auctor scribit pobl. 13. mutationem aquarũ magis cauendam esse quàm aëris, vniuersaliter recipiendũ est. Nam si conferatur mutatio inter extremos aëres magis noxia est, quã mutatio inter extremas aquas & malitia extrema aëris pestilẽtior est, quã aquæ, nam 8. de hist. 19. pisces non patiuntur pestem, Indus verò si permutetur ad Sclauoniã, aut infirmabitur, aut morietur, Auic. 1. 1. de cõplexionibus, in prauo tamen tractu terræ, vulgo recte magis timetur mutatio aquarũ, quam aëris. Causa est quia in prauo interuallo terræ aëris mutatio non est insignis, sequitur enim varietatem cœli, çujus cõparatione tota terra punctum est. Aquarum autẽ

diuersitas in paruo interuallo terræ, immo in vno oppido potest esse insignis, quia oriuntur à partibus terræ distantissimis in substantia, & temperamento.

CAPVT XXXVIII.

De Hæmoptoisi.

Incipit cum sanguis, &c.

ADuerte primò: curandæ hæmoptoisis præcepta. Primum si procedit à palato, vel gutture, vel cerebro fere salua est, sanatur adstringentibus, gargarizationibus ex cap. de angina, & prouidendum est membro mandanti phlebotomijs cephalicæ, & sanguis tenui victu minuendus.

Secundum: si procedit ex naribus, cautius agendum est, nam sæpe est criticus, vel peryodicus, sanans multos morbos, talis nullo pacto sistendus est, vbi verò excesserit, sistendus est per adstringentia, & secanda est vena communicans parti mandanti.

Tertium: in sistendo sanguine spiritualium, primo tenuis victus imperandus est, ita vt per totum diem naturalem abstineat, in sequentibus parcissime edat. Varianda est ergo ratio medicamentorum juxta varietatem 7. local. 4. Nam si causa creditur ebullitio sanguinis, infrigidantia sanant; si apertio osculorum, adstringentibus perficitur. Si ruptura vasis, validius adstringentia simul, & glutinantia. Si verò errosio, narcotica sanant, & cibi euchymi perpurgato corpore, in omnibus tamen medicamentis thoracis adstringentibus opportet permisceri aliquid calidi attenuantis, ob distantiæ longitudinem, quod affectus naturalium membrorum non requirunt. Sanguis autem extrahatur modò parce, modo abundanter, & cacochymia si adest purgetur similiter, vt in hæmorrhagia narium.

Quartum: hæmoptoisi obnoxij, quod Celsus docuit vniuersaliter lib. 2. cap. 2. quam primum plenitudinis initium senserint, statim sibi sanguinem mittant, & præterea se temperent à multo esu carnium, præsertim pectorum galinarum, ex Traliano, & ab inducentibus ebullitionem sanguinis, siue internis, siue externis. Adstringentia autem externa in hæmorrhagia pectoris parce conueniunt, in hæmorrhagia pulmonum nullo pacto lib. de const. art. 17.

Remedia.

PRimum: expurgans bilem apperientem vasa. ℞. pulpæ tamarindorum ʒ. vj. Rhab. ʒ. j. cum sacharo, vel mirabol. citrinorum contractorum ℥. j. tamarindorum, prunorum aña ℥. ß. jujubæ xx. coquantur ad tertias, collato expresso adde syrup. viol. ℥. ij. Si verò sit causa hæmoptoisis plurimum serum sanguinis, loco Rhab. substituatur agaricus. Vel in mulsa coquantur chebulorum ℥. ß. collato adde succi ireos defæcati ℥. iij.

Secundum: restringens feruorem. Continuo deglutiat succum portulacæ, & hypocistidas, sileat, quiescat junctis infernis artubus, sumatque quotidie trochiscorum de terra sigillata: Vel validius de charabe ʒ. j. syrupi mirtini, & adyantinina aña ℥. j. ß. Vel conseruæ rosarum ℥. j. tragachanti, gummi arabici, balaustiarum, cornu ceruini aña ʒ. j. cum syrupo citoneorum.

In valido autem feruore sumantur mucilagines psylij, syrupi papauerini aña ℥. ij. hæmatitis lotæ, cum aqua plantaginis ʒ. j. Vel seminis hyosciami albi ℈. j. & succi plantag. ℥. ß.

Vbi autem calor non vrget. Radicum symphiti majoris contusarum ℔. ß. in aqua cisternæ ferrata, aquæ plantaginis, aquæ portulacæ aña ℔. ij. coquantur ad tertias, addito amyli, gummi arabici aña ʒ. j. sumat mane ℥. v. frigidas cum ℥. j. syrupi myrtini, & ad vesperam tantundem.

Tertium: ſedata hæmorrhagia emundans frequentandum in aurora modice calidi. Ptyſanæ optimæ ℥. iiij. lactis ſeminum frigidorum ℥. ij. ſachari ℥. j. in diebus continuis. Facilitans autem ſputum in ſalſo humore eſt ſyrupus violaceus. Vel validius papauerinus ℥. iij. pulueris dragacanthi frigidi ʒ. j. & ß. ſucci liquiritiæ ſeminum cottoneorum aña ʒ. ß.

De Quantitate alimenti.

PRimum: ſanitas conſtat duobus cardinibus, altero replente, altero vacuante, Hippocrates lib. de dietis. Tunc enim præſtat ſanitas quandiu, reſpondent ſibi mutuo hæc duo proportione. Nam quia alimentum neceſſarium eſt ex propoſitione priori, & nullum alimentum vacat excrementis, cũ non habeat hominis ſubſtantiam, requiritur ad ſanitatem exercitium reſpondens proportione copiæ recrementorum, fere autem ſolent peccare in cibo per nimietatem, in exercitio per parcitatem, propter hominum ſegnitiem, juxta Hippocratem 6. epid. 4. tex. 22. Exceditur autem magis in copia alimenti in hominibus fere, & ſuibus. Cujus cauſa videtur vltra paulo ante explicata de copia caloris, & tenuitate cutis, immodicus appus conceſſus à natura his animalibus; ſuibus quidem ob eſitatem, quam natura illis dicauit. Hominibus verò ob copiam ſpirituum ad animi opera. Quare plurima attractione alimenti pollent, ſicut pueri, & conualeſcentes.

Secunda propoſitio: inter exceſſus deteriorne ſit in cibo quam in potu. Dic in potu, apud Celſum lib. 1. cap. 2. ſiue quia homo inter animalia plurimum potat 1. probl. 55. ſiue quia humidum non moratur, quare non bene coquitur; ſiue quia intemperantiæ in potu ſolent eſſe majores, eo quod non ita granat potus ſicut cibus; ſiue quia interponitur pauco alimento. Quare alimentum fluctuat, & non coquitur; ſiue quia cogitur diſtribui alimentum ante coctionem. Quare locum Celſi (& ſi male) corruptum eſſe arbitrantur, victus autem delicatis, &

otio-

otiosis replet corpus crassis succis 2. de fract. 27. inedia autem repentina, edit carnes mucosas, arteficiosa verò siccas 1. de art. 30.

Tertia propositio: quantitas aliměti moderata, est quæ respondet calori innato, demptis his quibus imminet periculum plethoræ 1. aphor. 5. Nam primo de causis morb. 3. sicut ligna oportet respondere proportione igni, ita alimentum quantitati caloris nostri. Si enim fuerit amplius alimentum, quantumuis natura calidum refrigerat per suffocationem, vt vinum. Sola enim temperata quantitas excalefacit, quamuis natura frigida sit, vt lactuca 3. de temp. 4.

Verum hæc consideratio sufficit ad inueniendam quantitatem alimenti in homine sano, nam in ægris, non est exhibendum, quantum conficere possunt, cum ex alimento immineant mala in ægris, sed exhibendum, quam minimum possint durare, vsque ad statum, quod cum minima noxa possunt conficere, juxta quod scribitur 3. de sanit. 12. minus alimenti dandum esse, vel quia non eget, vel quia non coquit.

Quarta propositio: signum modicæ quantitatis est, vt accedat prope ad saturitatem, remanentibus famis reliquijs, quæ post horam vnam consumantur 5. 1. doctrina 2. cap. 7. consumuntur autem, ex fumis replentibus, ob calorem ebullientē in alimento, sicut ollam ad ignem non opportet apponi plenam, vel etiam quia incipiente ventriculo coquere alimentum, remittit pristinum chylum meseraicis. Quare fames ex toto cessat. Addit Auicen. citat. indicium ejus moderantiæ. Edendum est igitur quandiu non accedit magnitudo pulsus, & paruitas respirationis, cum qua sententia recipiendus non est simpliciter. Videturque delusus ex lib. de vsu pulsuū in initio. Vera autem sententia colligenda est, ex 3. de causis puls. 16. Quod moderata cibatio reddit pulsus magnos, & æquales; immodica autem efficit pulsus inæquales, & respirationem paruam.

CAPVT XXXIX.

De Pthisi.

ADuerte primò: de tabidorum curatione præcepta. Primum: lactis potio inter vlcerum remedia maxime pulmonis commodatissima est, ob causas vulgatas, modo obseruentur in ea tradita à Galeno 7. therap. 6. & ab Oribas. 4. comp. 4. & à Constantino, & Mesue cap. de pthysi. Primum sit lac mulieris, aut asinæ, aut saltem capræ sanæ exercitatæ, in excelso passæ stirpibus exsiccantibus.

Secundò: sugatur in vbere, aut saltem excipiatur in olla opperta lyntheo, aqua calens effundatur, & quæ intra vas aqua plenum locetur, emulgaturque supra sacharum pulueratum, & emuletum statim sorbeatur, prius tamen exsuflata spuma.

Tertiò: quandiu moratur in ventriculo, fugiat vinum, seu coagulans, ideo etiam pueris interdicitur, nec aliud alimentum illis permittitur, machinandusque est citus descensus à ventriculo, ad quod benefacit, vt post sumptionem vigilent, aut deambulent, non tamen laborent.

Quartò: eo descendente potest aliud supra potari, & rursus tertium si tollerent. Operatur autem lac primum euacuationem eorum quæ in ventre, & intestinis contineatur, post modum ad vasa means optimè alit, nec amplius dejicitur; incipiendumque est ab ℥. iij. addendo quotidie ℥. j. vsque ad vj. Quod si propter dictorum incuriam acescat, aut corrumpatur, aut concrescat, nocentissimum euadit.

Quintò: oportet vt non jungatur aliquod impedimentum ex relatis 5. aphor. 64. capitis imbecillitas, fluxus biliosus, febris magna, illia murmurantia sitis: verum in catarrho obest lac in initio, nam posterius caprinum maturat catarrhos 2. canon. In febre autem ardenti exhiberi potest, si prius

extrahatur butyrum, deinde permittatur in aëre temperato nocte vna, mane autem eo agitato auferatur ſpuma, & exhibeatur, quandiu intentio eſt emundare vlcus incipiendo ab ℥. iij. lactis cum ℥. j. biſcocti panis, paulatim minuendo biſcoctum, vſquequo ſolum lac detur. Emundato autem vlcere, cum intenſio eſt conſolidare, incipiat permiſceri biſcoctum, vſque quo ſolum biſcoctum detur, memorantes ex 10. continent. cap. de pthiſi, quod antiqua vlcera pulmonis indigent exſiccari, à lacte autem læduntur.

Secunda propoſitio: num euacuationes conferant, diſſident Auctores, nam Meſues cum Auicena concedit repetitas phlebotomias, & lenes purgationes, Raſis verò non meminit phlebotomiæ, & aperte prohibet purgationem. Dic, in initio quando adhuc intenſio ad cauſam præpollet, nec vlcus valde impreſsit, ſicut in reliquis vlceribus conuenit vacuatio humoris prohibentis conſolidationem, maxime cum in pthyſi propter paucam euentationem calidi innati humores vitientur, quod oſtendit membrorum innutritio, & pillorum caſus. Verum intentione vlceris facti dixit Actuarius 3. meth. 18. in omnibus febribus cõmodam eſſe aluum mollem, demptis his quibus jungitur aliquid purulentum gratia inflammationis, vel vlceris, vt pleuritis, pthyſis, exanthemata. Quare fere fluxus ſpontaneus in pthyſi prauus eſt. Verum artificiales purgationes, ex capite de pleuritide initio pthyſis conferunt.

Tertium: balnea licet hic ſimpliciter commendentur, apud Meſuem exactius adhibita ante declinationem perniicioſa ſunt, mouentia prauas materias per corpus, & debilitantia. In declinatione verò conueniunt juxta modum à Meſue præceptum.

Quartum: cum vlcus requirat mundificationem ſimul, & conſolidationem, poſſunt quidem ambo ſimul perfici; ſed multo præſtat, vt per dies intendatur ſoli abſterſioni, poſt ſuccedat conſolidatio, ita tamen vt inter conſolidandum redeatur,

deatur, & 2. & 3. ad interponenda abstergentia vbi res exigit.

Quintum: sacharum rosaceum experimentis Auctorum frequentissimum sanauit etiam deploratos. Verum opportet ex Mesue, vt procedat etiam abstersio sufficiens, præterea copiosissime exhibeatur. Nam Auic. non audet dicere quantitatem, quam sumpsit mulier, quæ desperata euasit. Herculanus verò memorat aliam similiter sanatam dedisse lib. 4.

Sextum: vbi vera curatio non speratur, paulatina exequenda est, scilicet vt præcedente aliqua abstersione continuentur valida exsiccantia, scilicet abstineat ab omni humido, qualia lac, & res coctæ. Præterea crebro vtatur phylononio persico ad ℈. ij. Præterea sacharo rosaceo, cum tragacantho, & bollo armeno, pulmone vulpino, cum trochiscis de charabe, & syrupo mirtino. Suffitu ex bollo armeno calefacto irrorato cum rosacea, & vino albo, post quem adhibeatur suffitus asthmaticorum.

Remedia.

PRimum: mundificantia: syrupus adyanthi, hysopi, jus cicerum, lac, puluis dragacanthi cum melle. Loch de pulmone vulpis. Item ellectuarium album de radice ireos recentis infusæ, per noctem in syrupo rosaceo ʒ. ij. dragacanthi ℥. j. candi, penidiarum aña ℥. j. ß. sachari ℔. j.

Secundum: consolidantia: sacharum rosaceum etiam, cũ omni alimento, & phylonij persici ℈. ij. Herculanus memorat exhibuisse se cuidam, ad sedandum dolorem ʒ. ij. & cum non profecisset exhibuisse iiij.

Tertium: alentia: oua testudinum fluuialium in jure gallinæ exhibita, vel intra gallinam missa. Item ejusdem testudinis caro prius lixiuio lauetur ad odoris ablationem, deinde in rosacea, coquaturque cum ordeo, & ex ea tusa, cum amigdalis, & sacharo fiant formulæ. Item aqua coclearum stilatitia, & cocleæ ipsæ, Alit autem, & consolidat simul jus quotidie mane

mane ſumptum. Scilicet pulla impleatur ſacharo roſaceo, deinde vſque ad diſſolutionem coquatur teraturque, & colletur.

De Qualitatibus alimentorum.

HÆ ſunt temperamentum, ſucci probitas, vel malitia, craſſities aut tenuitas, facilitas aut difficultas, in coquendo aut conficiendo, multa, aut parua alitio, & rurſus velox, aut tarda juxta reſpectus ad quædam membra, aut juuandi, aut lædendi.

Propoſitio prima: de temperamento in alimento, quatenus alimentum non conſideratur temperamentum. Nam quatenus tale, omne quod vere eſt alimentum, & non nomine tenus, excalefacit, quia reddit hominem quantitatiue calidiorem, quam præerat 3. de temp. 4. augendo parte craſſa ſanguinem, tenui autem ſpiritum, licet qualitate inducta in membrum, quam operationem non habet, vt alimentum, ſed propter vim medicamentoſam ſecum permixtam, ſæpe alterat corpus varie, neque id negauit Galenus citatus aſſerens omnia alimenta, & quomodocumque temperata ſimiliter augere calorem innatum. Agebat enim ibi ſolum de augmento quantitatiuo conuenienti alimento, vt alimentum eſt. Nam quod ex lactuca gignatur ſanguis, & caro frigidior præexiſtente, & ex cæpe calidior, affirmauit 6. epid. ſect. 5. text. 35. ex profeſſo, aliter enim corpora non reducerentur per alimenta oppoſita ſuis intemperantijs. Ideo temperamenta alimentorum nullibi Galenus tractat lib. de alimentis, ſed in lib. ſimplic. quæ agunt de medicamentis. Quod Hyeremias non aduertens 3. de temperamento citat incuſauit Galenum.

Secunda propoſitio: de cibi, & ſucci probitate, & malitia. Habent cibi omnes quo lædant, & quo juuent, niſi quod quidam occulte, quidam manifeſte, ſicut enim in medicamentis, ſic in alimentis difficillimum eſt re-

reperire aliquod, quod cum plurimum prosit, nihil tamen obsit 3. acut. de oximellite, & 1. epid. sect. 2. tex. 30. Agnoscitur autem leuitas, aut grauitas alimenti, sicut & aquæ, ex Hippocrate lib. de affectionibus, ita quod modice ingestum nec diu tetinetur, nec noxam aliquam infert, non ructum, non flatum, non dolorem, leue est, quod secus graue. Aliméta ergo boni succi sũt, quæ sanguinem pro quarto humore plurimum augent, lib. de cacochymia in initio, & 2. aliment. de lactuca. Causa est quia 6. epid. 4. tex. 28. sanguis quando educitur de tota massa, appellatur malus, vel bonus, & varie coloratus,

De quarta autem substantia malus dici non potest, nec aliter coloratus, quam ruber. Quod autem lib. de plenit. in fine dixit, quartam substantiam per se solam posse reducere per malum colorem, & per quamuis intemperiem, non pugnat præcedentibus, quia sanguis solus potest reddi intemperatus, vel male coloratus, cæterum malitiei nomen non potest habere, vel non rubri quandiu sanguis manet. Alia autem praui succi sunt alimenta differentia speciebus, juxta varietatem cacochymiæ, quam gignunt. Quædam enim asseruant bilem flauam, alia atram, nonnulla pituitam, quædam aquam; serum autem separatur ab aqua 1. de sanitat. 13. vt videlicet alterum horum sit excrementum secundæ coctionis, alterum tertiæ, quædam autem alimenta omnem cacochymiam, & vocantur excrementitia, apud Oribas. de confectione ciborum.

Tertia propositio: de crassitie succi, & tenuitate. Vocatur tenuans alimentum, quod non gignit crassum, nec lentum succum, magis verò attenuat crasitiem in vasis repertam, & impedit lentorem, estque maximè hujus victus vsus. Nam diuturni morbi plurimi, contemnentes vniuersa medicamenta, solo victu tenuante sanati sunt. Quo circa dicauit illi Gallenus peculiarem librum in initio de victu attenuante. Quod ergo attinet ad salubrem victus rationem. Ex hominibus; quidam minus, quidam integre exercentur. Qui integre

gre exercentur, commodè ſumunt etiam crebro craſſa alimẽta. Qui verò minus exercentur, oportet vt in totum ab illis abſtineant, vtantur verò his quæ gignunt ſuccum moderatum in tenuitate, aut craſsitie, aut etiam abſolute victu tenuante. Qui verò nihil exercentur, ſolo victu tenuante contenti ſint. Præterea hæc duo poſtrema gratia hominum ex lib. de euchymia 2. vltra parcitatem dictam, requirunt per interualla medicamentum attenuans, vel etiam vacuationem.

Nec obſtat, quod lib. de ſang. miſſ. 7. legitur intemperantes non eſſe vacuandos, tales autem cum non leuiter exerceantur, intemperantes ſunt. Solum enim ſignificat Galenus in intemperantibus non ſufficere, ad præcauendos morbos vniuerſales vacuationes; quare vel non ſunt illis admouẽdæ manus medicæ, vel non ſine prædictione.

Quod attinet ad cibos mali ſucci, oportet ex lib. de Euchymia 13. vt in totum ab illis abſtineant, non modo hæc duo poſtrema genera hominum, ſed etiam hi qui integre exercentur, ſi modo ſui iuris ſunt, nam tales non valde timent neceſſitates mutandæ conſuetudinis. Quare quod Celſus ſcribit in initio, tales nullum genus cibi vitare debere, quo populus vtatur, & quod ſcribitur lib. de aëre, & aqua, ſanum hominem præſente aqua vti debere, nullam diligendo, non ſunt conſilia ex toto ſequenda, licet verum ſit eos qui integre exercentur, ſine vllo incommodo attingere nonnunquam cibos cacochymicos lib. de euchymia 2. & 3. Verum non ideo decipiantur, quia in præſentia noxam non ſentiunt, tractu enim temporis ſentient. Nec item imitandi ſunt tales ab ijs, qui non integre exercentur, experimur enim eundem hominem quandiu exercetur non lædi alimento, à quo poſtea vehementer offenditur, lib. de euchymia 13. & 2. de aliment. facult. cap. de çucumeribus, & ex Auicena 3. 1. doctrina 2. cap. 7.

Quarta propoſitio: ſubſtantiales qualitates alimentorum ſunt multum nutrire, tarde nutrire, difficulter concoqui, non tamen eadem ſunt, ſicut nec eorum contraria, nam multa

alitio sequitur familiaritatem succi cum natura humana. Difficultas coctionis sequitur difficultatem transmutationis, vel simpliciter, vt siliquæ, vel in ordinem ad natiuum calorem, vt fungi qui licet laxissimi dejiciuntur tamen incocti. Cito autem nutrire conuertitur cum facili coctione, quod enim facile coquitur, & distribuitur, cito nutrit, quod difficulter, tarde 2.aphor.18. facilis autem coctio cum pauca alitione ita se habet. Omne quod facile coquitur parum alit, Hippocrates lib. de aliment. non tamen è conuerso, omne quod parum alit facile coquitur, nam & siliquæ, & nux indica, cum parum alant, difficulter tamen concoquuntur; sic etiam difficulter concoquere ad multum alere se habent, quod enim multum alit, difficulter coquitur 7. therap. 1. quia multa alitio præter lentorem, vel crassitiem humidi repositi requirit similitudinem ad corpus humanum; non tamen è conuerso, omne quod difficulter coquitur, multum alit, ob instantias dictas.

Quod tamen vulgo conceditur ex 2.1. doctrina 2. cap. 15. luteos molles, vinum, lac multum alere, non est simpliciter recipiendum, facile enim coquuntur, sed tantum collatione ad alia similis coctionis; sunt tamen bene, & velociter alentia.

Cur autem nihil valde nutriens citò coquitur, causa est, quia calor innatus sicut & extraneus, non alitur humido aqueo, quod opponitur igni vtraque qualitate, sed aereo facile inflammabili, & ad durationem plurimum permixto aqueo, & terreo, vnde euadit lentum, & crassum. Indicium est quod suila caro, & furmenta participant humido, etiam ad tactum lento, & pingui, qualia sunt igni externo cera, & oleum, lentum ergo, & crassum oportet esse quod multum alit, tale autem difficulter alteratur.

Quinta propositio: est & peculiaris alimenti qualitas, quod certum membrum, aut offendat, aut juuet; idque nonnunquam

quam ex manifesta vi, nonnunquam ex mirabili aliqua proprietate homini incognita, sicut amuleta, & appensæ 2. local. 2. Inuestigandæque sunt priores illæ qualitates ratione, posteriores solo experimento, & sicut reperiuntur hæ familiaritates, & inimicitiæ inter alimenta, & partes corporis, ita & inter alimentum, & certum hominem. Quo fit vt alimenta sua natura optima, tali homini pessima, & è conuerso, de quibus determinatur 4. ad Almans. 4. & 2. aliment. de cucumeribus, quod alimentum quantumuis bonum, si huic peculiariter est noxium, est fugiendum; si autem vniuersaliter reprobum est, & huic peculiariter est experientia cognitum, & suspectum habendum est, nec nisi raro concedendum.

CAPVT XXXX.

De Cardiaca.

ADuerte primò: curandæ cardiacæ præcepta. Primum, in morbis cordis necessaria est phlebotomia sæpe, cum ibi sit fons sanguinis, & visibiliter morbi ejus depédeant ab eo. Si ergo sanguis est causa, fiat magis frequenter, quam copiose, propter membri nobilitatem; si tamen timetur inflammatio, vel ebullitio sanguinis in corde, semel exhauriatur ℔. j. & ß. Si tamen causa est melancholica, vt plurimum mixta est sanguini; in pituita verò magis conuenit vomitorium, agaricus, elephanginæ, sicut in biliosa elect. rosatum, & Rhabarbar. Verum etiam in his duabus cacochymijs, si creditur permixtus sanguis, præstat vt præcedat parua phlebotomia à dextra basilica. In vaporosa à sinistra, ait Auicena: scilicet quia sanguis sinistri ventriculi magis vaporosus est; verumtamen vitentur vacuationes, quoad fieri potest in accessione, procedaturque solis diuertentibus, & si timetur inflammatio præstat vacuare cum leniente, quam cum exoluente.

Secundum: roboratio cordis ſemper intendenda eſt per odorata, & alterantia, ita vt intemperamentum frigidum per calidum emendetur, ſed calidum per frigida, quibus permiſceatur parum calidi, partim vt deducat medicamentum ad çor, partim ne ſpiritus qui ſolis calorificis roborantur, ex mera frigiditate deficiant, vnde acuſantur qui ex trochiſcis camphoratis dempſerunt crocum.

Tertium: çonſiderandum item eſt, num cauſa cardiacæ ſit immaterialis, & cauenda ſunt vacuantia, aut immodicus ſenſus cordis, & hebetandus eſt alimentis craſſi,& lenti ſucci, & humectantibus, vt lacte, & narcoticis.

Remedia.

PRimum: ſyrupus in calida, de acido citri, de pomis, roſaceus. Validior nenupharinus. Aquæ autem ſunt acetoſæ, roſarum, lupulorum, endiuiæ.

Secundum: ſyrupus in frigida, de cortice citri, de byſantijs, borraginis, ſabor, de bugloſa compoſitus. Aquæ autem ſunt bugloſæ, miliſſæ, fœniculi, naphæ, vel exhibeantur aquæ ſtilatitiæ cum ſacharo.

Tertium: electuarium in calida ſunt diamargaritum frigidum, vel coralorum, perlarum, hyacintorum, ſmaragdorum aña, dentur ſæpe. In frigida autem diamoſchum, diambra, prætioſum eſt alchermes. In cauſa autem mixta permiſceantur vtrique pulueres in ſacharo ſoluto in roſacea, fiantque rotulæ.

Quartum: epythemata in calida, ℞. roſarum, acetoſæ, nymphеæ aña ℥. ij. aceti ℥. j. vini odoriferi ℥. ß. In frigida florum borragin. bugloſæ aña ʒ. j. meliſſa roris marini, ocymi, ligni aloes, zedoariæ, doronici, gariophylorum, cynamomi, nucis myriſticæ, corticum citri aña ʒ. ß. ambræ, moſchi aña gran. iij. vini maluatici ℥. j. aquæ bugloſæ, & meliſſæ aña ℥. iij. aceti ℥. ß. occupentque liquores bonam

pectoris partem, & ex eisdem simplicibus ablatis liquoribus formentur sacculi.

De Ordine sumendi alimenta.

PRopositio prima: reprobantur summopere alimēta variarum facultatum simul sumpta, siue ea compositio sit à natura, siue ab arte, tum alibi, tum 1. acut. 18. Cum enim alia accelerent exire, alia tardent, & remorentur exitum, sequitur turbatio ventriculi inquietans humorem: item cum sint varia in difficultate coctionis, aliud corrumpitur, aliud verò exit incoctum, proponit exemplum de naturali mixtione, in lente, & brasica simul cum jure sumptis, vnde intelligitur incommodé ambo misceri.

In artificialibus proponit. Vbi sumitur cerebrum, vel oua cum sale, aut melle, subaudiendum est oua esse dura, & mel, aut salita plurima, mel enim, & salsa exire festinantur, cerebrum autem, & oua dura morantur, similiter inquit, & jura plurima. Causa est, quia jungitur ibi aqueum, quod facile labitur cum pingui innatante, & morante, quo nomine offæ in jure pingui, vel etiam in butyro, aut oleo turbat, maximé si supra potatur. Iura verò bonarum carnium, cum pauco pingui plurimum permixto laudantur. In regimine Salernitano:

Oua recentia, vina rubentia, pinguia jura.

Ob eandem causam varietatis, apud Plutarchum in problemat. difficillime coquuntur, & in farcimina, & acetaria turbant ventriculum, & inducunt choleram similiter, & extra alimentum, apparatus coquorum reprobatur 2. de alimentis. Sæpe enim populi vno edulio vtentes, diutius, & salubrius viuunt, maximé si non est caro, & adhuc magis si nec pisces, vt Iapones, & Galenus 6. de sanitat. 8. ad prandium panem sine obsonio sumebat, ad cænam addens obsonium exemplo athletarum, sic vina mixta vomitum mouent, & aquarum mixtio pes-

ſima eſt, apud Seraſim 3. 1. 8. Argumento ſint etiam morbi innumeri diuitum, ex optimis ſuis varietatibus, & ſalubritas ruſticorum, & mechanicorum ex victu ſimplici, licet prauo. Argumento etiam eſt optima nutritio pueri ſolo lacte aliti. Monſtrat autem experientia pernicioſam eſſe quandoque permixtionem ex duobus generibus lactis. Nam vltra cauſas dictas ex varijs alimentis, plus ſumitur 3. 1. doctrina 2. cap. 7. Nec obſtat, quod varietas eſt ſuauior, quia in aſſuetis, ſimplex victus non eſt inſuauis, & ſuauitate præpollent noxæ dictæ.

Secunda propoſitio: quod Galenus citat. vſum Athletarum ſumentium ad prandium ſolum panem, ad cænam autem carnem vulgo interpretantur, quaſi in cæna ſolam carnem ſumerent, qui ſenſus non videtur recipiendus, ait enim fuiſſe id vulgare ſuo tempore, & ſe quoque id imitatum eſſe, qui tantum ſumebat ad cænam panem cum carne. Auicena 3. 1. cit. citat ex eo athletas ſolitos fuiſſe ad prandium ſumere ſolam carnem, ad cænam ſolum panem, in quo vltra prauam interpretationem lapſu memoriæ præuertit citatam ſententiam, quod alibi quandoque commiſit, vt de partitione cibi in epilepticis, & de bonitate aquæ 2. 1. cap. 16. Secunda, quod hyeme ſit frigida, æſtate calida, & de initio morbi in parturientibus computando 2. 4. tractatu 2. cap. 1. & de electione ſagapeni, iuxta Dioſc. quod ſit intus album, foris fuluum, peruertit Auicena 2. can. & quod refert Auicena 1. ſimp. de ventriculo gallinarum, ex Galeno 13. 3. de debilitate digeſtionis, & Meſereon pellem intrinſecam gallinæ roborare ventriculum dicit eſſe fabuloſum, & de cauſa nutritionis ſturnorum, & cicutæ 6. 4. 2. in quibus omnibus nomine Galeni, tradit contraria Galeno.

Tertia propoſitio: permixtio alimenti triplex eſt, primò, quando ſcilicet poſt vnum ſumitur contrarium. Secundò, quando ex duobus contrarijs fit vnum edulium. Tertiò, quãdo condimentum additur contrarium alimento.

De

De prima varietate scribitur 3. 1. citat. conferri, quod post alimentum intemperatum sumatur in eadem mensa aliud contrariè intemperatum ad emendationem prioris. Et Salernitani,

Sumere sic mos est, nucibus sociando racemos.

Et rursus:

Post pisces nuces, post carnem caseum manduces, &c.

Conceditur autem hæc contrarietas in vna mensa, quando intemperies alimenti est magna, & id quod addito contrarium paucum est, magis iuuans via medicamenti, quam lædens gratia inæqualitatis.

In secundo vero casu, & multo magis in tertio commoda est permixtio, quomodo laudatur in prooem. aliment. edulium ex lente cum ptysana, & pinguis caro commode assatur, gracilis verò concoquitur, quia fit ex illis per coctionem, vel condimentum vnum temperamentum, quia non sequitur conturbatio, quomodo 5. de sanit. 8. in hystericis, & laganis, nisi multo melle saturentur in conditura, forent nocentissima omnium alimentorum, & 1. aliment. ait mel in constructione illorum bonam partem malitiæ emendare, in ijs quorum viscera obstructa non sunt. Significans in obstructis, talia azyma euadere incolumia. Extra dictas tamen necessitates omnis permixtio lautitia coquorum reproba est.

Quarta propositio: ex eadem conturbatione inæqualium, fieri videtur, vt assaturæ opertæ, præsertim piscium, inter venena numerentur, & quod consulitur, vt assa fere non operiantur, & chuscus opertus choleram inducit, & quod præcipitur vt assi pisces non recalefiant (juxta adagium, *peixe requentado, amigo reconciliado, guardar delle como do diabo.*) Quorum causa videtur vapor efflans concretus, ab operculo, redit ad assaturam, & ingrediens poros permiscetur, cum interna parte calida, quare fit summa inæqualitas ex parte concreta, & altera parte æqualiter calida vaporante, quæ inæqualitas tantum potest in ventriculo, vt succedat multis

fluxus alui, vomitus, intellectus turbatio, & nonnunquam intra diem mors 5. 4. & 8. ad Almanſ. præſertim cum concretum ipſum pingue ſit, euaporauit enim ſurſum pars pinguior, & multo magis ſi pinguedo infeſta eſt ventriculo, vt in piſcibus, quare reprobus eſt mos multarum cænarum, cum aliæ aſſaturæ, alijs ſupra ponuntur ne refrigeſcant. Coctum autem opertum ſi quieſcat redditur ſuauius, vnde laudantur ruſticorum cænæ. Cauſa, quoniam quando ad ignem bulliunt, pingue ſeparatum à reliquo jure feruet, ſicut calor validius ſeparat in metallis, quare ob paruam mixtionem, & inæqualitatem minus ſuauia, & minus commoda ſunt, ſeparata autem ab igne ſuauiter permiſcentur, nec vapor deſcendens lædit, nam in liquido jure bona ſit permixtio,& æqualiter omnia tepeſcunt. Ex eadem cauſa recalefactio in pluribus edulijs reproba eſt, nam ſi ad ignem morantur putreſcunt, & exhauritur innata humiditas,ſi non morantur, non penetrantur vniuerſim ab igne, quia remanet inæqualitas, ſicut in aſſatura cooperta, niſi quod in aſſatura calor eſt intro, frigus extra accedit. Ideo autem piſces minus tolerant recalefactionem, quare molles ſunt, ſicut duræ carnes tolerant, vt vacina,& leporina, & inter piſces,magni fricti, qui obduruerunt extima ſuperficie ob fricturam. Magis autem lædit ea inæqualitas in ijs qui butyrum recipiunt, eo quod facile concreſcunt, ideo etiam cocta in clybano carbonario ſuauiora ſunt, circundata æqualiter per totum caleſcunt, ideo etiam aſſata in furno ſuauiora ſunt.

Quinta propoſitio: vbi tamen varia alimenta in vna menſa ſumenda ſunt, oportet ex 1. de ſanit. 13. vt præcedant humida pinguia, & facile corruptibilia, eo quod, priora viam parant deſcenſuro alimento,poſteriora autem per moram vitiantur, ſecunda alimentorum ſæpe.

Contra primum tamen eſt, quod oliuas duras concedit initio menſæ loco citato,& citrum durius, & radiculam, & cerata, & mora licet adſtringentia. Dic: licet qualitates dicto ſimpli-

ſimplices ſint, oportet vt præponantur alijs edulijs, vbi verò conueniunt contrariæ facultates, ſequenda eſt potior, in citatis ergo ſi cum garro ſumantur vincit lubricitas, ob morſum, ſicuti & morſus nomine ſalſi piſces præcedere debent 2. aphor. 17.

Contra ſecundum autem de pinguibus eſt, quia talia prohibent appetentiam 2. aphor. 21. item ſi ſequitur leuis cibus, innatat, ſi grauis, lubricat, & ante coctionem deſcendit. Dic: pinguia cum aluum leniant, & cito corrumpantur debere præcedere, ob malitias autem adductas, parum, & raro ſumantur.

Contra tertium, de dulcibus eſt vſus vulgaris. Dic: dulcia laxant robur ventriculi, & cito inflammantur, & leniunt, quorum nullum poſt cibum conuenit, vtuntur tamen illis ita, ne initio ſatient, & tollant appetentiam, ſicut lacte, & lacticinijs maius malum exiſtimantes minus, edere quam corrumpi alimentum.

Num autem ſecluſis dictis illis conditionibus, cibus difficilis coctionis habeat præcedere. Controuerſi ſunt. Nam Serapio, & Conſtantinus volunt craſſa præcedere, cum Haly 1. pract. 6. eo quod fundus ventriculi calidior eſt, & vniuerſaliter ſumpſiſſe ocaſionem ex 2. de hiſt. animal. 22. E contrario ex Auicena 3. 1. citato præcipit ſubtilia præcedere, & Iſac vniuerſalium 37. ita vt Hiſpanus etiam intra vnam ſpeciem præponat elixa aſsis. Dic: videtur ſentiendum, cum Gentili 4. 1. Syraſi, & alijs, quod in alimentis in quibus non reperiuntur tres illæ conditiones, tenue & facilius coctile præcedat, niſi vbi interuallum inter vtramque non eſt majus, quam interuallum coctricis fundi ventriculi ad os. Nam licet fundus ventriculi in homine nihilo ſit carnoſior, immo tenuior ore. Verum ob calorem, ex ventre aſcendentem magis communicatum fundo, melius perficitur ibi coctio, & quia ibi alimentum occurrit immediatè calori coquenti, ſicut in cacabo citius coquitur, quod immo reſidet. Conſil. autem 22. problem. 1.

putat tantam esse proportionem partium ventris inter se, quanta est vacinæ ad arietinam, & hujus ad pullinam, in quo videtur excessisse. Item secundò obseruandum non est vt tenuem præcedat, quando ventriculus admodum biliosus est, periculum enim est de adustione tenuis in fundo. Item tertiò obseruandum non est in ventriculo famelico valde; exhibenda enim in eo 1. sunt crassa 3. 1. citat. partim quia exhibito tenui constringitur ventriculus ob auiditatem, & post refugit crassum, seu tarde alens. Partim etiam quia ab ichoribus biliosis corrumpitur tenue. Quod ergo Haly 1. pract. 13. præcipit in jejunante, offerri primum humida, vt olera, & jura, videtur intelligendum si euomuit, quod ibidem talibus præcipitur.

CAPVT XXXXI.

De Cholera.

ADuerte primò: curandæ choleræ præcepta. Primum non oportet medicum terreri symptomatis in ea frequentibus. Sed si vacuatio deficit, à conjectata cacochymia juuetur, non vtrinque simul, sequitur enim inquietudo propter oppositos motus, sed modo quidem vomitus, modo fluxus prouocentur. Iuuatur in calida cum potu ℥. vj. ptysanæ sufficiẽter calentis; in frigida verò cum mulsa dissoluta, & vtrobique si vrget flatus adde cymini ʒ. ß. infra verò lauatiuum ex ℥. xv. ejusdem liquoris addito rosaceo, & luteo, & si timetur vlcus, etiam sæbo caprino quæ duo remedia sæpe iterentur.

Secundum: vacuationes infra ventrem, diuertentibus, scilicet validis ligaturis sæpe innouatis, cucurbitis sæpe repetitis supra hepar, splenem, & ventrem; verum supra vmbilicum cautius agendum. Vidit etiam Schylanus hic, quod etiam non ita pridem accidit cucurbitam supra vmbilicum impositam repertam esse adipe, & perimisse. Prouocatur item sudor potu ℥. j. vini albi, & ℥. iiij. aquæ valde calentis, a qua pannis ope-

operiatur, & dormiat, aut si toleret tantilum, mittatur in balneum à quo sudet.

Tertium: adstringentia non conueniunt ante vacuationem cacochymiæ, transacto tamen vno die, vomitus sistatur propter valida symptomata, fluxus verò non sistatur, nisi cum excesserit.

Quartum: cibus ante mundationem noxius est, sed subueniatur perpetuo odoribus, & aspersione faciei, & calefactione extremorum vbi refrigescunt, & auibus assis aspersis rosacea cum muscho ante nares discerptis, & odore calentis panis, & cum oportet etiam aqua carnis, & vinum tenue lymphatum cum rosacea; subueniatur autem siti cum succo punicorum, & citoneorum, potus enim nocentissimus est.

Remedia.

PRimum: epithema imponendum ventriculo valde infrigidatum in linteo duplato, nec permittatur calefieri. ℞. santalorum rubrorum, ros. rubrarum aña ʒ. ij. galliæ ℈. j. camphoræ gr. v. rosaceæ ℥. iiij. aceti ℥. j. & ß. potest intendi frigiditas addito succo plantaginis, remitti cum succo menthæ.

Secundum: cerotum imponatur ventriculo cum aceto, & mellino, aut ex mastice dissoluto in albumine. Validius est laudani, masticis aña ℥. j. thuris ℥. ß. sandalorum alborum rubrorum, seminis sumach aña ℈. j. anthera, corallorum, achaciæ, hyppocistidos, sidiæ, balaustiæ aña ℈. ß. cum terebentina.

Tertium: in sistendo fluxu, vngatur venter cum rosaceo, quo calidum toleret superasperso puluere seminis rosarum ʒ. ij. mastiçis galliæ aña ʒ. j.

De Tempore ſumendi alimentum.

PRopoſitio prima: definiendum eſt ex coctione præcedenti peracta. Nam tardatio replet ventriculum prauis humoribus. Anticipatio gignit cruditates, eo quod deſcendit crudum ſimul, cum cocto 3. 1. citat.

Sed objicitur vniuerſim quarto: ſubtile præcedens deſcendit manente craſſo, cur non idem accidit hic. Reſponde hic alimentũ ſecũdò, ſumptũ eſt æque tenue priore, ſicut eſt in vna menſa, cum tenue præcedens deſcendit reliquo ob craſſitiem renitente ad deſcenſum. Sed ex hac reſponſione ſequitur poſſe ſummi craſſo non dum præcedente alimento cocto. Addenda eſt ergo cauſa ſecunda, quia prohibetur ventriculus ab operatione ſua vniendi, & aſſimilandi in alimentum præcedens. Adde tertium: quia neceſſario permiſcetur crudum, cum cocto, quare aliquid cocti manet, & corrumpitur, aliquid verò incoctum, cum reliquo deſcendit.

Secunda propoſitio: num autem cibus ſemel ſumptus vniuerſim exeat à ventriculo. Dic: non retinetur in ventriculo totum, vſque ad integram coctionem. Neque eſt noua Gentilis opinio 13. 3. tract. 3. cap. 8. Nam aperte 3. naturalium 13. ſi interuallum inter duas cibationes tripartiamur, peracta 1. 3. aliqua portio alimenti apponitur hepati, & inteſtinis, & tamen alimentum bona ſui parte manet in ventriculo totum, vſque ad ſequentem cibationem, alioqui ſtatim fameſceremur. Quantum autem ſit ſpatium 1. 3. dixit Galenus 2. aphor. 17. eſſe varium, nam in famelicis multo citius trahitur ad membra, & in vigilantibus, & in exercitationibus.

Altera ratio experimentum, quia paulo poſt aſſumptum alimentum, pulſus, & actuales actiones apparent vehementiores, quod autem ejus vehementiæ cauſa non ſit, quod qu-dam imaginantur diſtributio prioris alimenti relicti in ventriculo, ſed portio noui aſſumpti, oſtenditur ex aphor. citat.

com. ex duobus his ſimptomatis docet agnoſcere, ſi alimentum modo ſumptum celeriter, aut tarde nutrit.

Tertia ratio: num vrina ſtatim ab aſſumpto cibo albet, & ſæpe vbi ſitientes bibimus, ſtatim profundimur rore, & refrigeramur etiam ſumma extrema. Item quia 2. aliment. citat. docet alimentum lubricum debere præcedere, eo quod quamprimum coquntur deſcendunt. Et Iſac vniuerſalium 4. aperte dixit illa deſcendere reliquo alimento manente in ventriculo. Auicena etiam 3. 3. citat. dixit, remanere aliquid cibi aſſumpti in ventriculo, vſque ad horas 15. inſinuans alimentum exire à ventriculo per partes, & non vniuerſum.

Quod autem legitur 3. naturalium 4. vim ventriculi retentricem retinere alimentum in ventriculo, vſque ad integram coctionem, intelligit quoad plurimum, & craſſum alimenti, ſicut & in morbis, vſque ad ſtatum operatur retentrix, & tamen in augmento expellitur aliquid puris, & ſeminis. Vel dic retentricem operari toto tempore coctionis in varijs partibus.

Tertia propoſitio: quanta autem ſit duratio vniuerſi cibi in ventriculo. Dic: ex Raſ. 11. continent. 1. apud quoſdam definiri horas 12. apud alios 22. Citat autem ex Galeno concluſionem athletarum cibatorum ſuilla, quod durat horas 15. plus minus. Auicena autem 13. 3. citat. dixit tempus æqualis remanentiæ eſſe in 12. & 22. Quæ verba cum ſumpta ſint, ex Raſio citat. habent hunc ſenſum. Integra cibatio leuis alimēti in valido ventriculo, in contrario autem ſtatu 12. quæ expoſitio conuenit, cum præcepto ejuſdem 3. 1. doctrina 2. cap. 7. quod in duobus diebus ter edatur, & cum eo quod ſcribitur 13. 3. citat. initio capitis quod durat fere horas 15. & cum eo quod ſcribitur 13. 3. tractu 2. cap. 1. Quod compræhenſio ventriculi durat horas 10. Nam reliquæ quinque tribuunt tractui alimenti, & expulſioni ejus à ventriculo. Quare Gentilis expoſitio non videtur recipienda, explicantis Auicenam agere de cibatione magna, quæ ſumebatur ad horam duodecimam

dici,

diei, cujus duratio est vsque ad horam 22. Opporteret enim juxta eam computationem homines intra diem naturalem cibari plus quam bis. Neque item recipienda videtur expositio Nicoli serm. 5. quod cibus crassus moratur horas 10. in ventriculo, & in secunda coctione quatuor, & in tertia duas, ideo præcipiebatur antiquis, vt interuallum coctionum esset horæ 16. Verum non aduertit, quod cibus sumendus est æstatim post inanitionem ventriculi, non post peractas omnes coctiones. Alia autem litera quæ legitur 13. 3. tract. 3. cap. 6. tempus remanentiæ cibi in corpore, licet non displiceat Odonio in lib. de cæna, & prandio, non videtur recipienda, partim quia verba Rasis de ventriculo sunt, partim quia ibi est sermo de ventriculo, non de toto corpore, licet autem determinentur horæ 16. ad moram integræ cibationis in ventriculo. Verum in vigilia prius anticipat descendere, ideo non spectatur.

Quarta propositio: de numero autem cibationum. Dic: Ficinus lib. 1. de triplici vita, 7. quaque hora præcipit, sed agit de studiosis, & imbecillibus innato calore. Azarab. theor. tract. 12. cap. 1. & cap. de febre phlegmatica, tribuit cuique coctioni horas sex, sed oportere 6. quaque hora edere vacuato jam ventriculo.

Celsus lib. 1. cap. 3. præcipit magis in die bis, quam semel edere. Præstantiores autem Arabes conueniunt in duobus diebus ter esse cibandum, qualis est Auicena citat. & Ras. 4. aliment. 4. & Haly 1. pract. 13.

Dic: judicium variari penes ætates, temperaturas, anni tempora; penes ætates, quia 5. de sanit. 6. decrepiti ter in die cibandi sunt, imbecilles veró 4. 7. theor. 6. in quo ordine pueri locantur. Verum inclinantes videntur Consiliatori doctrina 12. cibandum ter in duobus diebus. Iuuenes autem, & adolescentes bis in die. Causæ horum notæ sunt ex quantitate calidi, & mollitie carnis 1. aphor. 13. & 14.

Penes temperaturas, humidis vna cibatio sufficit, duplex

lædit,

lædit, è contrario gracilibus: 4. ad Almanſorem 4. vbi juxta aphor. 60. lib. 7. ſic bilioſis bina, pituitoſis vnica 2. acut. 29. Iuxta tempora autem anni. Nam hyeme apud Hippocratem lib. 3. de dietis, & Celſum citat. non eſt prandendum, niſi quis habeat ventrem valde adſtrictum, in alijs autem temporibus bis cibandum eſt.

Iuxta vires autem, antiquis fere vnica cibatio ſatisfaciebat robuſtioribus, nobis debilioribus fere neceſſaria eſt duplex, imò etiam quibus jejunis fluit bilis ad ventriculum, cōmodiſſime hora diei 2. aut 3. ſumitur panis cum abſonio leui roborante ventriculum. Tralianus de cephalalgia ex ventriculo. Nam panis ſolus eſt ex corrumpentibus ventriculum, dicebat Syraſ. 3. 1. citat. Galenus autem videtur obtinuiſſe validum ventriculum, qui ſolum panem ad jentaculum ſumebat 6. de ſanit. 8. in reliquis verò præſtat, vel adjungere, vel ſumere intinctum panem vino, & expreſſum: colligitur pluribus ciuibus crapuloſis, & otioſis commodiſſime ad ſanitatem eſſe Eccleſiaſtica jejunia, ne perpetua bina cibatione repleantur.

CAPVT XXXXII.

De Debilitate coctionis.

Incipit, cum ſtomacho.

ADuerte primò: curandæ debilis coctionis præcepta. Primum, ſi cauſa eſt in alimento ſumpto, vitetur. Cauſæ autem ex parte alimenti vitiantis coctionem ſunt 12. numeratæ ab Herculano hic. Si verò jam ſecuta eſt cruditas propter calorem, aut etiam conſueuit is qui cruditatem patitur, noctu propter ardorem ſitire, antequam conquieſcat, apud Celſū lib. 1. 8. iij aut iiij. ℥. frigidæ per ſyphonem hauriat, & omnes cibationes potione aquæ frigidæ includat, quia roboratur ita,

& temperatur immodicus ventriculi calor. Hippocrates autem 2. acut. 22. exacte docet talium gubernationem, scilicet vt si quispiam excessit in cibo tradat se somno, non minus quam in nocte solemus, scilicet vt significet non esse interrumpendum somnum, vsque ad integram coctionem; dormiendumque in hyeme citra omne frigus; in æstate citra calorem, juxta epid. 3. 1. citat. multis cooperiri indumentis benefacit coctioni, & 6. epid. 4. 20. calidas naturas per æstatem incrassat frigidum cubile, quia cum æstus omni tempore molestus sit, & noxius, tempore tamen somni longe maximè, quia interturbat somnum, auferens coctionem, quæ eo tempore infirma est; quia tamen multi, ob talium cruditatem partim ob consuetudinem tunc dormiendi, partim ob mordaces assumptorum vapores dormire nequeunt, subuenit lenta deambulatio, quia sic saltem promouetur descensus alimenti, ad loca validiora coctionis; ex quiete autem citra somnum nihil horum comparatur. Sed cur vulgo præcipitur magis somnus à prandio, deambulatio à cæna.

Dic: post prandium sequentia exercitia rapiunt crudum ad vasa 1. aliment. 2. quare præstat quiete prohibere noxam imminentem, vt ita ventriculus magis amplectatur alimentum, post cænam autem somnus succedens excipit cibum innatantem, quare subuenitur deambulatione descensum promouente.

Sed cur in cruditate Hippocrates prohibet quietem, cum 3. therap. 5. nihil magis in ea commendetur, & Celsus citat. præcipiat, vt quiescat in lecto, licet non dormitur. Dic: illic curant cruditatem jam factam, in qua vnica curatio est quies, ne crudum rapiatur ad vasa. Hippocrates autem procurat coctionem nondum præsente cruditate.

Sed cum magis circuitus consulit longa deambulatione. Dic: quia timet cruditatem exercitio magis aucto, magis autem exercet deambulatio non omnino plena qualis est

est longæ deambulationis, quam in breui spatio Celſ. lib. 1. cap. 2.

Sed cum duo remedia perſcribantur ab Hippocrate promouentia coctionem, ſomnus, & deambulatio, vtrum magis confert coctioni. Dic: ſomnus proximè poſt cibum, exercitatio verò longiſsimè à cibo, quia ambo, importuna incommodant; ſomnus enim ante cibum liquat membra, exercitium poſt cænam excitat cruditates. Quare experimentum Federici Imperatoris, qui ambo hæc ſtatim adhibebat à ſaturitate, inartificioſum eſt, ſed ſi ambo hæc oportune adhibeantur, vtrum magis confert coctioni. Dic: duo hæc omnium maximè concoquunt, & ob ea ambo, exercentes vitam laborioſam raro ægrotant. Intercedit tamen hoc diſcrimen, quod ſomnus magis facit ad coctionem viſcerum, labor verò ad coctionem externorum membrorum 6. epid. ſect.5. text.10. Quare experimento otioſi, & ſomnolenti vitioſi ſunt, exercitati verò muſculoſi, & poroſi, non ventre obeſi.

Addit Hippocrates, ſequentem cibationem debere eſſe parcam, potum verò pauciſſimum,& meraciorem,potus enim coctionem prohibet, & per ſe, quia poteſtate ſua humida laxans ventriculum, facit ad cruditatem, & per accidens, quia cauſa eſt,vt innatet alimentum. Sed quomodo præcipit in cæna paucum potum; cum Salernitani præcipiant, vt à potu cæna incipiat, & ipſe Galenus prohibeat potum ad jentaculum, tam in ſenibus 6. de ſanitate 8. quam in pueris 1. de ſanitat. 14.

Dic: ſi prandium integre confectum eſt, ad cænam liberalius potandum, vt promoueatur diſtributio alimenti, quæ per ſomnum retinetur. Hippocrates verò agit de prandio non confecto.

Secundum præceptum: ſi cauſa interna eſt, obuietur illi contrarijs, ſi materialis, vacuetur, non tamen trahant à longinquo vacuantia, ne repleant ventriculum, reſpiciantque

vacuantia tam ventriculum, quam membrum mittens ad ventriculum. Vomitoria verò rara, & mitiora sint.

Tertium: roborantia ventriculum sunt odorantia, somnus prolixus, profundus, continuus, ita vt etiam meridianus, frigidus autem ventriculus tegatur pelle anserina, vel vulturina, minus verò calet panus coccinus. Vestimenta verò non angustent ventriculum, multo minus sint laxa.

Quartum: vbi lapsus est per intensum calorem, dura alimenta conueniunt, vacina cum aceto, pedes, intestina, testacea, & crustacea. Quantitate verò quantum possint conficere. In contrario verò statu præstat partiri alimentum, & eligere opposita,

Quintum: educto cibo corrupto, siue sursum, siue deorsum per viam naturalem, nihil edat, & profunde dormiat ad coctionem residui, inde sumat pauca coctioni renitentia, quia agitati fumi corrumpti facile vitiant accedens alimentũ.

Remedia.

PRimum: in causa calida. Citonea conserua rosarum, diarrhodon, mina simplex. Validior, est syrupus acidus, ex citoneo Ras. hic & puluis ejusdem ante cibum sumendus, cum succo punici dulco acidi, extra verò vnctio ex rosaceo, & mellino super asperso puluere coralorum, rosarum masticis. Validius est, si in ℥. ij. rosacei ferueat ℥.j. succi citoneorum addito, vtriusque sandali, coriandi præparati, seminis acetosæ cum cera.

Secundum: in frigida causa, sumatur frequenter hora vna ante cænam pilulla vna masticina pendens ℈. j. validiores autem sunt alephanginæ, validiores stomacichæ, item ante cibum sumat ℥. j. syrupi de mentha, vel de corticibus citri cum moscho. Vel post cibum cochlear paruum pulueris dulcis videlicet cinamomi ʒ. iij. zinziberis ʒ. j. anisi ʒ. j. galangæ, piperis longi aña gran. x. sachari ℥. v. Validius, zinziberis con-

conditum. Extra verò imponatur cotus imbutus nardino calido, & valde expresso. Vel fricetur ventriculus, cum aqua vitæ calida. Vel panis calidus per medium scissus aspergatur vino optimo, cum puluere masticis, absynthei, menthæ, aut emplastrum ex solo mastice cum guttis rosacei, & terebentinæ. Validius, est stomachiçon.

Tertium: vomitoria conueniunt ex cap. de vertigine. Vel succi corticis medij sambuci ℥. j. mellis ℥. ß. potetur çalidum.

De Proportione prandij ad cænam.

PRopositio prima: exercitandi, minus ad diem prandeant ad noctem magis cænent 6. aliment. 11. & Haly 1. pract. 13. Nam labor sequens rapit ad vasa, non solum semicoctum, sed omnino crudum 1. aliment. 2. Quare melior est victus, vel cibatio agricolarum, quam fossorum. Vrbani enim, & fossores fere magis prandent, quia post quantulamcunque exercitationem appetentes volunt delitiari plurimo cibo, quare accedentes ad cænam pleni minus sumunt; agricolæ verò, & plurimi mulionum melius cænant, quia necessitas illis præscribit legem. Athletæ verò sequebantur agricolas 7. therap. 6. & 1. acut. 18. Consiliator verò doctrina 121. intorquet has sententias quasi agat de his, qui repente aggresuri sunt insolitum aliquod exercitium, non de his quibus vita laboriosa est.

Secunda propositio: nemo mutet repente consuetudinem. Siue non cænandi, siue plurimum cænandi, instat enim non leue periculum 2. acut. late.

Tertia propositio: qui modice prandent, & ante noctem cænant, præstat vt magis cænent Haly citat. & Celsus lib. 1. cap. 3. ostenditur in robustissimis, & Athletis 7. therap. 6. & in mediocri habitudine, vt in Galeno 6. de sanit. 3. similiter in valde debilibus lib. 7. therap. citat. Idem scribitur 2. de sanit. ad initium in explicatione verborum Hippocratis, vigilia ex

ſatiatis noxia eſt. Item ratione probatur, ſit prima: quies poſt cænam indicat copiam cibi in cæna exhibendum, ſicut exercitatio diei indicat minorandum eſſe prandium.

Secunda ratio: ſomnus nocturnus augens naturales functiones, operatur enim anima interdiu, natura verò noctu 1. problem. vlt.

Tertia ratio: frigiditas noctis augens innatum calorem, tamquam contrarium repellens.

Quarta ratio: tenebræ quæ & ipſæ repellunt; ſiquidem ſpiritus lucidi ſunt lib. 1. de medicinis cordis. Quinta ratio: mora major longi temporis à cæna ad prandium.

Quarta propoſitio: qui immodice prandent, vel poſt cænam ſtatim ſe tradunt ſomno, eo magis viuent, quo magis, cibo in cæna temperauerint. Nam cum vniuerſale præceptum ſit 3. 1. doctrina 2. cap. 7. ſi vna vice ſuperauerit, famelicus maneat, cum tales in prandio excedant, quod oportuit eſſe tantum, vt hora cænæ, nihil illius reperiatur in ventriculo, ſequitur vt vnica cautio ſit minimum cænare. Item qui ſtatim ab ampla cæna tradunt ſe ſomno committunt ſe maximo labori; nam ſicut præmaceratæ carnes, & legumina facilius conficiuntur in ventriculo, ita liquata per vigiliam facile à calore ſomni vincuntur. Quo fit vt cænantes aſſa, aut coctu difficilia, aut dura, noctu torqueantur, quia talia vruntur à conferto calore irruente.

Tertia ratio: plenitudo magna ventriculi per noctem naſcitur, ex defectu tractionis membrorum. Monſtrat enim experimentum, diutius ſentiri in ventriculo cænam, quam prandium, id quod monſtrat experimentum Federici, ideo & per noctem non fameſcimus, ſcilicet quia vigilia, & exercitium ambo trahunt à ventriculo, partim etiam augetur plenitudo ventriculi per noctem, eo quod ex natura ſomni, & noctis regrediuntur humores ad viſcera ſemicocti.

Argumentum eſt, quod ſi fluxus pendet ab hepate, vel çere-

cerebro, membris secundæ, & tertiæ coctionis, augetur per diem, id enim est quod ad cænam sumere solemus raphanum augentem coctionem, & alimenta cocta facilis coctionis, & magis pisces, & potum ampliorem. Ideo aries assus damnatur in cæna, quia ventriculus nondum inanitus est, in initio autem prandij aurantia, & melones, quia ob inanitionem creditur recipisse aliquid liquoris biliosi temperandum, idem etiam est quod mane post plurimas horas cænæ parcæ non esurimus, propter plenitudinem ventriculi in nocte dictam.

Accedit etiam pro causa, quod membra per noctem sufficienter reparata, non trahunt à ventriculo, eo quod per noctem defluxit aliquid pituitæ à capite ad ventriculum laxans illum, & tollens appetentiam.

Quinta propositio: multo magis abstinendum est à cæna magna ijs quorum caput, aut oculi imbecilles sunt. Nam Mesues cap. de debilitate visus in talibus ait. Prohibeantur omnino à cæna, & Auicena cap. de apoplexia; sit contentus cibo in matutinis, & Haly de debilibus oculis, si non potest excusare cænam, & Galenus 4. acut. 67. à cibo ad somnum conuersis caput repletur, & Constantinus de regimine sanitatis; cæna magna grauat caput, & oculos. Licet Matheus, Cursius, & Odediodis secus sentiant. Quod si Galenus in epileptico præcipit duas tertias ad cænam, sumit indicationem à consuetudine sui temporis in quo ferè vniuersum cænabant, quæ consuetudo non erat ex toto permutanda ægris, nostro autem tempore, cum plurimum esus sit contrarius, in capite quidem debili multo minus cænandum est. In robusto autē capite, vel obseruatur consuetudo, non enim est plurimū noxia ijs quibus per diem, non incumbit valida exercitatio, & longus vsus minuit noxam: vel quod satis est mutetur, cum conditionibus, quod scilicet paulatim fiat, quod leuissime prandeāt quantum horæ cænæ sit ex toto confectum, & quod ante noctē cænent, & quod non sint senes, in quibus prauæ consuetudines

mu-

mutandæ non ſunt 5. de ſanitat. 10. quibus verò ad diem imminet momentanea exercitatio, neceſſe habent mutare, ita vt plus cænent.

Sexta propoſitio: tandem ſatisfaciendum eſt rationibus aduerſantium. Ad primum, Thelephus 5. de ſanitat. 6. perijt decrepitus, qui parciùs cænabat. Dic: Antiochus Medicus ibidem fere par ætate copioſius cænabat, Thelephus autem grãmaticus, aut in eo deliquit, aut ſumebat poſtremam cibationem jam cubaturus.

Ad ſecundum: calor imbecillium, quales plurimi ſunt, ſicut hyberno tempore, remittitur, non roboratur, ita ex frigiditate nocturna. Dic: ab eo præſcripto aphor. 15. non excipere Galenum fæminas omnes, & graciles viros, quod Conſiliator putat cito, ſed tantum animalia in latibulis jacentia. Item cõparatio frigoris noctis ad diem, nunquam eſt quanta hyemis ad æſtatem, per noctem enim nemo friget niſi mendicus. Quare non eſt periculum, ne ex immodico frigore calor debilitetur, & eodem modo ad id quod ſubdit, quod tales imbecilles juuantur calore ad coctionem, inſtar fructuum, magis enim juuat frigiditas, & tenebræ, & ſomnus nocturnus, ſiquidem augent innatum.

Præterea ſi per imbecillitatẽ innati caloris aliquis homo juuaretur calore ſolari, ad coctionem, maxime eſſet hectici, ſed tales melius concoquunt in nocte 7. therap. cit. igitur. Quare nullibi habet locum ea major coctio per diem, niſi forte in ſene valde debili. Quod videtur inſinuaſſe Auicena 3. 1. doctrina 2. cap. 2. Dicens ſenes, ſi fuerint fortes, augmentum in cæna ſua paruum faciant; quaſi ſi debiles magis ad prandium.

Ad tertium: ex Auer. 6. coll. 2. hora matutina eſt dicata exercitio, ſed exercitium tres coctiones peractas, ergo oportet cænam eſſe leuem. Dic: dupliciter male colligit primum, quia multis imminet exercitatio poſt prandium, quæ magis offendit poſt magnum prandium, quam exerçitatio matutina

tutina post magnam cænam. Secundò, assumit falsum, colligitur enim 2.de sanit.3.&1.cris.12.& 3. nat. 13.quod diuiso interuallo inter duas cibationes in partes tres, in postrema tertia exercendum est corpus, in qua portio alimenti immediatè præcedentis assimilatur ventriculo; altera verò portio vnitur hepati, & intestinis, alia apponitur membris. Quare horâ incipiendi exercitium non sunt peractæ omnes coctiones, sed 1. & 2. & 3. incipit, quam occasionem colligit Galenus ex vrina pallente, & cocta cum Oribasio 1. compend. 2.

Ad quartum: in die plus dissoluitur, ergo plus cibi exhibendum est, plus expurgantur excrementa, ergo plus cibi. Dic prima consequentia non valet; opportet ex 1. aphor.15. cibum non respondere resoluto, sed innato calori. Non valet etiam 2. consequentia, quia tempus concedendi cibi est post purgata excrementa 2. aphor.10.

CAPVT XXXXV.

De Dolore ventriculi.

ADuerte primò: de curatione doloris ventriculi præcepta: Primum: si dolor ita est ingens, vt valde vrgeat, à sedantibus ordiendum est. Si verò mitior in dolore materiali, à vacuatione incipiendum.

Secundum: vacuatio promptior est per leue vomitorium. In materia verò multa, vel in difficulter vomente addatur solutorium, & si quidem affectus ventriculi per proprietatem fuerit, leuis sit solutio, si verò è longinquo mandatur materia, aliquanto validior, sed semper admixto adstringente Rhab. vel mirabolano, ne trahatur ad ventriculum.

Tertium: concoquentia non sunt adstringentia, etiam si materia aliunde deferatur, sed post vacuationem succedant adstringentia.

Quartum: flatus sæpe oritur in ventriculo à debili calore

innato agitante, & non dissipante, curetur impositione pellis ex capite superiori, & sumptione eorum, quæ augent quantitatem calidi, ita tamen quod præ calore eorum non minuatur exiguus calor illorum, quod sæpe accidit. Quandoque verò causa flatus est calor immodicus, vel alimenti, vel ventriculi, agens in prauas humiditates 14. therap. cap. de priapismo, cujus curatio est euacuatio excrementi flatulenti, & emendatio remanentis intemperiei, & dissolutio flatuum.

Quintum: si dolor ingruit in fame propter influxum humorum, vacuentur, & cibatio anticipet famem, & præsumat roborans ventriculum, panem in succo punici, vel in defluxu melancholico in vino austero.

Remedia.

PRimum: sedantia dolorem in frigido. Aquæ naphæ calentis ℥. iij. sed mouet vomitum; vel aquæ vitæ. Vel zinziberis ʒ. ß. cum ℥. j. vini maluatici. Crebro autem sumatur diacyminum, & clyster expediens meatus, & dissipans flatus.

Aliud, in pituita alephanginarum ʒ. j. In biliosa aloes loti tantundem, in melancholica Indarum. Aliud autem in quauis harum. Phylonij ʒ. ß. vel castorij opij aña gr. ij. extra verò parentur sacculi in flatulento ex resoluentibus furfure, sale, millio torrefactis superaspersis vino potenti. Vel ex camomilla, melliloto, rosis, absintheo in reliquis. Vel vas plenum cinere calenti superasperso origano, opertum linteo similiter irrorato. Vel imponatur ex melle lana minutim incisa, & pulueribus masticis, galangæ, zinziberis cataplasma.

Secundum: in calido, epithema ex capite de cholera, & plurima frigida epota, & frequens sumptio succi punicorum.

Tertium: concoquentia bilem ventriculi, acetosus cum oxisachara commixta; acetosus, & de absintheo.

In pituitosa mel collatum. Validum, oximel schylinum.

num. In melancholica verò ſyrupus de fumaria, & de epythemo.

Quartum: in pure bilioſo Rhab. ʒ. ij. cum caſſia immixta. Aut ʒ. ij. de hyera ſimp. ſicut in pituitoſo alephangi narum ʒ. ij. ſtomaticharum ʒ. j. In melancholico autem Indarum ʒ. j. & ß. ſi verò materia aliunde fluat ad ventriculum, validiora conueniunt. Præſeruat autem commodè, ſi quarto quoque die ſumatur terebentinæ ʒ. j. vel decimo quoque die Rhab. ʒ. ß.

De Conditura alimentorum, ex Iſac 62.

PRopoſitio prima: quædam alimenta externa conditura, ad emendationem non egent, vt lac, fructus. Alia egent, vt oua, piſces, carnes. Nec obſtat, quod lac minus coctum eſt a natura quam caro, & proportione reſpondet ouo volatilium, & aquatilium. Quia ſtat aliquid eſſe minus coctum ad vnam formam; imò & omnino putrefactũ ad vnam, & magis coctum ad ſequentem, vt ſtercus ad formam ſcarabei coquitur, ad formam ſtercoris putreſcit, quare lac ad formam chyli coctum eſt, licet ad formam membrorum parentis ſit minus coctum, quam caro.

Nec obſtat item, quod fructus nimium diſtant à forma hominis, quia ſatius eſt, quod parum diſtent ab humore aliquo in vaſis contento, in quem mutentur.

Cur autem cum reliqua animalia ad eſum, ſolis tribus alimentis vtatur, ſolus homo adjungat etiam ignem. De quo dubitauit Placentinus in lib. de medicina. Cauſa eſt debilitas coctionis, ob glabriciem, & tenuitatem cutis 4. problemat. 6. Auicena autem 5. naturalium videtur potiſſima cauſa. Quia ſolus homo diuertitur ad meditationes, indicium quod contemplantes, ſiue diuina, ſiue humana peſſime coquunt, eſt & tertia cauſa guloſitas humana, partim ob illecebram ciborum, partim ob neceſſitatem plurimorum ſpirituum.

Secunda propoſitio: ex 2. aliment. 52. mediocris con-

ditura ob suauitatem, & coctionem optima est, multa autem cruditatem coquorum parit. Commendatur autem ad coctionem leguminum, carnium, piscium album jus 3. aliment.9. Scilicet affundatur copiosa aqua, ne cogamur superaddere frigidam in æneum vas, quia in eo feruor ignis major est, quare coquendum non dissoluitur, adjiciaturque oleum cum anetho, & porro, facit enim oleum ad emolliendum, quare coctum redditur mollius, & friabilius. Post quam autem ad dimidium præcessit coctio, tantum salis adjiciatur, quantum suauitatem conciliet, quia si in initio inditur, indurescit coctum. Vel ergo ita coquantur alimenta, vel simpliciter assentur.

Tertia propositio: ex condituris quædam est coctio, alia assatio, alia frixura; quædam maceratio in aqua, quædam in lixiuio, alia in muria, quædam verò salitura. Ergo coctio eget majori igne, & vndique æquali, quia agit in coctum mediatè, immediatè autem in aquam contrariam, & quia coctum non circum voluitur, quare vndique opportet applicari ignem.

Assatio verò minori etiam si inæquali. Nam præter dicta, externa superficies nimium densata prohibet aditum ignis ad interna, ideo ignis carbonum præstanter concoquit, male assat; lignorum verò contra. Esse autem vehementiorem ignẽ carbonum monstratur, quia emollit ferrum, frangit ollas, citius concoquit, & caput magis tentat. Et ratio, quia lignum viride non ita facile, & vniuersum vincitur ab igne. Inter prunas autem validior est vulgaris (*de ferreiros*) quam illicinus (*de soubro*) quia vulgaris citius inflammatur, ideo consumitur, ideo capiti nocentior est, ideo ad robusta opera molliendi ferri eligitur.

Nec obstat, quod ignis foci magis calefacit domum, quia id facit amplior quantitas lignorum, & flamma, quæ magis aëri communicatur. Inter assaturas autem optima est in clybano, quia paulatim citra vstionem æqualiter assat. Quod ergo Ras.

cit. reprobat assaturam in clybano, ceu parum alentem. Significat magis exsiccari ea quæ in clybano assantur. Quo fit, vt talis assatio non conueniat in siccis carnibus, vt vacinæ, nec facile exsiccabilibus, vt pullinæ, & hædinæ, ideo in veru assata magis alunt, & magis alunt, quia magis conseruant internam humiditatem, & adhuc magis super prunas, quo fit vt eligatur talis caro phlebotomatis 4. 1. 20. Distant autem assa ab elixis non parum, quod multi putant, sed plurimum in difficultate coctionis. Indicium, quod tolleramus ad cænam vacinam elixam, non tamen sine noxa arietinam assam. Et quod 3. aliment. cap. 12. scribitur, non coqui assata ad prunas, nisi in valido ventriculo, & cap. 30. etiam pisces assos solis robustis ventriculis concedit, præcipitque non supra potari, ne incocta permeent. Præterea assa ventrem adstringunt lib. de affect.

Num autem sint assata licciora elixis controuersum est. Hispanus enim in dietis opinatur assa ficciora esse, tam substantifica humiditate, quam accidentaria, quia calidum elixans minus siccat accidentariam, minus etiam siccabit naturalem humiditatem, quia cum opponatur vtrique, non potest dissipare vnam, & conseruare aliam.

Nec item admittit quod assa extra sint ficciora coctis, initio autem humidiora, quia ad sensum partes internæ coctorum molliores sunt, & facilius concoquuntur, quam assatorum. Ad Aristotelem autem 4. meteor. 3. oppositum asserentem, vel nega illum, vel interpretare, quod assa sunt humidiora non elixis, sed interne, quam externe; elixa verò contra.

Verum refellendus est, pugnat enim Aristoteles aperte, & medicis omnibus, & experientiæ monstranti, assa magis alere 2. canonis de carnibus, vnde magis impinguant 7. 4. tractu 4. cap. 2. & licet soliditas aliquanto major in asso possit afferri pro causa majoris permanentiæ alimenti; non tamen est tanta varietas in soliditate, quæ sufficiat ad majorem im-

pinguationem carnis assæ. Item argumento est assa esse substantifice humidiora, quia ab assis si scindantur, plus succi effluit, & quod assum premitur, vel distillatur non elixum, & quod jura coctorum valde alunt. Celsus autem lib. 2. cap. 18. asserens jurulenta magis asis nutrire, assa frixis; intelligatur per jurulentum quid dicitur.

Quare asserendum est assa succosa humiditate, & alente magis abundare, licet qualitatiua, & accidentaria magis abundant cocta, vnde febrientibus magis commoda sunt, & aluum magis mouent. Causa autem est quia in assis ignis penetrans occlusis poris præ crustis exire non potest, quare trahit ad se, humiditatem non expellit, & concoquit internas partes. In cocto autem validus calor aquæ externæ ebullientis trahit ad se minorem calorem in humiditate carnis interna, & ita coctũ redditur substantifice siccius.

De frixis autem Aristoteles cito recenset illa inter assa; quia in frixo calor ignis agit, sine medio olei, secus quam in aqua. Quæ verba controuersa expositoribus hunc sensum habent, liquida igni apposita si lentore carent, ignis actionem suscipiunt, & feruent, exhalant, & absumuntur; & eo citius quo fuerint tenuiora. Itaque aqua, & vinum ad ignem citissime bulliunt, proinde cito concoquũt coquenda, lenti autem vapores non sunt præuij vapori excitato ab igne in humido, quare vapor exiens detinetur, siquidem flatus fuerit multus, & substantia non valde lenta permanet, & inflatur, paulo verò post lentore concrescente exuritur liquor, ob moram flatus in transeundo. Sed accidit melli, & musto dum fit defructum, ideo olla carnis cum pauco jure diffunditur, quia pinguescit jus, ideo vulgo indicium est sæpam esse percoctam, quando turget, & effunditur, quod si post id sæpa, aut mel immoretur igni, exuruntur. Si autem substantia magis lenta est vt olei, vapor retinetur in fundo. Quare exurit, & denigrat, & incrassat oleum. Hinc est, quod quando in aqua quidquam coquendum est, finitur prius aqua libere feruere, quando autem

in sacharo, vel melle parum finitur turgere, quando in oleo tantum calefieri, quia cum vapor per oleum meare non possit ad ebullitionem, frixum intro feruet ob innatum liquorem, cum autem calor ebulliens major sit non ebulliente, fit vt internus frixi calor alliciat intro olei humiditatem, non è conconuerso, quod in coctis. Hinc etiam fit quod perfusio mẽbri ex calido vino, innoxia est, ex melle calido, noxia, ex oleo verò, vel lardo calidis, exulcerat, quia vapor intrò retentus, & prohibitus à lentore exire, durescit. Hinc etiam est quod ebullitio aquæ tollitur refrigeratione superfusæ frigidæ, vel fracturæ ampullæ, exsufflatio verò ob vtramque causam tollit ebullitionem. Hinc etiam est quod frixura non fit commodè in oleo parùm calido, quia in tali actio est similis coctioni, penetrat enim mollem frixuram, quare frictum remollescit, & intrò suscipiens oleum illud recipit.

In feruente autem oleo superficies extima aduritur à valde calenti oleo, quia intrò penetrat non humiditas olei, sed calor ignis, ideo similatur frixura assaturæ, non cocturæ. Vnde etiam est quod frixum in oleo non feruenti hæreat sartagini, quia cum non ebulliat oleum, non eleuat frixuram, quare hærens vasi aduritur. In feruenti autem oleo accedens liquor frixi à vehementi calore ebullit, eleuans frixuram, quare non hæret sartagini. Hinc est quod oleum ad ignem non aduritur præsente frixura, quia ebullit oleum ex liquore frixo ebulliente, ideo sintillat, & sonat, quia committitur pugna ebullientis liquoris, & olei resistentis ebullitioni.

Quod si vincat feruor ebullientis liquoris, rumpitur oleum, & præ impetu saliens vrit, absente autem frixura, vel jam sufficienter exsiccata, vritur oleum, vt quod perpetuò hæreat sartagini. Hinc est quod ad frixuram requiritur major flamma quàm ad cocturam, sicut ad cocturam major quàm ad assaturam, scilicet quia paruus liquor frixuræ, nisi oleum valde caleat, non ebullit, quare non eleuatur frixura.

Hinc etiam est quod frixa in butyro, vel oleo reprobantur

tur vertitur 5. collat. solis autem piscibus ob innatum frigiditatem, & humiditatem, tanquam emendans toleratur.

Num autem quæ assantur expediat vngi pingui aliquo. Dic: Isac vniuersalium 34. ex antiquorum obseruatione prohibet assa vngi pingui, eo quod obstructio pororum prohibet efflatum prauorum vaporum, si tamen caro sit gracilis præeligit conseruationem innatæ humiditatis per vnctionem.

Num autem vnctio pinguis reddat assa humidiora, an minus sicca, videtur Galenus sibi contrarius 2. simp. 5. affirmans vncta reddi sicciora, sicut placentas ex oleo, deinde subdens coquos vngere assa, ne adurantur, & siccentur, ad quem vsum quandoque circundant assaturam omento.

Dic: oleum per se humectat infusum; si autem accedit multus ignis desiccat, quia pingue inflammatum depascitur natiuam humiditatem; si autem accedit paruus ignis, modico lentore suo, vt in asso, & mouimento tuetur partes externas, & internas, quia obturans prohibet exsiccationem.

Num autem quæ coquuntur sint operienda? Dic: ex Isac vniuersalium 65. & Oribas. lib. 4. cap. 2. si grauis odoris sunt non esse operienda, vt piscis, hircus, capra, & per æstatem etiam aries. Si verò grauioris odoris sunt, auferenda sunt ossa, eo quod putredo è medulla incipit. Reliqua verò dum coquũtur redduntur molliora, & suauiora, si frigido non tangantur aëre 2. aliment. & Aët. lib. 2. cap. 263.

Num autem alimenta, siue assa, siue cocta præstet edi adhuc calida, an refrigerata. Dic: ex 4. acut. 102. Acres carnes, vt caprinas commodius sumi frigidas, à quo non valde dissentit Auicena 3. 1. citat. nunquam tamen operienda est assatura, post depositionem ab igne, propter inæqualitatem de qua supra, sicut coctum præstat operiri post depositionem ab igne juxta adagium. (*Nora rogada, olha repouzada.*) Causa: quia quamdiu ad ignem bullit coctum, feruet pingue separatum à reliquo jure, per paruam autem quietem fit permixtio suauissima.

Quarta propoſitio: vſus condientium quintuplex eſt. Primus excitatio facultatis guſtatoriæ in lingua, vt ſuauius percipiantur in ventriculo. Secundus, intentio & velut actuatio ſaporis in guſtabili. Tertius, famis in ventriculi excitatio. Quartus, emendatio malæ impreſſionis alimenti. Quintus, perductio linguæ ad extremas intemperantias, vt præſtetur occaſio deliciæ per reductionem, licet enim ſola dulcia, vt pote ſimilia alant 4. ſimp. 10. Verum cum cito ſatient, ex condimento præparatur lingua ad ſuauitatem reductionis.

Colligitur primò: cur condimenta plurima caleant. Non ſufficit cauſa Hiſpani, quod calor noſter influens calidus in 2. diet. vniuerſalium 17. aliter 11. Quare oportet alimenta, ſi non ex ſe, ſaltem ex admixtione condimenti reddi calida. Verum ſi ea eſſet ratio, oporteret etiam condimenta eſſe humida, quod non apparet. Item oporteret eligere alimenta, quæ eſſent in ſecundo calida. Item talia alimenta collocantur in gradu in ordine ad temperatum hominem, quare ab humana temperatura non magis recedit opium, quam piper, ſed cauſa eſt quia frigidum ſenſum tollit prima 1. de complexionibus.

Condimenti autem vſus eſt exercere ſenſum guſtus, & ſaporem in alimento, quare par eſt plurima eſſe calida. Nec obſtat, quod piper vt pote in quarto calidum interficit, nam alimentum junctum condimento minimo, vix excedit temperamentum.

Colligitur ſecundò: cur ad omnia fere alimenta admittatur ſal, ad multa acetum, ad non pauca aromata, & odoratæ herbæ, nam cum omnia fere alimenta pinguia, & dulcia ſint aut inſipida, vt caro, piſces, olera, oua, facile inducunt nauſeam, niſi ſalis adſtrictione emendentur, in lentis autem qualia ſunt pedes cocti, piſces potiſſimum fricti, vel aſſi; in talibus enim magis conſeruatur lentor, opportune admiſcetur ad diſſectionem acetum. Vtrumque enim, & ſal & acetum morſu ſuo exſuſcitat vim guſtandi, & ſaporem & famem, vtimur

autem aromatis, vbi cum suauitate odoris, & præter morsum pungentem, id ipsum consequi cupimus, verum apio, mentha, coriandro excitatur sopita appetentia.

Quinta propositio: ex 3. aliment. 32. Proprium est coctorum omnium, vt si aliquam habeant facultatem eximiam, remittatur juri, ipsa maneant insipida. Vnde apparet non recte ad dyacitoneum præcoqui cotonea; nec ad conseruas rosarum præmacerari feruenti aqua rosas; nec legumina in aqua abjicienda per noctem infundenda esse.

CAPVT XXXXIV.

De Icteritia.

Cum Icteritia, &c.

ADuerte primo: curandi icterici præcepta. Primum: quãdo sequitur ad auctam bilem, si causa est venenatus morsus intro, & extra alexiteria conueniunt, vulneri autem applicetur anus viuentis galli, vel pulmo hirci calens scissus, & repetitus, parte autem superiori reprimens ex bollo armeno, cũ strictura modica imponatur. Si verò causa est progressus biliosæ febris curetur extinguentibus, & promoueatur crisis per aphor. quò natura vergit, eò ducere. Icteritiæ conspectu pallidorum sudorificis, balneo, frictione. Sicut si causa est calor cujuspiam membri, refrigerandum est, vndecunque autem aucta sit bilis, vacuanda est, lenius aut validius, pro varietate tenuitatis, aut impactionis ejus.

Secundum: si causa icteritiæ est non copia bilis, sed obstructio in hepate, aut vesica fellea, crebrius procedendum est cum deobstruentibus, interpositis colagogis crassæ bilis, & vomitibus à cibo, & sectione saluatellæ, secus si causa est debilitas hepatis, in expurgando, hepar roborari oportet.

Tertium: in icteritia nigra, si sequatur copia melancho-

liæ in corpore similiter procedendum est melagogis, & ablatione causæ multiplicantis melancholiam, & tandem emendatione relicti intẽperamenti. Sicuti si causa icteritiæ sequitur ab obstructione hepatis, aut lienis, vltra dicta frequentanda sunt deobstruentia validiora, quam in icteritia citrina. Quod si causa est debilitas tractricis in liene, roboranda est per siccas cucurbitulas, & emplastrum de fermento impositum.

Remedia.

PRimum: lenissimum bilem euacuans cum deobstructione. ℞. cass, ℥. iij. succi rosarum ℥. ij. aquæ endiuiæ ℥. iij. Validius continuis diebus sumat jejunus aquæ cichoriæ ℥. iiij. vini albi ℥. j. Rhab. infusi & expressi ʒ. ß. Vel tertio quoque die ante cænam deuoret ʒ. j. aloes nutriti in aqua endiuiæ. Vel in bile crassiori in aqua apij.

Secundum: valida purgatio in bile crassa. ℞. aloes, rubiæ, agarici aña ʒ. ß. salis gemmæ gran. x. diagridi gran. iij. Vel ellectuarij de psylio diaphynici aña ʒ. ij. Vel aurearum ʒ. j. Vel ellectuarij de succo rosarum, euacuat enim bilem, & maxime cõmendatur ad passiones hepatis.

Tertium: deobstruentia sunt seri ℥. viij. sumatur diebus 20. vel bysantini ℥. ij. seri ℥. iiij. Validius: vini albi, aquæ cichoriæ aña ℔. j. foliorum marrubij, cuscutæ aña manip. j. ad consumptionem tertiæ collatum, sumatur quotidie ad ℥. iiij. cum ℥. j. oximellitis. Validius: aqua raphani stilatitia, cum dialaca, & deobstruentia hydropis.

Quartum: pallori oculi manenti, benefacit odor aceti acerrimi, in multo autem calore rosacea infusa, sicut in frigore succus raphani, vel fæniculi.



De Pane.

ADuerte, de pane inter alimenta. Propositio prima: ex 2. acut. 34. Quibusdam est in vsu polenta græce alphyton; alijs maza; vocat Plinius pultem lib. 18. cap. 18. Alijs plurimis panis. Ex quibus polenta erat farina hordei non integre maturi, sed tosti, omyllisis autem idest cruda farina, significat antonomice farinam hordei non tosti, ejusdem ergo omnino farinæ, sicut & aliæ cum dulci aliquo subactæ veniabant in vsum panis, qui mos adhuc inter aliquos Æthiopes seruatur sub nomine agum, antiquis massa, vnde videtur deducta nostra massa. Panis autem nomen vel à pania, vel à saturitate deducitur, vel à pan id est totum quasi vniuersum hominis alimentum.

Secunda propositio: differentiæ panis ex farinæ varietate sunt, optimus siligneus, proximus similaceus, vel semidatiles, eo quod habet permixtum non nihil similaginis. Est autem similago semen, græcis symnon, pars tritici crassior nigriorque, quæ propter duritiem effugit molituram in cuspide grani sita, vbi residet vis seminalis, sicut in cuspide oui.

Tertia differentia syncomixtos, nobis confusaneus (*de toda a farinha*) cum permiscentur tenuis, & crassa farina cum furfure.

Quarta: sordidi vel secundarij, siue quia fiunt ex rolão, siue quia per rarum cribrum pensi sunt.

Quinta: furfuracei, canũ cibus non hominum. Ex quibus prior differentia robustior, posterior melioris succi, sed melioris concoctionis, & tardioris descensus per aluum, quare obstructis præfertur secundarius.

Tertia propositio: similiter etiam panis differentia à tempore. Quidam enim adhuc calens, alius recens est, nonnullus antiquus. Actu calens odore confert, sed in cibo reprobus est. Nam ob flatuum crassorum copiam multam moratur in ventri-

ventriculo cephalalgiam inducens, & sitim, & totius corporis distensionem 2. acut. 34. Cur autem in benignissimo alimento calor externus tantæ noxæ causa est, quia nonnulla alimenta constant ea mixtione, vt leuis alteratio in prima qualitate mutet omnino substantiam in contrariam. Nam ouum calescens parum alit, tenuem succum gignit, facile coquitur, & aluum emollit; magis autem calescens, vsque ad duritiem multum alit, crassi succi est, difficulter coquitur, & aluum retinet. Quod si frigatur, transit in cacochymicum. Sic lac & sanguis cum sint saluberrimi humores, vbi semel refriguerunt in venena abeunt. Sic in aqua, in pisce, & pane, & carne plurimum interest, sumantur ne gelida, an in frigiditate fontanæ, an tepida, an calida, an recalefacta: in pane enim lentissimus vapor expirās: reddit alimētū optimū post refrigerationē. Quandiu autem calet noxium. Altera causa apud Zoar in procemio est, quia panis actu calidus cōmunicat calorem ignis vētriculo resoluentem naturalem.

Nec obstat, quod multa alia ab igne calefacta ingeruntur, vt iura, & carnes, quia ab illis citissime euanescit calor ignis, secus in panibus, cum propter multum lentorem diu duret, indicium quod extra tardissime refrigeratur.

Nec etiam dictis obstat, quod quæ ingeruntur quamuis frigida, ab innato calore intus calescant, partim quia talia ingesta antequam intus calescant imprimunt externam qualitatem, partim quia jam expirauit calor noxius, partim quia perducuntur ad moderantiam innati calidi in noxiam. Recens autem non calidus optimus est, is intelligitur vnius diei, apud Zoar. apud Ras. verò, & Isac etiam duorum dierum. Licet alij moderatius etiam laudent triduanum; antiquus verò amittit innatam temperiem, minus alit, & tardius descendit, ob resolutionem innati humidi, qua de causa etiam albior euadit, sicut & oleum antiquum, causa enim nigroris humiditas est 21. problem. 5.

Quarta propositio: est & alia panis differentia ex tritici varieta-

rietate. Nam ex tritico quoddā eſt tenuius, rarius, candidius infimæ notæ (*gallego*) ita appellatum, à conditione terræ ſabuloſæ, & frigidioris. Is panis impuriori ſucco alit, ſed quia minus lentus eſt, facilius coquitur, & diſtribuitur.

Alterum eſt aliquanto melius, paruum, durum, ſubflauum, friabile, non glutinoſum (*tremes*) dictum trimeſtre, vel cetaneum, eſtque leuioris alimenti ſequente, & facilis diſtributionis, apud Dioſc. lib. 2. Cauſæ leuitatis, apud Teophraſtum lib. 4. de cauſis plant. 10. Quia parum traxit terræ, ob paruam moram ſub terra.

Prætioſum autem triticum eſt denſum, flauum, durum, (*mouriſco*) & in eo genere præfertur o (*anafil*) eſt enim calidius ex indicio coloris 4. ſimp. vltimo, optimè & multum alens, & licet ſucco ſit glutinoſo, verum eget multo fermento, & multa ſubactione 1. aliment. Recte enim dixit Auicena 2. can. de fermento, farinam tritici eſſe lentam natura, non tamen arte, & in lib. de cuchymia 6. Panis exactiſsime confectus gignit ſuccum medium, tenuem, & craſse, non exacte autem confectus craſſum, & glutinoſum. Quare vniuerſaliter ex 2. ad Glauc. 7. præferendus eſt panis ex hoc generoſo tritico, otioſe verò viuentibus præfertur cum mixtione vilioris illius rari. Non ergo conſentiendum eſt Iſac in vniuerſalibus aſſerenti ad ſanitatis conſeruationem, præferendum eſſe (*galego*) licet ad robur præſtet (*mouriſco.*) Multo minus conſentiendum eſt Hiſpano in cōmunem aſſerenti, quod generoſum triticum, quia habet parum furfuris, habet medullam immundiorem, ſicut piſces non ſcamati. Nec Auicenæ ſtandum eſt 2. canonis eligenti granum medium rari, & denſi.

Quinta propoſitio: eſt etiam alia panis differentia, ex aſſatura. Quidam enim in clybano coquitur amplo, daturque teſtaceus panis, prælatus reliquis, quia paulatim, & æqualiter ex omni parte coquitur. Sequuntur panes igniti, vel furnacei (*de fornalha*) eo quod in anguſto ſpatio ante extima vruntur, quam medulla integre coquatur. Reprobi ſunt cocti in teſta

sta, quia à siccitate ejus immodice siccantur. Peiores subcinericei, nam & mal assodas ex eadem causa inter oua reprobantur.

Panis itaque electio est ex hoc, aut illo grano pro scopis dictis. Hyeme quidē magis ex solido: æstate ex raro 3.1. doctrina 5. cap. 10. Item ex farina recenti, putrescunt enim omnia tempore lib. de affect. Indicium est quod farina tempore augetur, quia furfur putredine comminutum transit in farinam. Ætas autem grani media. Nam quod citant. Diosc. elegisse recentius. Nouū apud Auic. velociter impinguat; apud Isac gignit flatus, & lumbricos, quare vsque ad mensem non est admittendum, post annum item absumitur innata humiditas. Quare damnantur recentia, & peruetusta lib. de ptysana 2. Ex quo loco explicandum est, quod scribitur 1. aliment. de panis hordeacis, nullo semine vtendum esse, nisi diutissime seruato, fermento, & sale moderatè.

Nec contrarium est, quod 1. alimentorum scribitur appositissimos esse panes, qui plurimum habent fermenti, nam ibi separat azymos ab ijs, qui habent parum fermenti, & ab ijs qui plurimum, id est moderatum; Priores omnibus negat. Secundos concedit Athletis. Tertios ciuibus. Immodice enim fermentatum, ob calorem extraneum præparat ad putridas febres, ergo fermentum tenuat; sal siccat; subactio scindit massam. Quare redditur facile coctilis. Exsiccare autem fermentum, & sal scribitur lib. de affectionibus; ideo panes antiqui leuiores sunt, sal enim tempore siccat 25. problem. 5. Vnde etiam venales panes inopes sunt vtriusque, vt grauiores euadant. Subactio eo maior fit oportet quo subigendum est lentius. Quare in tritico prolixior, quam in hordeo 21. prob. 7. & in generoso tritico magis, quam in laxo; magis autem alit panis, qui subactior est 21. prob. 2. quia lentus panis in minutiora diuiditur plurima subactione, quare fit vndique igni penetrabilis. Cognoscitur fermenti modus si panis non euadit densus, non niger, non ampulosus, non aci-

dus; salis autem modus, si non grauis est; subactionis, si in laminas foleaceas diuiditur; melior panis pars, medulla panis modici. Crustræ enim omnes qua parte ambustæ sunt rejiciendæ sunt, & in carne, & in pane 4.acut.102. & vniuersaliter crustra omnis minus alit, & melancholica est, in regimine scilicet. (Non commendat crustram, choleram quia gignit adustam.) Magnitudo modica laudatur Isac; quia cocta est non exusta, de qua intelligendum est quod scribitur 2. diet. & apud Tacuinum, majores panes magis nutrire. Non probatur etiam portio quæ in fornace magis intumuit papillæ instar (tuffo) nam creditur spuma, & incoctum massæ, indiciū est quod est insuauior, & minus igne cocta; indicat tamen bonitatem subactionis in pane, ob multum aërem contentum, qui ebullitione ascendit. Melior est purior, & siligineus magis alit, apud Hippocratem lib. de affect. Galenum, & Auicenam, & Isac. Quare non standum Auer.3.coll.31. præferenti confusaneum in tuenda valitudine, nam ratione solius descensus præferendus erat hordeaceus. Et quod 2.ad Glauc.7. præfertur ratione medicamenti ad resolutionem, præfertur enim quatenus alimentum, melior est item panis qui inter subigendum multa aqua perluitur, & vndique cauatur, vocant *amassar*, & panem (*molete*) quem Plinius lib.18. cap.11. ad initium videtur appellare aquaticum. Magis lentus est, & ad obstructiones aptior, qui parum aquæ recipit, & solum superficie tenus præmitur, vocant (*souar*) panem ipsum (*Lombardo*) à regione, vel de *callo*, quia obcaluit. Minus alit, & magis siccat nauticus vocatus, *biscouto*. Verum licet commendetur mollities in pane, ob exactam subactionem, reprobatur tamen mollities comparata, ex plurima aqua, quo nomine commendatur vulgo (*pão duro daquelle dia.*)

Sed cur si panis est probissimi succi vulgo detur, omnis saturatio mala, pessima vero panis. Dic est sententia, sine Auctore, sed 3. 1. doctrina 2. cap. 7. in fin. panis si non concoquitur multo plus lædit, quam caro si non coquitur. Et videtur

tur

tur causa, quia inclinat per cruditatem ad obstructiones validas, & frigidas, caro verò è conuerso, quia minus solet sumi de carne, ob pinguedinem innatantem.

Septima propositio: panis lotus redditur facilis coctu, & cum sacharo sitim extinguens 1. aliment. imbecillimi alimenti, apud Celsum lib. 1. cap. 20. inducit appetentiam, & nullo modo obstruit 13. 3. tract. 2. cap. 7. Quare in internis inflammationibus repetendus est, ob ablatam vim fermenti, ex quo timetur ruptura crudorum tumorum, redditurque temperatum, apud Galenum citat. imò 2. can. infrigidat.

Cur autem frigida quæ febricitantes lædit, & res omnes reddit grauiores, panem reddat leuiorem febrienti. Vna causa est refrigeratio, & humectatio extinguens calorem siccum salis, & fermenti, quæ duo, sicut conferunt ad lentæ massæ extenuationem, ita post operationem sufficientem commodè extinguntur.

Secunda causa, quia illis perfusionibus succus lentus panis diluitur, & abit in loturam, remanetque panis minus alens, & nihil obstruens, & quemadmodum triticum in parando amylo crebris profusionibus redditur subfrigidum, & leue edulium, ita panis per loturam, ideo etiam ad loturam eligitur panis non recens, scilicet vt exsiccata aquea humiditate per remanentes inanitates facile defluat dilutus succus. Est autem artificiosa lotio si primum abluitur in calida, inde speratur maior abstersio salis, & fermenti. Secundò, cum fontana perfrigida; tandem si placet cum rosacea additis granis punici dulco acidi.

CAPVT XXXXV.

De Hydrope.

ADuerte primò: methodi curatoriæ præcepta. Primùm: victum oportet esse, aut calidum, aut frigidum, propter

variam morbi causam. Verum propter causam conjunctam hydropis, quæ perpetuo frigida est, magis inclinet in frigida ad calidum; quam in calida ad frigidum. Potissimum oportet esse parcissimum, & exsiccantem, potum multo pauciorem. In frigida causa vini aquosi meri, in calida autem cichoreæ, aut chalybeatæ. Indiget enim hic morbus victu durissimo, ita vt si fieri potest in totum non potetur. Habes præclaras historias de ea re, apud Celsum lib. 3. cap. 21. & Beniuenium in lib. de abditis curationibus cap. 13.

Secundum præceptum. Vaçuantia frequentia, sed benedicta, ne vis defecta exhauriatur, purgent autem varios humores, in quos degenerat vitiosus sanguis, permisceanturque illis, & sequantur quæ roborant membra naturalia, & virtutem naturalem. Phlebotomia autem in hyposarca succedente ad inflammationem visceris, vel ad retentionem consuetæ hæmorrhagiæ conuenit, sed paucior, ratione calidi innati pauci. Quare si non adest hydrope, & ob crassitiem, pituitæ paretur foramen amplum, præstatque vt præcedat æquatio humorum leni purgatorio.

Tertium præceptum. Coquentia, purgantia roborantia sibi mutuo succedant, ita tandem cesset natura aliquando ex medicamentis ex capite de melancholia, varientque medicamenta, ne consuetudo infirmet vires medicamenti.

Quartum præceptum. Exhauriatur materia, particulatim omni ingenio, & sudoriferis, & impositione cucurbitæ siccæ ad vmbilicum, & ventrem, & emplastrum trahentium, ita cum multis frictionibus luminis in balneo, prouocetur aqua aschytis ad scrotum. Item imponantur varia vesicatoria in ventre, & scroto. Præterea varie purgetur vtrumque membrum, vel quod præstat setoneo perforetur.

Postremo: proposita prædictione cauteria infigantur ventri. In hyposarcha verò paretur resolutio per cutim, etiam per stationem ad solem tecto çapite, & per sepulturam in calida arena.

Remedia

Remedia.

PRimum: vacuatio frequentanda in hypposarcha, ℞. pillularum de hyera ʒ. j. agarici ℈. j. In aschyte verò pillularum de rhab. ʒ. j. & ß. reformentur cum succo ireos. Validius : succi ireos defæcatæ ℥. ß. mulsæ vel seri ℥. j. & in valido calore infundatur in succo trium sandalorum ʒ. j. & collatum detur. Item in clystere aschytici addatur succi dicti ℥. ß. in clistere autem hyposarchyci, hyeræ, logodij ℥. ß.

Secundum: coquentia, & deobstruentia in frigida causa sunt absynthinus, & validius de cupatorio; aquæ autem sunt cuscutæ, & apij. Item quotidie dialaccæ ʒ. j. vel trochiscorum de cupatorio, vel de Rhab. tantundem, vel aromatici rosarum ℥. ß. In causa autem calida syrup. de endiuia Gent. & oxisach., & aquæ sint lupulorum & cichoreæ, electuarij trium sandalorum. Validius, trochisci camphorati.

Tertium: imponenda sunt ventri limaciæ contritæ cum punice, vel sterçus caprarum cum vrina infantis, vel vacinum cum sale, & sulphure, ita vt hujusmodi non tangant hepar.

Quartum: edemati extremorum subuenitur lotione lixiuij, & vino albo, vel in aqua salsa bulliant germina ebullorũ, cũ quo lauentur extrema, & linteo imbuta supra ponantur. Et nota duas esse hydropis species; alia quando à debilitate hepatis sanguis pituitosus genitus in totum corpus mandatur per venas, & hæc est hujus affectus sedes.

Alia species est proueniens ab aqua hepatis genita à defectu caloris hepatis tanquam à causa immediata, tanquam verò à causa mediata, vel à frigiditate aquæ sumptæ jejuno, vel à calore feruentis, seu ardentis febris, vtroque destruente calorem hepatis.

De Carnibus.

ADuerte secundò: de carne propositiones. Prima, de collatione carnis ad panem optimum scilicet eduliorum. Dic: quod attinet ad nutritionem plus alimenti est in carne, quam in vllo alio edulio. Cels. lib. 2. cap. 18. Eo quod caro est multo similior naturæ nostræ; ob suauitatem, pinguedinem, & dulcedinem magis trahitur à membris, quare plus pane reponit.

Dic secundò: quod attinet ad difficultatem coctionis cum caro magis alat, magis renititur coctioni, ex traditis 7. therap. 6. Argumentum est, quod infantes panem concoquũt, carnem coquere non possunt dixit Azarab. 26. pract. cap. 2. & morbosissimi sunt voraces carnium, vel vinum immodicè potantes, quare vtrumque difficulter coquitur, alterum ob crassitiem, alterum ob copiam: prætereà sanissimi degunt homines in intemperata regione, Indi, Æthiopes, solis fructibus, & paucis piscibus vescentes. Ideo & Tralianus lib. 12. de syncopi ex crudis succis, cognoscit copiam crudorum ex præcedente saturitate fructuum, vel carnis.

Dic tertiò: quod attinet ad succi bonitatem, optimi succi asseruntur panes exactè confecti, & aues 3. aliment, crassi sunt enim non exactè confecti, & terrestria, quare in bonitate succi paria videntur. Distant quod succus panis vergit ad crassum, & pituitam, carnes autem & ad tenuem, & ad bilem. Cur ergo magis conceditur in morbis panis quam caro? Dic, in calidis morbis plus panis conceditur, quam carnis, in vtrisque aliquanto magis panis, ob consuetudinem.

Secunda propositio: de collatione carnium secundum genera summa volatilium, aquatilium, terrestrium. Isac vniuersalium 29. opinatur stirpes cum quiescant intra terram grauissima omnium alimentorum, plus obtinere grauium elementorum mixtione, quare gignere terrestres succos. Volatilia

lia autem cum plurimum moueantur in aëre abundare elementis leuibus; post quæ pedestria sequuntur, vt pote in aëre per terram gradientia. Aquatilia autem cum moueantur in graui elemento superant in elementis grauibus, non tamen sine permixtione multa leuium. Quare opinatur testudinem, vt quam minima sui parte gradiatur, modo in aqua, modo in aëre esse æquale ad pondus. Sed hujusmodi rationes ad indagandam temperaturam petitas ex longinquis, & dubijs principijs detestatur Galenus 1. & 2. simp.

De varietate autem assumpti. Dic: dominium vnius elementi supra reliqua in mixto, aliud consideratur, quoad temperamentum; aliud quoad quantitatem, aliud quoad modum motus. Nam in mixto aliud est qualitas singulorum elementorum, aliud quantitas, aliud compositio organica; ad victoriam ergo elementi per qualitatem, sequitur temperamētum, in pipere calidum, in marina siccum, licet quantitas contrariorum elementorum vtrobique vincat, & de talibus dixit 3. simp. 14. quod copia fallit gustum, & tactum. Nam marina judicatur humida, cum siccet vehementer, & piper terreum cum adurat; id quod accidit, quia plus potest moles intensi, quam multa remissi. Tactus autem, & gustus judicant per simplicem molem. Modus autem motus in mixto, alius est qui debetur mixto, vt mixtum est, & is sequitur molem elementi dominantis, quomodo quæcumque apud nos mixta sunt, grauia habentur, cum plurimum habeant terræ 4. meteor. 1. & animalia omnia plus homine, vnde & bruta dicuntur, quia apud priscos terra *bruta*, appellabatur 12. de partibus animalium 10. Alius motus conuenit mixto, vt animatum, & certo modo organicum est, quomodo gressilia, cum constent binis cruribus supra terram gradiuntur, volatilia propter expansas alas in aëre, aquatilia propter branchiarum ductum in aqua.

Quare ex hoc modo motus non licet colligere temperamentum, sicut nec ex compositione qualitis alia colligi po-

test 2. de temp. in fine. Sed cur si animal est similius animali, quam planta, non nutritur melius homo ex serpentibus, quam ex furmento. Nam 1. aliment. & 6. de sanitate 2. causa alendi similitudo est. Dic: actualis similitudo major reperitur inter animalia, cum qua tamen jungitur quandoque maxima dissimilitudo potentialis. De collatione ergo dictorum generum. Dic: leuissimum alimentum præstant pisces, 2. aues, graue autem terrestria. Vna causa est, quia natura vnicuique animali præstitit multum ejus elementi in quo debebat moueri, vt ex parte mixtionis, & non solum gratia compositionis essent apta suo modo motus. Quare volatilibus indicium est plurimum aëris; piscibus aquæ; gressilibus terræ.

Altera causa superans priorem petitur ex exercitio eorum, agilime enim & multum inter animalia mouentur pisces, propterea quod medium aqueum facile secatur ob tenuitatem, & potest eos sustinere, ob aliquantam grauitatem, paulo tardius mouentur aues, quia licet aër facile cedat, tamen non potest dici eas sustinere. Tardissime omnium mouentur pedestria, ideo facilimæ coctionis piscium carnes sunt, deinde auium; pedestria autem fere omnia rejiciuntur in lib. de cuchymia, & de attenuante victus ratione.

Tertia propositio: de differentia carnium penes ætates, licet sint recentissimæ, nam siccæ fugiendæ sunt tanquam excrementitiæ, lib. de cuchym. & 8. therap. 2. Ras. particularius 3. cont. de carne, intra vnum mensem edendam non esse; si verò animal humidum est, quandiu lactat edendum non esse; si siccum, tunc est optimum, & suauissimum, transacto tamen mense. Quod ergo scribitur, apud Hippocratem 2. dietarum vigentia animalia meliora esse juuenculis, sensum dictum habent. Rursus caro decrepita edenda non est vniuersalium 14. habet enim multa excrementa, fibrosa, & crassa, difficulter coquitur, & parum nutrit, est etiam melancholica; demum materia est morborum, apud Zoar. in proœmio, ita vt etiam in piscibus quantumuis natura humidis reprobetur

tur vetustas. Ex duabus autem ætatibus residuis adolescentia, & juuenta, nisi qui sumit validus sit, & exercitetur, præstat adolescentia 3. aliment. ad initium peculiariter autem in auibus requiritur recentior ætas, propter siccitatem temperamenti ad nos collati 6. epid. 2. 15. sicut in piscibus aliquanto prouectior, propter temperamenti humiditatem præfertur.

Quarta propositio: de differentia carnium penes sexum. Apud omnes minus recrementitij, robustiores, & melioris succi sunt mares, etiam si ex natura sicci sint. Excipitur capra quæ ob hyrci acrimoniam magis laudatur, & gallinæ propter galli salsuginem.

Nec obstat, quod in siccis speciebus præfertur ætas junior 2. idem judicium videtur de ætate, quod de sexu, quia sexus addit robur innati calidi, ætas non addit, quare licet ratione temperamenti commodior esset vaca, ratione probitatis succi, & innati caloris præfertur bos. Causa differentiæ inter hyrcos, & boues est, quia licet bos sit siccior hyrco, bos tamen in suo genere plurimum asseruat excrementi 4. Almans. Cujus judicium est natura lactis ejus, quod tamen in capra laudatur. Et videtur causa excrementorum ejus moles magna corporis cum summo otio, vnde vniuersalium 24. præfertur bos vaccæ; à quo tamen excipiendæ sunt vaccæ Hispanæ, etiam teste Hispano. Est apud nos vacca melior boue, eo quod non ita atteruntur immodico labore aratri cum seruentur ad generationem.

Pulli verò in febribus eliguntur supra pullas ob causas dictas, & ob timorem putrefactionis 3. & quia magis soluunt, secus esset, vbi timeretur magis magnitudo caloris.

De castratis autem. Dic: licet apud Isac vniuersalium 30. & 31. & in particularibus habeant indicium medium inter mares, & fæminas, quare in animalibus humidis præferũtur non castrata, videtur tamen quod vniuersaliter exsiccatio reddat animalia meliora. Nam in auibus etiam Isac concedit, in quadrupedibus omnibus dixit Galenus 3. aliment. 1. & cap. de

testi-

testibus, idem apud Auic. 2. can. de carnibus, & Aët. Ratio est continentia reddens carnem suauiorem, meliorem, coctibiliorem; quæ indicatio fortior est, quam indicatio temperaturæ considerata ab Isac; damnantur enim perpetuo coeuntia. Quare in æstate multæ carnes fætent, eo quod libido animi, & multo magis excretio seminis agitat humores infectos, qui semper in vasis reperiuntur, & multo magis vapor ipse seminis communicatus carni. Adde quod excernitur etiam humidum vtile, quare multo deterior, & siccior caro est. Non est tamen omnis ætas apposita ad castraturam, in valde prouecta propter frigiditatem inepta, similiter recens propter humiditatem, testatur Hispanus vniuersalium 33. arietem intra triennium castrandum non esse.

Num autem animalia etiam varient penes innatas intemperaturas intra vnam speciem sicut homo. Dic: minus homine multò. Nam compositio humana, & similitudo ad parentes multo plus variat in homine, quam in reliquis, siue ob varietatem phantasmatum, siue ob carnis mollitiem, & humorum tenuitatem, quæ multum varietatem suscipiunt 10. problem. 10.

Quinta propositio: de differentia siluestrium à domesticis aperte 3. aliment. & de attenuante præfert vnam speciem, syluestria ceu succi melioris, & minus excrementitia, licet duriora. Quare aper præfertur sui, maxime cum hoc animal sit natura humidum. Sic inter columbas præferuntur nutritæ in turribus, & inter gallinas cortales. Prima ratio, quia syluestres magis exercitatæ sunt. Secunda, quia minus edunt, apud Hippocratem 2. diet. & de affect. ad fin. Tertia, eligunt alimentum sibi familiarissimum. Quarta, degunt in aëre puriori. Cæterum fere omnes tanquam praui succi repudiantur. Ras. 4. Almans. Auicena 2. can. Isac vniuersalium 29. præstant domestica syluestribus nisi intelligantur de feris, reprobandi videntur.

Sexta propositio: de differentia quoad habitum carnis.

Vtra-

Vtraque extrema praua sunt. Pinguissima pituitosa est, & excrementitia; gracillima verò melancholica, emendanda autem sunt per condituram, vt macra elixentur, pinguia assentur, permisceantur contrarijs, pinguis arietina cum brasica, arietina cum napis, vel cucurbita, licet ex parte actiuarum magis conueniat vacina cum brasica, arietina cum cucurbita.

Item pinguia æstuosa sunt 2. dietarum, quare febrientibus numquam concedenda, ideo cutis ab auibus,& magis à piscibus auferenda est, quia substat pinguedo; & ex jure tantisper refrigerato prius pinguedo exsuflanda est; sua enim natura caro omnis etiam citra pinguedinem facile inflammatur, ideo febrientibus noxia 4. Almans. Sed videtur sus non obseruare dicta, quia cum sit humidissimus, & frigidus, perpetuo castratur, eligiturque valde obesus. Dic: ob libidinem immodicam damnatur non castratus, fætet enim, eligendus est enim pinguis, sed admodum modice, quia id inest illi secundum naturam 4. acut.102. Vulgus autem eligens pinguissimum, quærit commoditatem sumptuum.

Septima propositio: de differentia ex colore. Legitur 2. dietarum: hirta nudis meliora sunt,& nigra albis, quoniam nigredo, & hispiditas germina sunt caloris. Idem Aët. lib. 2. 88. & 2. can.de carnibus, & experimentum potissimum damnat albas gallinas tanquam insuaues, & tarde coctiles. Videtur autem ideo plus reprobari albedo in gallinis, quia durities carnis earum requirit calorem attenuantem. Quare non est standum Aristoteli 5. de generat. 6. ostendenti alba animalia calidiora esse, & suauiora.

Nec valent rationes illius,quia calor innatus imbecillus est,non exurens vaporem, efficit pilum albũ, exurens autem nigrum, ideo nigra, &crispa magis cocta sunt. Partes autem ventrales albent, propter pinguedinem omenti substratam. Albertus autem 19. animalium cap.8.interpretatur apud Aristotelem nigra suauiora esse, quod litera non patitur. Quod

item apud Diosc. lib. 2. çap. de felle commendatur fel gallinæ candidæ ad suffusiones tanquam potentius. Dic: Galenus recitat 10. simp. totam illam sententiam, reticet tamen de albedine, siue quia illud verbum irrepsit, siue quia rejicitur à Galeno.

Octaua propositio: de differentia ex situ partium. Dic primò: externa internis meliora esse, quia in externis recumbunt, & quia illa exercentur, & quia ad solem coquuntur non in vmbra, & quia per poros magis purgantur, & quia motu ossium colliduntur.

Nec obstat, quod excrementa mandantur ab internis, ad externa, quia mandantur vt dissoluantur, non vt ibi maneant, & mandatur ad cutim cujus alimentum non probatur, nam fere extrema pauco succo abundant, vnde prauorum animalium caudæ, capita, dentes, oculi, deleteria sunt, in alijs vitiosa. Quare columbarum capita, & caudæ damnantur, & cucumerum, & peponum extrema pessima sunt, imò in lactucis foliorum cuspides insuaues, & glans superposita ano gallinarum; videtur enim natura semper prauos succos ad ea extrema delegare. Verum licet cutis inter reproba numeretur, substracta tamen caro, & ossibus vicina merito præfertur propter causas dictas, & quia origo alimenti nondum integre confecti est in visceribus. Partes verò exteræ defecato alimento viuunt. Vnde sunt & robustissimæ, id est plurimum alentes, contra animalium extrema leuissima, id est nimium alentia 2. diet. non tamen oportet semper externam carnem molliorem esse. Nam pulpæ pectoris internæ longe tenuiores, & suauiores sunt pulpis externis, & carnes sub vertebris lumborum, magis quam supra vertebras: causa est in his internis propinquitas ad ossa, & ad calorem cordis, & renum, sed illa est validior positio fibrarum transuersarum duobus internis citatis; ob breuitatem enim tales magis exercentur, & tenerescunt.

Cur autem lumbi in quadrupedibus; in auibus pectora

sint meliora. Dic: quia illa in suis motibus exercentur. Dic secundò: caro juxta ossa suauior, & pinguior est quia ob motum tendonum ad ossa colliduntur, & ob medullosum alimẽtum ad ossa tractum pinguescunt, & ab osse vicino contemperantur. Asseritur etiam quoddam pro causa, repurgatum ob melancholiam ab ossibus tractam in ossis alimentum. Nam 4. de part. animalium 2. caro juxta ossa suauior est, sicut pars jecoris juxta vesicam felleam dulcissima. Sed constat ex 3. naturalium ad finem, & lib. de locis in homine, ossis generationem, & alimentum esse partem sanguinis pinguissimam, intelligenda est autem melior caro juxta ossa in animali, vel sicco, vel temperato, nam in humido, vt in ariete deterior est ob mucorem.

Dic tertiò: anteriora præferuntur posteris. Cor ob exercitia respirationis, & vocis, & ob sanguinem depuratum, excipit Isac, in particularibus suem, cujus anteriora illaudabiliora sunt, ob nimiam pinguedinem pectoris, & ob nimiam amplitudinem cerebri humectantis, & quia posteriora habet ex natura sua robustiora. Excipiendus est, & cuniculus, eleuat enim in cursu magis posteriora, quare exercitatiora sunt, & meliora. Item hyrcus, quoniam cum pascatur in locis accliuibus innititur posterioribus cruribus. Item in æstate reprobantur anteriora arietis, cum enim proni incedant, puluere per os inflãmantur.

Dic quartò: dextra meliora sunt sinistris 2. can. & vniuersalium 15. ob calorem hepatis coquentem. Infert Sauanarol. in practica, sinistra meliora esse in fæminis; dextera verò in viris. Verum præstat asserere vtrique sexui eligendũ esse alimentũ purissimum quale est masculinum, & dextri lateris, cum hoc tamen taliter temperatum, vt conseruetur innata sexuum temperatura in lib. de victu priuat. 23.

Nona propositio: de ordine terrestrium. Excrementitia sunt, si conferantur ad volatilia, calida verò si ad aquatilia. De temperie verò carnium nonnihil dissident Auctores. Nam

5. coll. 24. asseruntur pullæ adolescentes temperatæ homini, quo fit vt carnes ea frigidiores, ad hominem frigidæ dicantur, vt pullus, sus, hædus, perdix, & 24. continent. hædus naturis calidis commendatur tanquam refrigerans.

Præterea multæ parturientes, & senes abstinent ab his propter dolorem ventris qui ad illas sequitur. Verum apud Haly 5. theor. 21. omnis caro calida humida est, item ratio, sanguinis abundantia. Præterea experimur à quauis carne comesta reddi nos calidiores, quam à pane, & tamen panis asseritur à medicis, calidus. Quod autem carnes dictæ aliquos refrigerent, non est certum sui frigoris argumentum, nam quà alimenta, proxima temperamento sunt pro varietate sumentis, quosdam refrigerant, quosdam autem calefaciunt 1. alimentorum.

Primus ergo locus inter pedestria tribuitur hædo, & paruo cuniculo (*laparos*) sunt enim facile coctiles, ideo cibi conualescentium in particularibus vocantur. Dixit autem Tacuinus hædum vocari vsque ad mensem sextum, & hyeme quidem prauum esse, æstate bonum, medio tempore mediocrem.

De sanguine autem quem gignit controuersia est, vulgo enim creditur hædum gignere tenuem sanguinem, & videtur, quia lib. de ten. solum hædum concedit inter quadrupedes, & quia citissime refrigeratur. Verum Haly 5. theor. 21. illum medium & humidi, & sicci, ita tenuis & crassi. Galenus verò 6. epid. sect. 3. 22. inter incrassantia numerat, quæ controuersia, vt multæ hujusmodi diluenda est, propter mediocritatem succi quem gignit.

Secundo loco numeratur vitulina maxime lactens, coquitur enim aliquanto difficilius hædo, sed magis alit, & suaui odore reficit, qui in hædo displicet.

Tertius locus est arietis annalis, aut si adultus est castrati nigri, & magis in vere: caro est excrementia, labens propter calidum humidum vniuersalium 12. & 13. contin. ideo à proprietate melancholicis conferens, additur & calidis naturis, quod

quod corruptum videtur, magis recipiendum est, ex Tacuino, quod in talibus cum aceto paretur; peculiariter autem vt cuniculus in pituitosis, ita aries in melancholicis quadrat. In probatione tamen succi, aries præstat, commendatur tamen Haly 5. theor. 21. & magis Auer. 5. coll. asserenti esse carnem homini simillimam, vnde per antonomasiam putant appellatam (*carneiro*) & Auic. 2. 1. doctrina 2. cap. 18. exemplum boni succi proponit arietinam, mali verò vaccinam. Idem tamen Auicena citat. putat esse crassi succi, & Haly cap. de lapide prohibet nephreticis tanquam alimentum succi crassi, quibus magis standum in nostris arietibus, quam Græcis locantibus illam infra vacinam, & annumerantibus illam cum hyrcis, & asserentibus vniuersim senibus esse noxiam, & quod parum nutrit. Quales sunt Galenus 3. de alim. facult. 2. & in lib. de attenuante 8. & 5. de sanitat. 6. item 6. epid. sect. 3. 2. & apud Aët. lib. 2. cap. 257.

Quartus locus suillæ propter inopiam exercitiorum, licet apud Galenum 3. aliment. 1. obtineat primum locum inter pedestria, ob succi bonitatem. Immodicum etiam est, quod Celsus scribit lib. 2. cap. 18. leuissimã pedestriũ esse suillã, grauissimam bubulam, licet enim multo facilius nutriat, quam bubula, non potest tamen nisi difficulter concoqui ex traditis.

De temperamento autem variant. Nam vniuersalium 31. ex consensu antiquorum, est frigidissima, & humidissima pedestrium, indicium est copia pinguedinis, & lib. de atra bile 6. numeratur inter animalia frigida humida. Contra: indicium caloris est, quod optima in Flandria, & frigidis regionibus, & apud Theophrastum lib. 1. de causis plant. 27. sola ex calido genere carnis, & sus partu numeroso notantur, & 5. coll. 30. animalia fæcundiora sunt. Præterea volutantur in aqua, & cæno, robusti sunt, & sanguine pleni, temperati verò asseruntur 4. acut. 101. Videtur quod in vniuersa substantia, & inter animalia sus calidus sit. Verum in ratione alendi hominem, fri-

gidus est non valde, ita vt magis mereatur diei temperatus. Cum enim omnis caro, vt alimentum est recedat per calorem, sus collatus ad cætera animalia est frigidus, quare erit temperatus homini. Vnde etiam experimentum, quod in sanguine humano faciendum erat licet exequi in suillo. Adde quod sus instar hominis quantitate calidi innati valde calet, qualitate verò remissus est 10. probl. 21. Quoad ætatem autem ijs qui modice exercentur, eligitur adolescens; valde autem exercitatis vigens 4. acut. citat. sicut in totum fugiendi sunt in nõ exercitatis Isac, in particularibus, quare nõ recte idem Isac, juuenes sues vniuersaliter præfert adolescentibus, nec minus errat vulgus simpliciter eligens maximum, & pinguissimum, oportet enim vt non accedat ad ætatem victimæ 4. acut. Ea est explicante Langio epist. 61. supra bimatum, sicut è conuerso porcelli reprobantur. Nec admittendi sunt nisi raro assi, & ablato corio 4. acut. cit. præstat autem omnis suilla non expers salis, apud Oribas. lib. de confectione ciborum; si verò valde diu macerata est, aut sale, aut fumo, dixit Arnaldus in regimine, deterior redditur valde calefaciens, & siccans.

Quintus locus: leporinæ, daminæ, vaccinæ, caprinæ. Leporina verò 2. can. calida est, & lib. de attenuante gignit vehementer crassum succum, nec bonum, melior tamen est, quam bubula 3. aliment. de init. adstringit ventrem, apud Aët. lib. 2. cap. 233. Sequitur dama *(corso)* vel *(gamo)* quæ licet melancholica præfertur vaccæ 23. continent. 1. vnde etiam vaccina nutrit minus quam suilla, & difficilius multo 3. aliment. citat. coquitur; cohibetque aluum, quam suilla lenit, apud Hippocratem 2. dietarum. Demum inter omnia quæ eduntur, non bonam præstat alimoniam, estque earum natura inseparabilis, & præstat vti ea cocta, & peruetusta 4. acut. 99. id est longe ab occisione (quod ibi interpretes non assequũtur) sicut & reliquæ carnes duræ. Cuniculus autem aliquanto facilius lepore coquitur, sicut lepus paulo facilius, quam vacina. Verum fuligines melancholicas magis communicant corpori,

quam

quam vaccina. Ius verò vaccinæ ſuauiſsimum eſt maxime, ſi non ſit præcocta, & prohibet efluxum bilis ad ventrem 2. can. Cauſa autem ſuauitatis eſt medulloſum alimentum relictum in poris. Præterea, quod tranſit melancholicum in alimentum carnis, ſicut pari lac aſinæ euadit tenuiſsimum. Sequitur caprina calidior, & deterior, quam vaccina, & adhuc magis hircina 4. acut. 10. & ſequentibus. Ex quibus, & Plinio lib. 8. 50. aſſerente capras perpetuo febrire, non eſt ſtandum Iſac, & Haly ſtatuentibus eas frigidas, ergo nec præſtat arietina, ob copiam herbæ teneræ, prima æſtate vacina, paſcuntur etiam adulta herba, poſtrema æſtate caſtrati hyrci, ob germinum abundantiam commode admittuntur. Sunt tamen dempto ariete praui ſucci omnia.

Sextus locus: eſt ferarum, ceruorum, leonis, vulpis, catulorum, licet in lib. de affectionibus, & morbis frequenter admittatur catullina, & ouilla etiam ad ægrotantes.

Decima propoſitio: de ordine volatilium. Aues omnes exceptis aquaticis fere boni ſucci ſunt, minus alunt pedeſtribus, vniuerſalium 26. minus excrementitiæ ſunt, cum nec mingant, nec expuant, in quibus obſeruanda ſunt quatuor, primum ſint aliquanto non valde proſaginata. Secundo ſint in hyeme heſterno occiſa, per æſtatem verò ex aurora mactatæ ſeruentur ad cænam. Tertiò, adoleſcentes ſint. Quartò, adſtringunt ventrem quomodocumque parentur.

Prima claſsis continet perdicem, attaginem, faſianum, pullum, gallinam. Ex quibus perdix optimi ſucci eſt, medij inter tenuem, & craſſum, lentum, & friabilẽ, conueniens etiam nõ exercitatis, temperamentum ejus 23. continent. calidum humidum eſt, augens ſanguinem, & libidinem, qui locus corruptus videtur, eſt enim caro ſubfrigida, & ob odorem cordialis, & ita ſicca tamen, vt etiam cocta ſufficienter adſtringat, apud Auer. 5. coll. de carnibus, & Iſac 1. 3. tract. 2. cap. 4. ob eam ſiccitatem timetur febrientibus, & ob eandem eligitur tempore macerata juxta illud (*o coelho, & a perdiz.*) Nam ſicca

omnia

omnia tempore humeſcunt, ſicut in alimentis humidis, nihil aduerſum magis eſt, tales ſunt piſces, hædus, aries, pullus; fætor autem carnis ſemper reprobatur, ſed maceratio ſicci animalis ſignificat optimam teneritudinẽ, ideo etiam apud Raſ. in 4. aphor. 30. præferuntur perdices cum aue captæ, eo quod per aucipium atteruntur, ideo etiam paruæ multo meliores ſunt (*perdigotos*) viuunt etiam perdices annos 21. columbæ 8. palumbi 40. 6. de hiſt. animalium 4. & lib. 9. 7. Quod autem 2. can. ſcribitur nutrimentum gallinarum non eſſe cum nutrimento perdicium, non videtur recipiendum, quaſi perdix magis alat, eſt etiam ſuccus perdicis tenuior, & minus lentus, & facilius coctilis, ſed quaſi perdix velocius alat, & plurimum reparet ſpiritus.

Attaginem Caſtellæ (*francolim*, vel *framenga*) maior gallina, par bonitate. Faſianus verò Italis frequens ſuauior eſt gallina. Gallinas adoleſcentes Arabes omnibus auibus præferunt, aſſerentes eſſe ſimilimas naturæ noſtræ, & in cibum quotidianum recipiendam gallinam antequam coeat, gallum antequam cantet, indicium eſt quod jus gallinum præclarum medicamentum eſt elephantiacis. Oribaſ. tamen in lib. de confect. cibi, & Galenus de attenuante dieta, dixerunt non eſſe tũtum vſum illarum non exercitatis, & Aët. lib. 2. cap. 233. & 251. & Tralianus de diaria ex obſtructione ait difficulter coqui, & conuenire ventriculo valde calido, inter aues etiam inclinant ad calidum. Quare in hyeme aptiores juxta illud (*ſe ſoubeſſe o villão, &c.*) Eſt autem apud Raſ. 4. aphor. pullus gallinaceus ſucci melioris, coctionis facilioris, & habet peculiarem vim temperandi humores, apud Dioſc. & Auic. Prauus eſt, & demittendus antiquus gallinaceus Raſ. 4. aphor. ſicut capus præſtantiſsimus, quia habet puritatem à ſexu, teneritudinem autem à caſtratura. Ius autem gallinæ adſtringere dixerunt Dioſc. Iſac, Paulus. Galenus verò, & Pſellus fatentur ſe expertos. Quin etiam carnem galli adſtringere 3. ſimp. 15. Quare jus gallinæ pro lauatorio pharmaci ſuſpectum eſt, & quod

quod Cornar.11. simp. conatur emendare locum Galeni, vt pro verbo (adstringit) legatur temperat; non conuenit, partim quia ea sententia reperitur apud omnes citatos Auctores; partim quia ex opposito ait soluere gallos, adstringere verò gallinas. Commendatur apud Arabes gallina, tanquam augẽs cerebrum, & intellectum, forte ea causa, vt nobiles prudentia antecellant. Quidam autem interdicunt noctilopis gallinas, quia gallinæ hoc morbo laborare videntur, cum ad vesperam cubant; quidam etiam timent illas in podagricis, argumento quod sæpe laborent podagra. Tacuinus verò deridet asserens illas colorem bonum gignere. Quidam etiam timent eas ob prauum esum. Dic: quod licet corpora reddantur similia ex parte alimenti, non tamen ideo noxa alimenti perpetuo vitiat carnem. Nam sturnus nutritur cicuta, cerui viperis, ciconia serpentibus, apud Theophrastum, de causis lib. 4. cap.10. Trochta phalangijs, vt pupa stercore, gallina vermibus, mulus cadaueribus. Sic animalia cæsa jaculis venenatis, venenata non sunt, de theriaca ad Pisonem 13. scilicet circunscisa parte icta, licet vniuersa caro tenerescat vi veneni; aliquando tamen accidit vt lædat, quod veneno nutritum est, quod legitur de coturnice 6. epid. sect. 3. text. 35. & de puella nutrita napello 6. 4. cap. 2.

Secunda clasis, continet turdos suauissimos vbi pinguescunt, sed superioribus paulo duriores, & in eo genere magnitudine excedentes tordoueas. Merulæ autem (*merloas*) licet odore ingratiori plus tamen turdis cõmendantur. Sunt & alaudæ duplices, vna non cristata melior (*vulgo lauerca.*) Alia cristata (*cotouia.*) Apud Aristotelem de hist. animalium 9. cap.2.& Galenum 10.simp. corrupte dicitur vulgo landula. Vocatur & galarita, & turrita ea quæ cristata est. Sunt & turtures in hoc ordine quas Galenus 3. aliment. cap. de aliment. ex volatilibus relegat ad tertiam classem, ceu duriores superioribus; in lib. verò de attenuante præfert turtures gallinis, ob succi probitatem, & tenuitatem. Et gallinago (*galinhola*)

apud Aristotelem 9. de hist.26. 5.autem coll. æquatur perdici, adhuc autem suauior est gallina Indica. De turdo autem illo magno meminit Plinius lib. 10. cap. 9. Columbas verò recenset Galenus inter leuissimas aues, ob carnis mollitiem, & probitatem, ita vt etiam ad pleureticos commendauerit 1. acut. 23. & Tralianus in erisipelate hepatis, & vomitu bilioso commendat pipiones (*pombinhos.*) Verum Arabibus omnibus timentur, tanquam crassi succi, & abunde humidi, & calidi. Nam quod legitur 2. dietarum. Ordo siccitatis auium, supremi palũbi, inde colũbæ, tertiò perdices, in hoc sensu solum videndum est, si per siccitatem difficultatem coctionis intelligit, vel siccitatem carnis, quæ non excludit copiam excrementorum. Adeo autem calent columbæ, vt 3. aliment. 10. quandoque febrem inducant si frequentantur 23. continent. vehementer incendentes libidinem, & senum sanguinem calefacientes, iuuenibus, & biliosis fugiendi, nec sumendi, nisi cum multo omphacio, & in pastillitio 2. can. cap. de columbis. Sunt ex illis autem paruissimi humidissimi, & grauissimi; indicio quod tardissime inter aues volant, iuuenes calidissimi, optimi sunt pipiones jam volare incipientes, nutriti in agrestibus columbarijs. Et miliares, vulgo *milheiras*, quia milio victitant, vel *passarinho de esparrella*, quos jungit perdicibus 8. therap. 2. Quare Isac in particularibus vituperanti eos tanquam sanguinem incendentes standũ non est. Continetur etiam, & luscinia Græcis (*filomela, roxinol*) Continetur etiam carduelis, quia cardis pascitur (*pintaxilgo*) apud Plin. lib. 10. 42. Et ficedula Plin. lib. 10. 29. Græcis psycalis 4. acut. 10. (*papafigo*) & melanchorifus (*papafigo negra*) quem putat Plinius fieri ex superioris mutatione; sed experti negant. Item motala, seu moticandula, Græcis chysa 1. de art. 67. (*arueloa*) & coturnix, vulgo qualia, vel quiscula à sono quem humi volans edit, vituperatur, apud Isac vniuersalium, ob referentem se ex esu illarum sensisse conuulsionem, sicut & apud Auic. 2. can. & Galenum 6. epid. sect. 6. 31. Addit Plin. lib. 10. 23. frequenter corripi

cipi

ripi epilepsia, ideo talibus cauendam esse. Quæ verò coturnix valde laudatur 5. coll. & 3. aliment. alia auis çreditur. Sunt & melleagrides, vel gallinæ Numidicæ (*galinhas de Africa*) Plinius lib.26. cap.52.

Tertia classis: palumbi (*pombos troquazes*) duriores & excrementitij, anseres, & adhuc magis anates vltra multum calorem plurimam etiam humiditatem habent. Quare 2. can. cap. de carnibus proximæ sunt ouillis, &c. De anate, temperamentum calefaciunt, & calefactum febrire faciunt. Ex quibus solum commendantur alæ, & venter anserum, anatum verò hepar, apud Ras. 4. aphor. Pauo incoctilis 3. aliment. & nō boni succi 23. continent. Verum propter amplitudinem, & pulchritudinem est in pretio, commendant vt aromatis, & vino potenti eorum coctio procuretur. Grus ex Haly 5. theor. 23 nisi per dies maceretur lapillis ad crura suspensis, quod idem in reliquis duris obseruandum est, Tardæ Græce vocantur ocitades, ob aurium magnitudinem. Galeno statuuntur mediæ gruum, & anserum 3. aliment. vulgo (*abatarda*) nomine Hispano latino, damnantur in cibis ob prauum odorem, apud Plin. lib. 20. cap. 22. Structio, vel structo camelus (*abestrus*) nomine Hispano latino (*hema*) longe durior, & grauior, deferebatur autem principatus tempore Plin. inter aues grui, antiquorum autem ciconiæ, apud Plin. citat. Est & in hoc ordine vpupa, apud Aristotelem lib. 9. cap. 15. Chariander gratia virorum, ob cantus suauitatem (*calhandro*) nomine à Græcis deducto, & Regulus *Rei dos passaros*, & coruca Aristoteli, Aët. verò tragloditea lib. 1. cap. 11. Carricea Aët Græcis, otis, æquiuoce cum turdis, vulgo (*mocho*) vel (*mofarda*) solus ex nocturnis esibilis, apud Aristotelem lib. 9. cap. 28. & Plinius lib. o. cap. 23. Vulgo (*mocho em Ianeiro, val hum carneiro.*) Apodes (*pedreiros*, vel *aiuoins de Aragão*) Plin. lib. 10. cap. 39. & Aristotel. lib. 9. cap. 30. cujus species est (*gayo*) Numeratur etiam species cuculi in hoc ordine vulgo (*cucupega*) fæmina verò vocatur arraca de quibus 9. de hist. 29. Item Anas agrestis, vulgo

(*lauanco*) & fæmina agreſtis, vulgo (*Ade braua*) diuerſa ſpecies eſt (*marreca*) licet multi concedant eſſe pullos anatum agreſtium. Item Corion, apud Plin. lib. 10. cap. 29. (*Aiuão*) item monedula (*frouua*) & merops (*abelheiro*) apud Plin. lib. 10. 33. meminit, & Virgilius 4. Georg. Sunt & paſſares nomine generis æquiuoci, apud Plin. lib. 10. cap. 36. Arimpſitæ adurentes ſanguinem, & praui ſucci ob immodicam libidinem (*pardais*) & ſturni reprobati 5. coll. ceu calidi, & ægre coctiles. Quod ergo commendatur 6. de ſanitat. 11. vel irrepſit id verbum, vel concedit tamquam alens citra excrementa, quod ſolum ibi intendebat. Item Alcedo aquatica (*maſſarico*) piſcibus victitans, & in genere miluorum vocatus, *bilhafre em Ianeiro, eſcuza capão de polleiro.* Gaiua (*gaiuota*) apud Plin. lib. 10. 31. & milgrus ibidem (*coruo marinho*) miluus, *minhoto*, Ryſus, *gaiuão*. Picus martius, *peto*, apud Plin. lib. 10. cap. 18. & Ariſtotel. cap. 9. lib. 9, & ſertia, *picanſo aluar*, apud Ariſtotelem lib. 17.

Quarta claſſis: hyrundo, *andorinha*, accipiter, *falcão*, in quo genere eſt triorches, vulgo, *hacre*, & vlulæ, *cornea*, & noctuus, *noutibo*, vel *aue dona*, quia habet amictum in vultu, apud Plin. lib. 10. cap. 8 Cuculus, *cuco*, apud Ariſtotelem lib. 9. cap. 49. Pſyttacus, *papagaio*, apud Plin. lib. 10. cap. 43. Coruus, *coruo*, ibidem ardeola candida, vulgo *meão*, cornix, *coruão*, graculus, *gralha*, bubo, *bufo*, oſsifraga, vulgo *oſsifrango*, vel *frange oſſos*, apud Ariſtotelem lib. 9. cap. 34. Halyatos nobis aquila marina, vulgo, *guincho*, vel *aguia ribeirinha*. Tinunculus, *francelho*, apud Plin. lib. 10. cap. 37. Porphyrius, *camão*, pica, *pega*, Ricticorax, *morcego*.

CAPVT XXXXVI.

De Affectibus lienis.

ADuerte primò: meth. præcepta. Primùm, ſi infeſtat lienem inflammatio, conuenit in initio oxirrhodinum, & phlebo-

phlebotomia, & lienis purgatio. Secundum, si infestat tensio, curat impreſsio valida cucurbitæ ſiccæ, fomenta & vnctiones reſoluentia. Tertium, ſi adeſt obſtructio deobſtruentia conueniunt, quod ſi jungitur craſsities humorum, adjicienda ſunt emollientia.

Quartum, in dolore miti prius abigatur cauſa. Si verò validior eſt, prius ſedetur per anodina, & ſi oportet per opiata.

Remedia.

PRimum: reſoluens phyltrum infuſum in aceto decoctæ rutæ, cupreſsi, ſeminis agni, ſulphuris, ſcolopendriæ, thamariſti.

Secundum: ſyrup. Radicum, oximellitis, de cichoria Niculi numero nouem. Purgatio fiat per agarici præparati ʒ. j. cum confectione hamec ʒ. iij.

Tertium: deobſtruentia ſunt, electuarium ex radice camepitheos, & cichoriæ contritis, melle exceptis, ſupra potato decocto cupatorij. Vel ſumatur per multos dies decoctum, ſcilicet cupatorium, flores camomelli, radix filicis, eringij, folia anagalidis, & ſcordij & ſalicis, decoquantur autem in ſero cum paucisſimo aceto. Vel ſumatur quotidie ſeminum agni caſti tenui parte cribatorum ʒ. iij. Vel dialaceæ, vel pillularum de cupatorio majorum ʒ. j. Extra autem deobſtruunt, & emolliunt oleum caparorum cum nardino. Validius eſt, diachylon majus, cum linino & amoniaci ℥. ß. diſſoluti in aceto, & addito adipe anſeris, oleo amigdalarum amararum, aña ℥. j. fiat lenimentum, vel ſolum amoniacum in corio extendatur ſolutum. Vel ſtercus gallinæ ſiccum tritum, cum oximellite coctum. Item lapis pyretes, aut molaris magnitudine tenſæ manus ignitus, aceto extinguatur, & inuolutus linteo ſit impoſitus, vſque quo tepeſcat. In calido verò affectu coquuntur in poſcha farinæ hordei, lupinorum, fabarum.

De Piſcibus.

ADuerte ſecundò. Propoſitio prima: de bonitate ſucci illorum lib. de affect. leue edulium ſunt, & lib. de euchym. fere omnes ſunt boni ſucci, ſicut aues. Pelagij verò id eſt qui non accedunt ad aquas dulces, nihil habent quod incuſes, potiſsimùm ſaxatiles lib. de attenuante 11. & 3. alimentorum, facile coquuntur, ſuccum gignentes medium, tenuis & craſsi. Peculiariter 3. aliment. commendantur, & conceduntur in phrænitide, apud Tralianum, & Aureol. in hæmoptoiſi, apud Tralianum in tertianarijs, & quartanarijs 1. ad Glauc. cap. proprio in pleuriticis 1. acut. 27. & in hæctica ventriculi 6. therap. 6. & in laſsitudine phlegmonoſa 4. ſanitatis in fine, & in diarijs 3. therap. 2. Quare in vſu ſanorum ſolum admittit Galenus panem, aues, piſces, lib. de euchym. ad init. Arabes verò, & vulgaris ſententia, valde reprobant piſces. Nam apud Zoar. in proœmio, inter alimenta piſces ſenibus nocent, & 6. coll. vltimo, piſces ſicut fructus fugiendi ſunt. Cito enim corrumpuntur ex 3. aliment. 16. piſces omnes difficulter coquuntur, morantur in ventriculo, & ſitim inducunt ex 23. continent. ſunt frigidi humidi, indicium, quod parum ſanguinis habent, emolliunt neruos, & non conueniunt, niſi ventriculo valde calido 3. canon. cap. de piſcibus.

Dic: de hac varietate ex proœmio alimentorum. Difficile eſt citra errorem, vniuerſaliter pronunciare de bonitate & malitia alimenti, pro varietate enim ſumentium variant. Lac enim, piſces recentes, oua mollia, & moram Galenus laudat, tanquam boni ſucci, quædam etiam pro optimis conſiderans, ſcilicet ſubſtantiam eorum ex ſe, ſcilicet quando ex parte ſumentis non corrumpuntur. Verum ſi ſumantur ab immundo ventriculo, vel corpore, vertuntur in prauas qualitates, vnde plurimi morbi oriuntur. Quare ſententia Galeni de dictis

dictis alimentis in illis solum exequenda est, in quibus habetur certitudo de vtraque immunditie dicta, non secus. Quod ergo particulatim incusantur, ceu praui succi, ostenditur in vlcerosis, quandiu enim edunt pisces non sanantur, & vlcera madescunt, & dilatantur, ex carnium verò esu sanantur. Praeterea extra citisime corrumpuntur, & jura eorum non sunt esibilia, nec bene odorata, cum jura carnium valeant odore, & nutritione.

Dic: cum pisces sufficienter alant, & bonum sanguinem gignant, non sunt affirmandi simpliciter pituitosi, sed à moderato admodum parum recedunt, per frigidum humidum, sicut carnes per calidum; apud Auic. verò 2. can. marini sunt frigidi humidi in 1. fluuiatiles in 2. minimum autem frigidi sunt pisces mustelini, & rubri, sicut salsi omnes calidi sicci. Quare immoderantia piscium leui conditura emendari potest. In vlceratis verò tanquam in parte cacochymica alimentum piscium accedens corrumpitur, sicut in sana parte cito mutatur ad bonum sanguinem. Velocitas autem corruptionis à calore extraneo, sicut in aqua pluuiae, & in leguminibus ab igne magis indicat facilitatem coctionis intra corpus; sed id ostendit tantum oportere, vt recentisimi sumantur non à ventriculo valde calido. Nam in tali sicut lac, ita & pisces propter oleosam pinguedinem multo minus coctam, & crassam, quam carnibus inflammantur, vnde & pisces oleum remittunt simul, & propter multam mollitiem substantiae corrumpuntur, nec etiam conueniunt ventriculo supino, aut valde frigido, fluctuant enim & in pituita vtuntur. Iura autem piscium, cum sint pars piscium humidisima, pesimum alimentum sunt, sicut in terrestribus, vt pote melancholicis jura, portio scilicet humidisima, optima sunt.

Quod item Aët. lib. 2. cap. 23. reponit eos inter attenuantia intelligendus est, ex lib. de attenuante, quasi concedat illos in eo victu, non quia gignat sanguinem valde aquosum, quod Isaç dixit; gignunt medium tenuis, & crasi, potisimum

saxati-

ſaxatiles in lib. de euchymia, & 3. aliment. Et quod majus eſt lib. de prænoſcendo curat eſu piſcium fluxum muliebrem ex intemperie frigida humida, & Tralianus in diaria ex obſtru-ctione laudat piſces. Quod item Raſius dixit difficulter con-coqui, & morari in ventriculo, pugnat & experimento, & rationi, ſunt enim ſiticuloſi ſaliti magis, recentes minus quidem, quia in ventriculo calido parte ſua oleoſa inflammantur, & quia recentes, lentore ſuo hærent ori ventriculi, vbi calefa-cti ſitim inducunt. Quare ſubuenit Tacuinus ſiti piſcium, cum pauco vino puro. Quod item apud Iſac, & Auer. citiſsime corrumpuntur, vnde interdicuntur in putridis febribus, & vſus eorum frequens maximè permixtorum lacti inducit elephantiaſim propter varietatem ciborum corruptibilium. Dic, in corpore mundo, ob facilitatem coctionis anticipat verti in bonum ſanguinem. Quod poſtremo 1. cant. 126. ſaxatiles conueniunt fatigatis ex labore, videtur locus corruptus, Nam 3. 1. doctrina 2. cap. 7. poſt laborioſum exercitium edendi non ſunt, ſi quidem nimius calor adurit leuia alimenta.

Secunda propoſitio: de varietate piſcium ex ſitu in reliquis alimentis, fere tota differentia ex genere ſumitur in piſcibus. Plurima ex loco. Cauſa quia plurimum diſtant dulces aquæ, à ſalſis, agitata, à quietis; plurimæ, à paucis; ſordidæ, à puriſsimis. Inter piſces minimum diſcrimen recipiunt ſaxatiles, deinde pelagij, eo quod nunquam accedant ad aquas dulces, nec valde mutentur loca 3. aliment. cap. de generatione. Fluuiatiles autem deteriores ſunt marinis 2. diet. & apud Iſac. Nam ſal facit ad munditiem, & attenuationem eorum. Quare Raſi 3. Almanſ. præferenti in ægris fluuiatiles propter coquendi debilitatem, conſentiendum non eſt, licet conſtet antiquos de paucis fluuiatilibus meminiſſe, inter quos quidam præſtantes ſunt.

Tertia propoſitio: de varietate piſcium ex magnitudine, vniuerſaliter aquatilia majora ſunt terreſtribus, ob copiam, & humi-

humiditatem aquæ, quæ causa est augmenti lib. de bona habitudine, & apud Plin. lib. 9. cap. 2. Num autem majores natu pisces meliores sint. Dixit 3. aliment. de mulis, prægrandes non esse æque suaues, nec coctu faciles. Celsus lib. 2. cap. 18. extollit mediocres Auicena 2. can. & Isac, in vniuersalibus præferunt in piscibus duræ carnis juniores, in mollibus autem prouectiores, modo non sint annosi.

Quod ergo vulgo dicitur carnem annalem eligẽdam esse, piscem autem decem annorum, non est semper recipiendum, sed tantum significant, quod in piscibus propter copiam humidi, commodior sit ætas aliquanto prouectior, quam in auibus propter siccum auium temperamentum. Quod Auer. 5. coll. cap. 30. præfert minores, ea ratione, quod in terrestribus magnitudo significat augmentum siccitatis, in aquatilibus autem humiditatis, agit de magnitudine specifica. Nam de magnitudine ætatiua, simul cum superioribus præfert cap. 33. mediam magnitudinem.

Quarta propositio: de varietate piscium penes genera. Numerantur septem genera, videlicet scamata; testacea, crustata, cartilaginea, mollia, cetacea, salsamenta.

Scamati præferuntur omnibus, maxime spinis, & scamis magnis & multis 8. coll. 30. & in vniuersalibus, quare significant rem contrariam temperamento suo, idest siccitatem. Ideo fluuialium scamæ minores sunt, & in ventre minores; quare venter humidior est dorso. Cur autem in auibus multitudo penarum non sit par indicium bonitatis, dixit Hispanus. Quia multum penata plurimum volant, quare immodice siccantur. Non tamen videtur admittendum, quia siluestres aues ob multum volatum præfert Galenus, sed ideo valde penata, non laudantur, quia significatur immodica siccitas illarum. Inter scamata autem præferuntur saxatiles, qui sunt marini inter saxa degentes, habent enim duas dotes optimas, mollitiem, & friabilitatem, qua vtraque si pisces carent, solis valde exercitatis admitti possunt, si altera tantum, etiam reliquis homi-

nibus, ſed raro lib. de attenuante 8. Cui ſententiæ magis ſtandum eſt, quam Celſo lib. 2. cap. 18. reprobanti ſaxatiles propter mollitiem; teſtacea verò, vel oſtrocodermata operiuntur craſſo, & duriſsimo tegumento, quorum ſuccus ſoluit, caro verò adſtringit; quare vtrumque ſimul edendum eſt, ſed vel jus cum ſale ſorbendum; vel caro ſola ter elixa, vt ſalſuginem deponat; conueniunt calori acri, corrumpente leuia edulia. In reliquis autem gignunt crudum humorem, quare ſenibus, & magnatibus otioſis praui ſunt 3. aliment. & 5. de ſanit. 6. & apud Tralianum de dyſenteria hepatica.

Cruſtata verò quæ tenui teſta teguntur ſimile judicium habent, niſi quod ſuccus eſt aliquanto minus ſalſus; ambo autem iſta genera juxta plenilunium meliora ſunt. Cartilaginea dicuntur quorum cutis aſpera eſt, noctu lucens, carnem duram habent, & viſum hebetant ex Diaphylo, apud Athenæum. Mollia verò ſunt quorum cutis inſtar humanæ mollis eſt, vt polipus, & ſepia: quorum caro dura eſt, difficulter conficitur, multum tamen nutrit, & ſuccum crudum gignit 3. aliment. 31. Quod ergo legitur de attenuante 8. multa mollium piſcium habere carnem mollem, corruptum eſt, & legendum cartilagineorum. Cetacea vocat Ariſtoteles ſola animalia parientia, 1. de hiſt. animalium 5. Galenus verò, & Paulus omnia grandia aquatilia, ob duritiem carnis, & copiam excrementorum raro bene coquuntur. Salſamenta vehementer extenuant, ſiccant, & inſcindunt craſsitiem humorum, apud Aët. lib. 2. cap. 238. quare pituitoſis optima ſunt, melancholicis peſsima, raro licet ſumpta via medicamenti commendentur ſpleneticis 9. local. & apud Tralian. de quartana. Verum quando ab Auic. & 3. aliment. reprobantur ſalſamenta tanquam pauci, nec boni alimenti, difficilis coctionis, & nunquam ſumenda, niſi cũ vomendum eſt, de antiquis & valde ſalitis intelligendum eſt. Nam recentes, & parcæ ſoliturae in carne, & piſce accõmode emendant intemperaturas; qualis autem ſit raro accommoda, explicatur 5. aliment. 41.

Quinta

Quinta propositio: de varietate penes capturam, & condituram. Capti in massis, vbi excepti statim mandatur nauicula, meliores sunt, vt *saueis de Ianeiro*; retibus verò extracti, quia cōmorantur intra aquam putrescentes, deteriores sunt, vt *saueis de rede*. Ex conditura autem qui pisces ad aerem siccantur meliores sunt, proximi, qui statim à captura modice saliuntur. Qui verò jam semiputridi, immodice praui sunt. Sic ex artificis, apud Galenum, & Isac, coctura optima est, nisi venter humidus sit. Sequitur assatura; & postremo frictio, non solum quia fricturæ omnes reprobantur, sed etiam quia lentor olei in frictura, valde conseruat piscium lentorem; minus cōseruatur is lentor ab assatura, & multo minus à coctura, eo quod transit in jus.

Sexta propositio: de varietate ex partibus. Partes piscium leuiores sunt infra ventrem 2. diet. apud Isac autem medium nutrit ob carnem, cauda salubris ab exercitio. Caput suauius ob humiditatem in qua gustus consistit, & lib. de theriaca ad Pis. 9. Partes caudæ proximæ plus alunt, quia ob motum magis trahunt, licet vulgo praue legatur. Tralianus verò cap. de epilepsia, & hæmoptoisi reprobat capita piscium, ceu pituitosa, & humectantia valde. Optima sunt apud Isac cauda, & branchia ob motum. Dorsum ob flatus pessima, vmbilicus, & caput ob otium, latera verò media sunt? Miratur tamen Plin. lib. 9. cap. 15. de tunnis, quorum latera, & vmbilicus longè præferuntur. Causa est durities cum siccitate carnis eorum, quæ humiditate ejus partis emendantur. Oua piscium fere reproba sunt, soluunt omnia quandoque etiam per vomitum, & habent aliquid deleterium, eoquod sumunt humiditatem nondum coctam in piscem. Potissimum oua barborum inflāmantur, ceu deleteria, maximè mense Maio, apud Gasium. Cur autem natantia magis pedestribus ouata sint. Causa est copia humidi, vnde sequitur tanta fæcunditas, vt nonnunquā rumpatur venter, quod de acu scribitur 3. de generatione 4. Est & causa finalis, vt ita subueniatur breuitati vitæ eorum.

Quod autem in piscibus sint discrimina sexuum, & non pariant omnes indifferenter ostenditur 3. de generatione 5. Quoad habitudinem verò carnis præfert Isac moderatos, non immodice pingues, non graciles.

Septima propositio: de varietate piscium per nomina, summa est difficultas. Sunt enim marina animalia nomine cognita, ex antiquorum obseruantissimis traditionibus 176. apud Plinium lib. 32. cap. 11. Nec tamen est valde necessaria ea inquisitio. Nam 3. aliment. cap. de piscibus duræ carnis, dixit satius esse supersedere à nominibus, & per notas quasdam, vel experientiam agnoscere naturas illorum. Notæ sunt mollities cum friabilitate, saporis suauitas, tarda corruptio ab aëre, & licet quidam, quia cæno nutriuntur, vt mugil, & boca, statim putrent nisi euiscerentur quamuis boni sint, saltem de euisceratis est certa nota, experientia autem præpollet notæ. Qui enim longa experientia patrios pisces nouerúnt, nihil egent dictis notis 3. aliment. cap. de piscibus mollis carnis. Cognitorum autem ordo sequitur.

Classis prima. Primum locum habent saxatiles, & inter eos teste Galeno 3. aliment. cap. proprio. Scarus creditur multis, *pampano*, licet alijs magis videatur stromateus? Sequũtur tardius judicatus, *garopa*, & merulus judicatus, *mero*. Sequuntur perca, *breca*, & Hiulis paruus ore venenato, sed esu saluberrimus, *donzella*, ou *douradinha*, & phisis vel fuca, *faneca*, scorpius, *requeime*, galius rhodius, *peixe prego*, ficedula, *ceifia*, cinedulus, *peixe cauallo*.

Ex non saxatilibus autem accipenser Plin. lib. 9. cap. 17. Aristoteli est onyscus videtur gallacia 3. aliment. *solho*, aurata, *dourada*, aliquanto durior. Solea vel lingula, *azeuia*, buglosus, vel lingulaca, *lingoada*, melanurus judicatur, *sarguete*, sarcus, *sargo*, eritinus, *bica*, vel *sargo bicudo*. Pargus, *pargo*, afellus, *peixe asno*, apud Algarabienses, nostros autem pescada ex eo genere est licet 3. aliment. numerauerit asellum, inter inutilia salitura. Rhombus, *rodoualho*. Salmus præstantissimus fluuiati-

uiatilium, Plinius lib. 9. cap. 17. *salmão*, ob nimiam tamen pinguedinem damnatur. Trochta reprobatur in aqua stagnāte, nec probatur in ostijs fluminum, melior est ex mari, optima ex rapidis fluminibus. Conuenit illis magis coctura, ob carnis duritiem; vnde vulgo: *Quem assa a truta, coze a perdiz, não sabe o que faz, ou não sabe o que diz*, mustella, *doninha*, telinæ, *samegoas*, sobius, *sobião*.

Classis secunda: Acarna, *vezugo* creditur; boca, *boga*, apud Plin. lib. 32. cap. 11. solea occulata, *lingoado sabacho*, cynoglosus, *azeuião*, arnoglosus, *linguada*, hyppoglosus, *lingoado sapateiro*, chorax creditur *goraz*, synagris, vel cynedon, *dentelha*.

Ex genere autem mugilum optimus est capilo, vel cephalus, *capitão*, sequitur cestreus, *tainha*, tertius myston, Latinis mucco, vulgaris, *mugem*, zeus, vel faber, *ferreiro*, vel bucinegro ab atro calore. Orphus, *pargo capitão*, lupus lanatus à candore carnis, *robalo*, lupus varius, *baila*, vterque melior ex alto contra epulones. De quibus canit juuenalis.

Vnde datum creditur lupus hic Tyberinus, in alto, Captus hiet, &c.
Cuculus, *doçaina*, à sono quem edit retibus captus, mulus barbatus creditur capra, nostris autem, *salmonete*, ad hoc genus reducitur mulus imberbis, *ruiuo*, draco marinus, vel aranius, apud Plinium, *peixe aranha*, rhombus aculeatus, *patruça*, thombides, *meia patruça*, sphiræna, *peixe espada*, acus, *peixe agulha*, ziphia, *peixe agulha do alto*, squilla gibba, *camarão*, ostrea, *ostra*, gallus marinus, *peixe gallo*, dicitur etiam piscis Sancti Petri, vel çiculus propter maculam ex vtroque latere. De quo non videtur recte Rondeletius opinari fabrum esse. Vmbra vel siena creditur, *coruina*, coracinus, *coruão*, vel *peixe coruo*, tusca, vel trupea, vel halosa, *sauel*; mena, *pardelha*.

Classis tertia: Mirus, *morcão*, murena, *morea*, Galeno laudata, nobis nisi præuerberata non probatur, tunnus, *atum*, delamis, *peixe serra*, pastinachia, *vta*, insuauis, nec boni succi, licet Galeno commendetur, raia lanis, *raia lauada*, *raia cinerea*,

zibreiro, raia oxirinelas, raia biuda, raia oculata , raia celada, raia astria, raia picada, raia aspera, raia raxada, raia piscatrix , tamboril, scatina lixa. Scatiraia, *vrega*, quia vrinam olet, passer, *solha*, opiphidion, *ortiga.*

Classis quarta: Aselli species, *bacalhao*, molua apud Rond. *chancarona*, aphia phalerica, *peixe Rei*, balerus, *bordalinho*, lamea, *dentudo*, conger, vel congrus, *congro*, lampetra à lambendis petris, Plinius mustella fluuiatilis, Ausonio munera fluuiatilis glutinosa, nec boni succi, *lampreia*, amia, *bonito*, 3. aliment. numeratur modo inter duras, modo inter molles carnes, ad neutrum autem insigniter inclinat. Salpa, *salema*, scomber, *trasola* vel *cauala*, colias, *sarda*, trachulus, *chicharro* vel *alfaiate*, capriscus, *escorio* vel *porco*, canicula saxatilis creditur, *melgea*, canthorus creditur, *preguiçosa*, galeus asterus, vel stelaris, *peixe corça*, gallus leuis, *cação*, gallus achanteus, vel spinarum, *galhudo*, vranoscopus, vel calionimus, *peixe sapo*, hyrundo marina, *peixe andorinha*, ou *voador*, pompilus, *dourado*, arengus, *arenques*, cucumer marinus, apud Plin. lib. 2. cap. 2. *peixe melão*, mormirus creditur, *vezugo*, labeo vel chelon ex genere mugilium deterrimus, *negraio* vel *mugeis da costa*, barbiui quidem dicuntur, *machos*, maiores, *barbos*, aliquanto meliores sunt mẽse Maio. Iuxta illud, *quando o trigo he louro, he o barbo touro*, & Ausonius his carminibus.

Tu melior priore æuo tibi contigit omni,
Spirantum é numero non illaudata senectus.

Trichia vel sardinia, *sardinha*, poiipus, *poluo*, mire augent venerem, Athenæus narrat multos obiisse ex ingesto plurimo, sepia, *ciba*, lolius, *lula*, loligo, *cochos*, tropedo, *tremelga*, ignobilis, & praua, licet commendetur 3. aliment. Portica *alforrecas*, à pruritu quem tectæ inserunt, nonnullæ in eo genere suauiter esculentæ sunt, nonnullæ inesibiles. Coclea marina, vel turbo, *caramujo*, vngues, *perceues* vel *pès de cabra*, astacha, *lôbagante*, schila, *santola*, canchri, *caranguejos*, lacustæ, *lagosta*, dactili creduntur, *lingeirão*, patelá, *lapa*, vertibula, *pè de burro*, murex

rex & purpura, *buzios*, tingunt pro miscide pectines, *conchas*, pectunculi, *berbigoens*, mytuli, *mexilhoens*, ericeus vel echynus, *ouriço*, echynometra maximus, in eo genere limaces, vel cochleæ terrestres, *caracois*, testudines nemorales, *tartaruga*, frequentes insulanis. Cancri fluuiatiles, *caranguejos de rio*, frequentes Gallis, testudines fluuiatiles, *cagados*, nobis vtiliter substituuntur pro dictis.

Classis quinta: Orbis scutatus, Alfonsis, pistrix, *spadarte*, vulpis ex galeis magnis, *peixe rato*, aper, *peixe porco*, balena, *balea*, zygena, *peixe cornudo*, centrina, *ramudo*, galeus glaucus, *tintureira*, vitulus marinus, *lobo marinho*, tursio apud Plin. *toninha*, delphus, *golfinho*, silurus creditur, *roaz*, tubero, *tuberão*, hypoçampus, *caualinho do mar*.

CAPVT XXXXVII.

De Cholica.

ADuerte primò: curandæ cholicæ vniuersalia præcepta. Primum: fomenta & balnea carminantia sæpe lædunt ante materiæ sufficientem minorationem, nam flatus augent, & materiam fundunt, quare quibusdam induxerunt paralisim, epilepsiam, maniam, antritidem, nam cum in intestinis reperiatur humoris copia, tum propter loci amplitudinem, tum propter loci ignobilitatem, fit vt impedito exitu deorsum cõmunicetur humor, modo quidem cerebro per neruos, modo vertebris ob vicinitatem, sicut in alijs intestinum rumpitur, & fiunt hydropici defluente materia ad omentum. Alij fluente jam aluo perierunt propter pessimam impressionem intestinis communicatam.

Secundum præceptum: clysteres lenes, vsque ad aliquam coctionem materiæ, & magis præsente febre securissimi sunt, nec tamen valde multum frequentandi; nam cum materiam agitent, caput grauant, quandoque etiam febrem, & fluxum inducunt.

Tertium præceptum: soluentia purgantia sint etiam leuia, quia trahunt aliunde materias ad intestina. Secundò, agitant humores intestinorum, quare sequitur febris. Tertiò: debilitant vim, quare sequitur aliquando vomitus fæcum, aliquando excoriatio intestini propter humores tractos ad intestina, & ibi retentos, quare vtrumque symptoma lethale est in collicis. Verum leuia purgantia conueniunt primum, quia materia continetur in superioribus intestinis, quæ tamen vomitu educi non potest, nam tunc leniens, vel deorsum extrahit, vel saltem trudit ad inferiora intestina, vt cum clistere educatur.

Alter casus est: vel collica sequitur ad dysenteriam, nam materia supra locum vlceris continetur. Valida verò purgantia in casibus conueniunt. Primò cum materia defluit à vasis ad intestina. Secundus: cum lentissimi humores intestinorum leuibus non cedunt. Tertius: cum valida obstruentia intestinorum reliqua remedia contemnit. Verum securissimum, & potens est sumptio ℥. vj. olei calidi, à quibus per horas quinque nihil sumatur, sed statim à potu aspergatur facies frigida, & confestim sumatur aliquid citonei, aut pyri ad nauseam sedandam, educit enim post horas 12.

Quartum: vomitus in plenitudine ventriculi nauseante ægro confert, sed perseuerans, cum aliquo adstringente detineatur irrorata facie & extremis, adstringentia soli ventriculo imponantur.

Aduerte secundò: de collica frigida præcepta. Primùm: cum semper ordiendum sit à clysteribus lenientibus, & abstergentibus, si obstructio leuis est, statim addatur clysteri phlegmagogum, si autem valida addatur (scilicet phlegmagogum) paulo post.

Secundum: doloris sedatio continuanda est fomentis, balneis, vnctionibus, anodinis, leuiter etiam carminantibus, & in extrema necessitate narcoticis.

Tertium: tandem intemperies materialis, vel immaterialis

tialis manens, emendanda est juxta præceptum in lib. de prænotione 8.

Quartum: in copia flatus venter totus valide cingatur 19. therap. vltimo, & inclinetur pronus pendentibus capite, & pedibus, & exercitetur quàm maxime potest, & famesçat quousque cesset.

Quintum: si clyster non retinetur injiciatur leuius, & minus, si immodice retinetur, injiciatur mel, vsque ad ℔. j.

Aduerte tertiò: in collica calida conuenit infra decoctum frigidorum emollientium, cum violaceo, & pauco sale supra pulpam cass. cum decocto fructuum. In bile verò crassa aloes loti ʒ. j. sicut in valde calida aqua frigida epota, vel clysterisata sanat. In collica tamen ex siccitate fæcum sanat clyster ex ℔. ß. olei, butyri ℥. ij. & magis addito decocto capitum, & intestinorum castrati, item sumptio olei, vt supra, vel communis, vel amigdalini. Postremo si retinetur, clysteri addatur copiosum mel.

Remedia.

PRimum: in frigida clyster leniens, & abstergens. ℞. bordij pinguis ℥. x. olei ℥. v. melis ℥. ij. salis ʒ. ij.

Secundum: minorans pituitam, addatur superiori clysteri diaphænici, vel hyeræ pieræ ℥. j. per os sumatur elephanginarum ʒ. j. & ß. vel terebentinæ vsque ad ℥. j. operantur tarde, sed potenter.

Tertium: dolorem flatulentum leniens clister, anethini ℥. viij. vini albi potentis ℥. iiij. sachari rubri ij. retineatur diu calidum. Item foueatur venter cum decocto camomillæ, meliloti, anethi, rutæ in pari vino, & aqua. Item cucurbitæ amplæ, cum multo igne repetendæ. Præterea opij castorij, aña j. granū, & si oportet duo, quod si necessaria est validior solutio, adde diagridij gr. iij.

De Leguminibus.

PRopositio prima: legumina omnia melancholica sunt, propter plurimam terram subsidentem,& vapores terreos attenuatos, præterea flatulenta sunt, ob defectum caloris coquentis, & copiam humidi coquendi, initium autem coctionis est multiplicatio flatuum; magis autē flatulenta sunt recentia, quam sicca, magis cum cortice, quam decorticata; redduntur item minus flatulenta, & suauiora, si permacerentur in aqua, aut lixiuio si duriora sunt, minus item flatulenta euadunt si magis coquantur,& adhuc magis si bis coquantur, priori aqua effusa, & eo magis si addatur origanum,capa, piper, & magis si fricta sunt, superpotato vino mero lib.de affect.in fin. Causa: quia durus cortex prohibet efflatum vaporis,quare minus tument non decorticata, sicut & castaneæ,quanto autem magis tument inter coquendum, eo minus in ventre 1. acut. 28. Habent autem multo plus flatus, quam animalia, quia immediatè ex elementis prodierunt, & densitas substantiæ facit ad crassum vaporem.

Secunda propositio: oriza in succi probitate præferenda est leguminibus. Nam Celsus numerat eam inter euchymia, cum nullum leguminum sit plane boni succi.Item 2.aliment. constituit eam similem tritico. Quoad temperaturam autem apud Isac, & Ras. 3. aliment. calida est in 1. quod confirmat experientia,cum inflamet biliosos, quod magis recipiendum est quam quod Auic. judicat temperatam, Haly verò frigidam, in nutritione item Auicenæ plurimum nutrit, Serapioni parum; certius est ex 1. aliment. eam parum alere, multo minus tritico. Vbi verò scopus est impinguare citra adstrictionem,præmaceranda est in lacte furfuris, vel magis pecorino, postea coquenda cum jure gallinæ, vel lacte. Vbi autem scopus est adstringere, paretur sicca cum lacte torrefactarum amigdalarum.

Tertia

Tertia propositio: fabas reliquis leguminibus præfert Galenus, asserens eas non procreare prauum succum, & conferens ptysanæ. De cicere verò pronuntians esse praui succi lib. de attenuante 7. verum non placet Arabibus & vulgo. Nam recentes, sicut reliqua immatura legumina, valde reumaticæ sunt. Galenus cum experientia lib. aliment. 19. sed & siccæ deteriores sunt ciceribus. Primò, quia ægrius coquuntur. Secundò, quia tumultuosa faciunt somnia, etiam apud Diosc. & apud Psellum diutius morari inter fabeta tentat mentem. Sauanarola narrat Patauos, ob frequentem earum vsum timidos, & cogitabundos; & apud Auicenam inducunt cephalalgiam. Tertiò, quia statim occupantur teredinibus putredinem significantibus, quare à pytagoricis damnabantur. In ratione verò medicamenti attenuantis, & abstergentis etiam, apud Galenum præfertur cicer.

Num autem in electione magis standum sit Auicenæ præferenti non perforatas, an matronis præferentibus perforatas. Dic: in ratione cibi videntur cum experimento præferendæ perforatæ, quia licet omne putridum prauum sit, verum putredo alicuius partis in duris indicat teneritudinem, mollitiem in reliquo, vt in cassio vermes, in cuniculo, & perdice paucus fætor, in fabis neritas.

Quarta propositio: Lupini edulcerati non sunt mali succi lib. de attenuante 7. & 4. acut. 95. inter legumina minimum habent malitiæ; fere enim flatulenti non sunt, sed ob succi crassitiem renittuntur coctioni, quod si exacte non coquuntur, crudum succum gignunt 2. aliment. 23. quare sunt cibus rusticorum, & exercitatorum. Quare immoderatius scribitur ab Auicena lupinum ex toto malum esse, gignentem crudum humorem. Sicut & quod scribitur de fabis; decoctio iterata tollit ab eis inflationem, cum 2. aliment. testetur Galenus quantumuis longa decoctione non deponere eam flatulentiam. Temperies lupini apud Auicenam, & Haly calida est in 1. verum Isac statuit in 2. apud Auer. in 3. vt intelli-

gatur attingere tertium gradum dulcem non excedere primum.

Quinta propositio: cicer plus fabis abstergit, ita vt nigrum frangat lapides, vehementer incitet libidinem, ob flatum, in quo non vincitur à fabis, & ob calorem quem fabæ non habent, & ob nutritionem, in quo superat fabas ait Isac. Ob eandem item flatulentiam laxantem, & tumefacientem carnem, pulchram efficit faciem. Hippocrates autem 2. diet. dixit, cicer alere carnem, diureticum esse dulci, subducere aluum salsuginoso. Vbi ergo quæritur deobstructio, non macerentur in aqua abjicienda; sed instar hordei in aqua vigecupla ad dimidias coquantur. Vbi verò quæritur alitio, præmacerentur, & multo amplius coquantur. Quod autem Auic. inquit oportere, vt sumantur in medio tantum mensæ, videtur multis literæ vitium. Nam jus tanquam subductorium initio conuenit, cicera ipsa in medio tanquam mediæ substantiæ, & flatulenta.

Sexta propositio: sesama semina sunt pinguissima, ita vt citissime euadant rancida, emendantur apud Auic. cum melle cocto, ita enim legendum est pro crudo 2. aliment. formatis sesaminibus, videlicet quia ita trahitur ab hepate, ob dulcedinem, quare prohibetur innatare, inducit fætorem halitus apud Diosc. vel quia lentor inter dentes manens facile putret; vel quia ob pinguedinem vertitur in putrem bilem instar olei, potissimum Isac in particularibus dixit meliorem esse cum cortice, ideo quia magis descendit, nec sequitur alios fructus cum nucleo esse ingerendos. Nam etiam cortices vuarum Galenus commendat expui 2. aliment. quia à cortice, & nucleis ventriculus læditur, quod damnum præponderat vtilitati descensus, nisi in pinguissimo, & natante, quale est sesamum.

Septima propositio: lentes in passiuis siccæ in 2. asseruntur, in actiuis tantum discrepant. Nam 8. simp. temperatæ asseruntur, & 6. epid. 5. 35.

Contra

Contra Hippocrates, & Isac statuunt eas frigidas in 1. Haly in 2. cum Ras. 5. ad Almans. 20. & Auer. 5. coll. 5. Contra tamen videntur ad calidum inclinare, quia participant vim cõtricem, apud Auctores quia calido perficitur, & 2. can. jus earũ subtiliatiuũ est; & de victu priuatorũ 2. numerat inter calida legumina. Cardanus soluit calidas esse cum cortice; est tamẽ sine Auctore, nec probabile, quia 8. simp. Gal. sola medicamenta in gradu collocat, asserens temperatas in actiuis. Vel 3. legendum lib. de victu priuat. calida seorsum, deinde sicca, vt lentes, vel in paruo interuallo, sine errore effertur vtrũque contrarium 5. simp. 9. vehementer adstringit, mali, & melancholici succi 1. aliment.

Sed de vtroque aduertendum est adstringere magis cortice, incrassare carne, soluere succo. Quare vbi solutio quæritur leuiter coquitur, & adjecto oleo bibitur solum decoctum. Vbi autem incrassatio humorum, aut exsiccatio corporis quæritur, decorticata sumatur, vt in humidis naturis, & hyposarcicis 1. aliment. Vbi autem quæritur adstrictio, vt in fluxibus cum cortice coquantur, sed bis effusa priori aqua, & adjecto aceto.

Quod ergo Isac dixit, decorticatam magis adstringere, recipiendum non est; succi melancholici vsque adeo est, vt asseratur in procœmio aliment. & cap. de lente omnino opposita ordeo, & frequentata inducit elephantiasim, minuit menses, cohibet sanguinis distributionem. Quare commode exhibetur in feruore, & fusione sanguinis. Conuenit ceu medicamentum in ventris profluuio 1. acut. 18. & de euchym. 7. vt alimentum verò asseritur praua, & melancholica. Quare improbandi sunt, qui permiscue ea tanquam alimento vtuntur, potissimum autem biliosis, & sanis cauenda est propter siccitatem 1. aliment. Nec tamen male conceditur in synocho, & exantematis ob sanguinis feruorem, imó etiam in victu tenui non damnatur raro vsu lib. de attenuante 7. lupinis enim similem constituit in bonitate. Causa autem cur concedatur

in tenui victu est, quia eorum qui egent tenui victu, quidam abundant pituita, alij melancholia, ad priores autem cõuenit 1. aliment. posterioribus noxia est.

De cortice autem aduertendum est, quorundam corticem magis adstringere, medulla; vt in punicis, vuis, lente, fabis; aliorum magis abstergere, vt in tritico, hordeo & cicere. Quare quod Isac cum Tacuino, & alijs pronuntiant corticem lentis soluere acrimonia sua, medullam autem adstringere, recipiendum non est. Aufertur verò cortex varie, ex quibusdam sola frictione decutitur, vt in strobilis (*pinhoens*) in alijs assatione, vt in nuce & auellana: in alijs maceratione calida sequente frictione, vt in fabis, & lentibus; in alijs etiam mollis pinsatio exigitur, vt in hordeo. Est autem lenis turbatiua 2. diet. & 4. acut. 49. quia constat facultatibus contrarijs, & partibus diuersæ coctionis, nam cortex multo difficilius coquitur quam caro ibi. Quod ergo Hippocrates 2. diet. scribit, nec soluere, nec adstringere, intelligatur vtrumque efficere pro artificis varietate.

Octaua propositio: ochri & faseoli, deteriora fabis asseruntur lib. de attenuante 7. meliora tamen dolychis, & latinis, de euchymia citat. fuit autem etiam Galeno difficilis horum nominum dignotio, eo quod varij Auctores varie illis vtuntur, lib. aliment. 25. interpres pro ochris vertit, *eruilhas*, sunt autem ochri, & faseoli legumina cõgenera, duæ scilicet species *(de feijoens)* nam apud nos quidam ex illis albent, alij rubent, nonnulli versicolores sunt; at hi postremi Dioscoridi appellantur smilax hortensis. Licet Aët. aliter sentiat cap. de dolychis; temperamento autem sunt magis calidiore rubri, & magis prouocante. Quod autem 2. aliment. Galenus locat ea in medio bene, & mole alentium, flatulentorum, & flatus expertium, videtur intelligendum, vt inter legumina. Nam si legumina omnia flatulenta sunt, & hæc judicantur inferiora fabis, cur non inter flatulenta, & praui succi numerabuntur.

Nona propositio: dolichos, vocant Aët. Paul. Galenus, quos vulgo lobos, vel seliquas, quia ex leguminibus frequentissime cum siliquis simul eduntur, & faseolos, vel fasiolos quatuor syllabis. Ex quibus simul cum theophrasto 8. de hist. asserente, quod nisi consurgat affixo palo, redditur rubiginosus, ostenditur esse nossas (*eruilhas*.)

De facultate verò ejus in lib. de euchym. citat. æquat eas faseolis, licet non tantum faciant ad dejectionem, & suauitatem. Nobis judicantur suauiores, in flatulentia verò ait eos carere flatu, cum apud Diosc. vehementer moueat flatus. Vulgus verò judicat esse alimentum innoxium.

Decima propositio: cathyris nobis cicercula (*chicheros*) deterior prioribus, sed plus illis alit, & succo crassiori lib. de euchymia citat.

CAPVT XXXXVIII.

De fluxu ventris.

Incipit, cum cibus, &c.

ADuerte primò: curandi fluxus in vniuersum præcepta. Primùm: si causa est progressus soluentis, frangenda est acrimonia ejus cum abstergente, morsum leniente v.g. ℥.viij ptysanæ cum sacharo, vel mussilago psylij extracta cum rosacea. Vel plutes ex amylo cum rosacea, & præstat si ad hujusmodi lenientia sequatur sumptio comprimentis fluxus 2. aliment. de prunis.

Secundùm: si causa fluxus interna est humor, scilicet aut quantitate, aut qualitate peccans, distinguendum est. Nam si vacuatio respondet humori, & virtuti, nihil innouandum est 1. aphor. 20. si verò superfluit ad virtutem, vel ad humorem retineatur. Si verò id quod frequenter accidit inprimis diebus deficit, arte juuetur 9. meth. 5. vel vt conjectata à medico copia

humo-

humoris excedentis simul, & conjectato impetu fluentis humoris dijudicet, num satisfaciat spontaneus impetus humorum fluentium copiæ; quod si minor est, arte juuuetur, quod non exacte transcripsit Aët. lib. 15. 71. asserens in vacuatione spontanea totum negotium naturæ permittendum esse vsquequo cesset. Quod Aëtij consilium frequenter Medici cũ vitæ dispendio sæpe sequuntur. Vbi autem constitutum est supplere spontaneam vacuationem arte, præstat vt per aliam regionem, non per fluxum alui, scilicet si natura inclinaret ad sudorem, vomitum, aut vrinam, aut si creditur defluere humor à vasis ad intestina, cõmodissime vena secatur, quia præstat quando opus est vacuare, non simpliciter vacuare, sed cũ auersione 5. aphor. 32. & 48. Quia tamen raro intentat natura simul cum fluxu ventris aliam vacuationem, perficienda est vacuatio arte exhibito medicamento, quod parum moueat fluxum; non concitet, adstrictione participet. Et juxta hanc interpretationem explicandum est, quod scribitur indeterminatius 1. ad Glauc. 14. nunquam in fluxu ventris cum febre purgandum esse, sicut & quod subdit ibidem omnes interire, quotquot sub canicularibus vacuantur, regulariter enim non conueniunt tales vacuationes, sæpe tamen juuant, & necessariæ sunt.

Tertium præceptum: vltra prouidentiam adhibendam mandanti, siue fuerit totum, siue particulare membrum, statim intestinis prouidendũ est, per abstergentia doloré lenientia, & vlcus prohibentia, ea enim in medijs intestinis affectis danda sunt, & sursum & deorsum, in inferioribus autem deorsum. Causa est quia 13. meth. 17. clysteres non attingunt ad jejunum; imò etiam si nitaris ad solum tenue perueniunt, multo minus ad ventriculum 5. meth. 11. Quomodo ergo experimento fastidia inducunt, & 2. ad Glauc. 6. in fine clysteres ascendunt ad gracilia, sed viribus imminutis, sicut bibita ad crassa intestina. Item quomodo in illiaca repente submissum sorbetur, ita vt euomatur. Item quomodo Aët. nutrit cardiacos

per clysteres alentes. Zoar. verò hecticos defectus, si vsque ad ventriculum non ascendunt vt chylificentur. Dic ad primum: clysteres offendunt ventriculum, & caput vaporibus, licet eò non perueniant substantia sua.

Ad aliud in illiaca propter validam contractionem musculorum sedis, ad expulsionem noxij, cogitur submissum sursum ascendere, sicut in fluxu clysteres propter contrariam dispositionem, non permeant omnia crassa intestina. Sententiæ autem allatæ solum de naturali dispositione tradunt.

Ad tertium: dic submissa paucis diebus alunt, licet Nundela neget, non enim requiritur ad chylificationem submissum ascendere ad ventriculum, sed chylificatur licet imperfecte in intestinis 4. de vsu 17. sicut & sanguis gignitur ante hepar, inelaboratus tamen in meseraicis 2. de placitis 7.

Nec obstat, quod officina sanguificandi est hepar, chylificandi ventriculus, quia natura comparatum est, vt ad similes modos substantiæ sequantur similes facultates 7. de placitis 5. est autem vna substantia in tunica oris ventriculi, & intestinorum, sicut in venis & hepate, sicut in arterijs & cordis auribus. Sed in eo distant, quia vbi quæritur integra oppositio, & in ortis requiritur communicatio facultatis à fonte, quia orta non habent eandem substantiam, sed similem, id quod accidit in arterijs & venis, vbi verò non quæritur integra actio, sufficit ad imperfectam actionem similitudo illa substantiæ citra facultatis demandationem. Quare venæ tarde sanguificant deficiente calore carnis ventriculi, & circunstantium robur autem à communicatione sanguinis, per omnia vasa fluentis conciliatur. Nec obstat, item quod vasa coctione propria gignunt album semen, quia & ventriculus aliam coctionem habet in cōcauitate terminatam in chylum; aliam in poris, quà substantiam ventriculi conficit, de differentijs symptom. 4.

Quartum præceptum: diuersio, incrassatio, constrictio, stupefactio sistunt fluxus, sed non habent omnia eandem oc-

casionem. Nam diuersio semper habet locum per sudorifera, deuretica, vomitoria, juxta illud vulgare, vomitus sedat fluxum, fluxus vomitum; sed vtrumque sudor. Incrassatio verò & constrictio, cum creditur vacuatus humor noxius, vel licet non ex toto vacuatus sit, vis tamen non tolerat diuturniorem fluxum. Stupefacientia verò solum (cum alia non sufficiunt) & interpollatim vi constanti, sunt autem incolumiora supposita, quam potata, sed suppositio requirit quantitatem opij, alias stimulant, non retinent, itaque in collirio sit opij gr. viij. in potato verò gr. ij.

Remedia.

PRimùm: in fluxu diminuto, si biliosus est, tamarindorum ℥. ij. seri ℥. iij. syrupi rosati ℥. j. Vel rhab. ʒ. j. ß. formentur pillulæ cum aqua plantaginis. In diminuto pituitoso, Cartami crassi tussi, mirab. chebul. aña ʒ. iij. bulliant in aqua menthæ ℥. iiij. mel rosati collati ℥. ij. collatum potetur, vel elephanginarum ʒ. j. In diminuto autem melancholico similiter infundatur epithemi, polipodij aña ʒ. iij. Vel sene, polipodij, mirabolanorum indorum aña ʒ. ß. formentur pillulæ.

Secundùm: mundificantia intestina, & vlcus prohibentia. Clyster ptysanæ ℥. xv. rosacei ℥. iij. luteum vnum, adipis renum capræ ℥. j. & si calor vrget, adde mucilaginis psylij ℥. ij. si verò magis frigus, mellis rosati tantundem, & permutetur rosaceum in camomillinum. Sursum autem sumat ptysanæ ℥. iij. julepi rosati ℥. ij.

Tertium: adstringentia interna in causa calida. Miua citoneorum, & magis fructuum diacitoneum succorum, rob de acido citri, syrupus papauerinus, & de rosis siccis, item micletæ & electuarium de sorbis quotidie ℥. ß. vel trochiscorum de spodio cum semine acetosæ ʒ. j. Item mirabolanorum, & rhab. torrefacti aña ʒ. j. & ß. cum syrupis dictis, & aqua plantaginis. Postremo interpolatim sumat trochiscorum de charabe

be ʒ. j. vel phylonij persici ℈. ij.

Quartum: constringentia externa in causa calida. Vnguatur venter rosaceo, quam calido tollerare potest, superasperso puluere rosarum, masticis, galliæ. Vel citoneum ablato meditullio coquatur in aceto, tussum autem cum pulueribus dictis, & trochiscis de charabe imponatur. Item clyster decocti hordei torrefacti gallarum sumach ℔. j. succi plantaginis ℥. iiij. luteum oui in aceto adipis renum capræ ℥. j. micletæ ℥. ß.

Quintum: constringentia interna in causa frigida. Miua aromatica, syrupus myrthinus, caseus antiquus bullitus, post exsiccatus, & pulueratus. Item ex nuce muscata assa cum pari sacharo quotidie sumatur puluis jejuno. Item rhab. & cheb. torrefactorum aña ʒ. j. ß. miuæ ℥. j. aquæ menthæ, vel absinthij ℥. iij.

Sextum: constringentia externa in causa frigida. Vnctio cum mastichino, quam calido tollerare posit, superasperso puluere mastichis, gariophilorum, galliæ, item citoneum in vino nigro coctum addito pane asso, & succo menthæ, cum pulueribus dictis. Item clyster recipiens in decocto nucis cupressi orizam cum vini nigri ℥. iij.

De Olertbus.

ADuerte secundò. Propositio prima: olerum in cibum receptorum, alia sunt radices, alia herbæ, alia turiones, vel gramina, vel asparagi, vel lupulli (*grellos.*) Sunt autem mali & pauci succi omnia, excepta lactuca, quæ in medio est boni, & mali succi 2. aliment. & de euchym. Syluestria verò omnia deteriora sunt Auic. 3. 1. doctrina 2. cap. 7. frigida, inquit, pituita replent corpus, calida verò adurunt sanguinem. Quare vtraque reproba sunt sanis, peiora ægris. Itaque promiscuus vsus illorum illaudabilis est, scilicet quia cum paucam habeant elementorum proportionem, seu mixtionem, longè

distant à probo sanguine. Verum in via medicamenti conueniunt in multis morbis. Quod autem 5. coll. 41. scribitur omnia esse melancholica, videtur literæ vitium. Nam 3. de locis de melancholia, inter olera sola brasica melancholica est.

Secunda propositio: olera frigida illota meliora sunt vẽtriculo, apud Diosc. & Auicenam cap. de lactuca. Nam lotio separat inter partes plurimorum olerum aperientem superficiem, ab aquea interna 2. can. 1. Altera causa, quia per lotionem additur inflatio sicut punico. Num autem facilius coquantur olera, quam carnes, & pisces, videtur pugnantia. Nam Oribas. lib. de confect. ciborum cap. de difficulter coctibilibus, & Aët. lib. 2. cap. 225. inter difficulter coctibilia numerat: & 1. naturalium 10. ad hoc quod caro sanguis fiat, pauca sufficit transmutatio, vt autem olus plures; quod autem magis transmutandum est, longius tempus requirit, quare difficilius coquitur. Dic: olera experientia celeriter concoquuntur, & apponuntur, quare & resoluuntur 2. aphor. 14. Quod autem scribitur 2. naturalium, non monstrat tarditatem coctionis, sed paucitatem alimenti, quia cum olera nimium distent à sanguine, paucissimæ partes possunt in illis transire, & ita parum nutriunt, quod idem videtur significare Oribas. cum Aëtio.

Tertia propositio: olera coquenda sunt non superfusa frigida, indurantur enim, & redduntur minus suauia lib. aduersus Erasistratum cap. 4. Quod si semel coquenda sint, sufficiens aqua mittatur in vas, in quam calentem injiciantur olera: si verò bis coquenda sunt, adsit alia calida quæ effusa priore in olus mittatur. Quod in reliquis coctibilibus obseruandum est, indurantur enim si vel frigido aëre tegantur.

Quarta propositio: olera domestica sunt ita collocanda. Lactuca, blitum, malua, spinachia, portulaca, atriplex. Lactuca 2. aliment. succum gignit inter attenuantem, & incrassantem, soluentem, & adstringentem. Quod ergo Diosc. inquit ventrem mollire, & Martialis. Vtere lactucis, vel mollibus

vtere

vtere maluis, cum Plinio lib. 20. cap. 7. poteſt ſolui quod paucæ ſiſtunt aluum, propter aliquantam adſtrictionem, ob quam etiam faſtidia abigunt, & ſtomatichæ ſunt; copioſiores autem ſoluunt, propter frigiditatem offendentem ventriculum. Vel juxta Galenum in proœmio aliment. Demum talia alimenta ancipitis naturæ pro varietate alui ſumentium contraria operari, vnde etiam promiſcue ſumi poſſunt, vel in prima, vel in ſecunda menſa, quod Martialis quærebat. Claudereque cænas lactuca ſolebat auorum, Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes? Nutrimentum illius eſt modicum ſimpliciter, ſed potius paucum, plus tamen reliquis oleribus nutrit maxime cocta. Quod ergo Plinius, & Dioſc. ſcribunt plurimum ſanguinem gignere, & lac augere, negat Galenus, niſi collatione ad olera. Quod item 2. diet. ſcribit Hippocrates debilitatem inducere, vel referatur ad paucum ejus alimentum, vel quia inducit debilitatem ſeminis, & ſpiritus viſorij. Quod item 8. therap. 2. ſcribitur lactucæ exiguum eſſe quod alit, plurimum inutile, verum eſt ſi conferatur ad carnes non ad olera.

Nec obſtat, quod aliqua olera minus diſtant à temperamento ſanguinis, quare oportebat illa magis nutrire, quia non ſolum temperamentum ſequitur nutritio, ſed multo magis ſimilitudinem in ſubſtantia.

Num autem præſtet cocta? Dic præſtat, quia facilioris eſt coctionis. Secundo, quia inflatio minuitur. Tertiò, quia frigiditas ex qua timetur obſtructio, & incraſſatio humoris remittitur. Quartò, quia magis alit apud Raſ. citat. Verum vbi calor eſt ingens in morbis Tralianus concedit etiam crudas.

Maluæ priſcis erant in frequenti vſu, nobis raro admittuntur, cum Galeniſtis, tantum, vbi placet mollire ventrem, vel acrimoniam vrinæ cum vtilitate multa. Numerat autem eas Galenus in 2. loco probitatis. Quod ergo Auic. 2. can. inquit eſſe illaudabilis alimenti, ita interpretandum eſt.

Portulacam numerat Galenus 3. loco, commodè ſumitur in acetaria cocta, ad ſanguinis calidi incraſſationem, qua au-

tem vi soluat manducata stuporem dentium, visum est insolubile, & referendum ad multam proprietatem. Aphrodiseus 2. suorum prob. Nec valde dissetit Aristoteles 1. prob. 37. Dicés portu acam attrahere succum acidum dentium, ob similitudinem. Galenus verò 10. simp. dixit stuporem qui nascitur à siccitate exuperante sanari à mansa portulaca, quia humiditate sua tollit siccitatem, & lentorem æquat exasperata.

De blitro autem dixit lib. de attenuante 9. olus esse minime pituitosum, & tamen vehementer obtundit acrimoniam bilis. Quare intelligenda est Galeni sententia si conferatur ad frigidiora, quales sunt pepones, & cucurbitæ, moderatiora sunt & non expertia aliquantæ adstrictionis.

Incognita spinachia priscis, frigida humida in 1. apud Isac, Auic. Ras. licet Haly asserat eam temperatam in actiuis. Auer. verò frigida humida in 2. Putant dicta spinachia, ob spinosum semen. Alij vocant attiplex Hispanum, quia inde sumpsit originem. Postremum locum obtinet attiplex, vel crisolocana, vel olus aureum (*armoles.*)

Quinta propositio: syluestria omnia ceu praui succi reprobantur, admittuntur in vsum, ambubeia, lupus salictarius, oxalis, corruda, euthimum. Ambubaia dicitur, & scariola quasi seriola, aseri id est chicorio vulgo (*escardas*) vel (*almeirão frances.*) Commendatur eximie 7. local. & apud Tral. & Auic. ad hepar deobstruendum cap. de obstructione hepatis, magis quidem ad calidum, sed etiam ad frigidum non solum temperamento, sed proprietate scilicet medicamenti. Vt autem alimentum frequentius potest sumi à nobis, quam à priscis, quibus ratio repastinandi nostri temporis, incognita erat.

Lupus verò salictarius, apud Plinium lib. 21. cap. 15. est depurans excrementa cordis melancholica, vulgo (*luparos.*) Oxalis (*azedas*) vulgo acetosa nimium alit, facit ad extinguendum sanguinis feruorem, & ad calidas obstructiones. Corruda vel asparagus regius (*espargo*) asseruntur temperati 6. simp. apud Aët. tamen & Isaç sunt calidi in 1. Isac asserit eos plurimum

rimum alere, quod explicandum eſt ex . alíment. plus alere culiculis aliorum olerum, ventriculo commodos eſſe ſcribitur 2. aliment. 59. & apud Iſac. Verum apud Auic. & 3. alim. & Dioſc. videtur ſoluendum, vt de capparibus, vtiles enim ſunt in impuro ſtomacho, lædunt purũ. Cur autem trahãt vrinam fætidam. Ioachinus ait in quæſtione. Quia cum valde diuretici ſint, maxime prouocant per vrinam ſicut raphanus eructationes fætidas.

Crethmum vocant, fæniculum marinum *vnha dagoa*, vel greda marina *ſalſa do mar* vulgo cretamus marinus, ſimile facultate capparibus, ſed magis abſtergit, & ſiccat, magiſque mouet vrinam, & menſes.

Sexta propoſitio: calida olera ſatiua ſunt, borrago, beta, braſica, paſtinaca, radix cinerea, rapum, allium, cæpe, porrum.

Borrago quaſi corago dicta eſt, extollitur vehementer ad roborandum, & purgandum cor lib. de medicinis cord. & 2. 3. in dicta facultate tamen & forma, ſpecies eſt bugloſi, non quod multi putant eſſe ipſum bugloſum.

Beta duplex eſt, vulgo cicla (*celga*) altera nigra, & ſubobſcura adſtringentior, altera alba id eſt pallida, tenuat modico calore, & ſalſugine deobſtruit naturalia 2. aliment. Quare vſus illius in acutis morbis commodior eſt, turbat autem ventriculum, ob contrariam facultatem juris, & corporis, niſi ſumatur bis cocta, vel ſaltem valde ſufficienter 3. aliment. 15.

Dubitat Galenus de ſylueſtri beta, num reperiatur 2. aliment. cum reperiatur beta frequens ſylueſtris non diſtans ſpecie à ſatiua, & rurſus duæ aliæ ſpecies diſtantes, rhumex, & limonium.

Braſica alia capitata, vt hyemalis, vel Hiſpana (*murciana*) Alia æſtiua tronchuda; melior & minus acris eſt capitata, apud Iſac & alios, licet vtraque ſit acris, mali ſucci, ſtomacho infeſta, & valde ſiccans 2. aliment. quare in æſtate non conuenit juxta adagium (*Se queres ver teu marido morto, dalhe couues em Agoſto*) emendatur tamen valde pingui carne 2. canonis; aſsiduatio

duatio autem ejus 7. 4. tract. 2. cap. 7. efficit pulchram faciem quia defert sanguinem ad cutem. Diosc. commendat eam in sicutientibus., cum tamen scribatur 2. aliment. eam visui officere. Ruellius de natura stirpium cap. proprio putat ambos Auctores pugnare. Verum lens & brasica in natura temperata hebetant visum immodice siccando. Vbi autem visus offenditur, ex immodica caliditate conferunt, quomodo conciliandi sunt. Cur autem præassumpta prohibeat crapulam dixit 1. prob. 17. eo quod habet succum laxantem, qui vini vapores partim per ventrem, partim per vesicam trahit, corpus autem brasicæ in ventriculo manens, sua adstrictione prohibet euaporationem.

Pastinaca annumeratur raphanis, & rapis, sed à raphanis distat, quia succo non constat ita reprobo lib. de euchymia 8. A rapis verò, quod pastinaca succum gignit medium tenuis, & crassi, Rapa verò crassissimum.

Radix vel raphanus 8. simp. calidus est in 3. Quare Auicenæ statuenti calidum esse in 1. semen verò in 3. standum non est, licet semen sit fortissimum, deinde verò radix, tandem folia cum caule, quæ sunt melior plantæ pars, juxta adagium. (*Do rabão as folhas, & do amig as obras.*) Mali succi est, difficulter coquitur. Quod ergo quidam sumunt in cæna coctionis promouendæ gratiâ. Galenus 2. aliment & Haly non credũt. Auicena tamen 2. can. 10. ait folia promouere coctionem, & radicem parte sua tenui, licet parte lignosa non coquatur. Cum Galeno verò 2. aliment. 31. videtur asserendum, quod si talia sumuntur copiose ad alendum, incoctilia sunt, si verò parum vice medicamenti, juuant coctionem augendo calorem proportionalem innato ventriculi calori, malum autem succum ejus ostendit putridus ructus, apud Isac, Alexand. verò 4. problemat. 42. ait non esse fætorem illum raphani, sed putrentis pituitæ in ventriculo contentæ, alioqui oportebat in omnibus idem accidere, contra experimentum. Vere tamen in succo proprio etiam causa adest, indicio quod extra. Præterea infusum fætet.

Num

Num autem in 1. an in postrema mensa sit sumendus. Variant Auctores, Diosc. Auic. Isac Ras. Oribas. à cibo inquiunt, vt pondere suo deprimat alimentum, non ante, ne flatu eleuet.

Contra Galenus, Paul. Aët. præcipientes vt initio sumatur dejectionis gratiâ; si verò vẽtriculus flatulentus est, in quo timetur cibi eleuatio, satius est ab eo abstinere. Diosc. ait eam esse ventriculo noxiam. Aët. verò & Oribas. lib. 3. cap. 19. numerant inter stomatica. Videtur quod præsente humore multo in ventriculo flatus excitatus lædit, cum verò abest iuuat.

Cinara, *cardo*, qui ante culturam scolymus dicitur, & pluris quam conueniat æstimatur 2. aliment. 50. constat enim succo bilioso, carne verò melancholica, magnifice tamen roborat ventriculum, apud Aët. & Oribas. lib. 3. 19. Nam 2. aliment. 10. aculeata omnia roborant ventriculum, & stomatica sunt, quia aculei attestantur adstrictioni terreæ roboranti vẽtriculum. Quam sententiam Paulus durius interpretatur lib. 3. 74. asserens aculeata omnia stomatica esse præter cinaram quæ vitiosi succi est. Nec enim obstat alimentum esse vitiosi succi, simul & stomaticum. Nec dissimilem facultatem habet cardus, pinca *(alcasus.)*

Rapa capite rotundo sunt, napus oblongo, crassi succi vsque adeo, vt victui attenuanti aduersissima censuerit, lib. de attenuante 9. maxime si non bis cocta fuerint, & crebro sumantur. Quod ergo Haly dixit inesse illis vim tenuantem, & vrinam prouocantem valde obscura credenda est. Nec pugnat quod Gasius miratur Ras. 4. aphor. cõmendans alimentum ejus cũ Galeno 3. aliment. scribente aceruare humorem crudum, vtrumque enim Galeni est, nam inter radices non est mali succi, maxime prius cocta, post elixa cum vacina pingui.

Citra dictas verò coctiones, vsque adeo aceruare pituitam vt lib. de attenuante 40. ad vsum raporum retulerit augmentum pituitæ per hyemem. Valde autem alit inter radices, verbum autem *(vlla)* 2. aliment. in ablatiuo legi debet, mirum si

vlla congenerum plantarum minus nutrit.

Allia, cepæ, porrum subsimilia sunt, omnia valde biliosa, & cacochymica, vnde apud Raſ. 1. aphor. 32. qui ab illis abstinuerit noxam prauorum ſuccorum euadet, ſolum autem opem ferunt in crudis coquendis raro ſumpta in natura non biliosa 2. aliment. vltim. Vbi tamen exacte concoquuntur, vel aſſantur, amittunt ſucci malitiam, & aliquid alunt cum antea nihil alerent. Quod ergo Raſ. 3. aliment. 18. cepas gignere pituitam in ventriculo, vel intelligatur propter vapores aſcendentes, & inducentes catharrum, vnde parantur lethargo, licet quia ſtimulantes ventriculum cogunt alimenta exire ante coctionem.

Quod item dixit Isac cocta plurimum alere, intelligatur collatione tantum ad cruda. Num autem ſint ſiticuloſa, flatus gignentia, & capitis grauitatem & libidinem. Dic: ſimpliciter ſcribitur 4. acut. 99. & Dioſc. & Plin. Contra 12. therap. vlt. ſcribitur allia non omnino inferre ſitim, & omnium alimentorum flatus maxime expertia eſſe. Quidam explicant priores ſententias de crudo, poſteriores de cocto; ſed Galenus vniuerſaliter pronuntiat. Videtur ſatius ex eodem 4. acut. citat. variari effectum propter naturam ſumentis. Nam in plethorico, & cacochimico inflat, & ſitim inducit, in puro autem corpore diſsipat flatus, & aufert ſitim & libidinem. Cur autem cruda flere faciant, ſiue manſa, ſiue odorata? Dic: lachrimæ prodeunt quandoque ex concuſsione moliſsimi, & humidiſsimi cerebri, vt in cachynno. Secundo, ex triſtitia, conante cerebro expellere noxam, ſicut membrum dolens ſanguinem 3. meth. initio. Tertiò, ex conſecutione optati, ſiue quia diſtenditur cerebrum præ gaudio, ſiue quia condolemus nobis, merito tranſacti deſiderij. Quartò, ex frigiditate contrahente, quomodo flante aquilone diſtillat cerebrum per oculos, & nares. Quinto, ex fumo vel acri olerum vapore, lædente ſua acrimonia.

Cur autem magis lædantur oculi, cauſæ ſunt acrimoniæ ſen-

ſentiendi in oculo, & quia pars eſt molliſsima, & cute denudata. Cur autem perpeſſis fumum, aëris dolor, & lachrima ſentitur in oculis dormituri. Cauſa eſt, quia frigiditas ſomni, & tenebrarum exprimit acrem fumum in cerebro retentum ad oculos, qui cum magis valeant ſenſu, ex acrimonia dolent, cũ cerebrum obtuſo ſenſu non doleret.

CAPVT XXXXIX.

De Fluxu in particulari.

ADuerte primò: lienteriæ curandæ præcepta. Primùm, ſi cauſa eſt vlcus, curandum abſterſione ex mulſa ſumpta, aut deorſum pro varietate loci vlcerati, poſt cujus dejectionem confeſtim ſumatur rhab. ʒ. ij. ſyrupi roſ. ℥. ij. aquæ plantaginis ℥. iij. poſtremo hora prima ante quamuis cibationem ſumatur puluis conſolidans, vel ſolus, vel cum ſacharo roſato.

Secundum: ſi cauſa eſt copia pituitæ in ventriculo, vomitu, & ſeceſſu inaniatur. Si verò quod frequens eſt, cauſa fuerit catharrus non ſinens morari alimentum in ventriculo, primò catharrus cohibendus eſt, mox ventriculus purgandus. Tertiò ventriculus adſtringendus ſimul, & caput purgandum ſuffitu ex thure, & maſtiche.

Aduerte ſecundò: in curanda diarrhea, vltra vniuerſalia præcepta memorandum eſt, commodiſſime in antiqua trahi humorem ad cutem frictionibus totius, & cucurbitis viſcerum, & ſpatularum, & balneis breuiſſimis, ſed multum ſudorem prolicientibus.

Aduerte tertiò: curandæ diſſenteriæ præcepta. Primùm, ſi ſanguis aliunde communicatur citra læſionem inteſtinorum, ſubueniendum eſt primogenui affectui, ſcilicet ſi cauſa eſt abundantia ſanguinis, permittatur exire; ſi verò cauſa eſt praua ſanguificatio, hepar roboretur, quandocunque verò ex-

cesserit fluxus ex vniuersali capite prohibeatur.

Secundùm: si jungitur vlcus intestini vltra intentionem, ad mandans gratia recipientis, exigitur etiam phlebotomia, & purgationes iteratæ permixtæ adstrictioni, quæ respiciant cacochymiam, & membrum tam mundans, quam suscipiens.

Num autem ante purgationem conueniant adstringentia, & incrassantia, videtur difficile, opponitur Hippocrates 2. aphor. 9. Dic: ex parte meatuum, & humorum purgandorum semper conuenit attenuatio. Verum ex parte materiæ purgantis, quando humor peccat per tenuitatem, aliquanta incrassatio, quia facit ad coctionem humoris, benefacit naturæ purgaturæ, multo magis in morbis defluxionis, quales sunt catharrus, artritis, fluxus ventris, intendimus enim in talibus non simpliciter purgare, sed simul cum adstrictione; post purgationem autem vlcus abstergendum est, & confestim consolidandum juxta varietatem loci, & humoris.

Aduerte quartò: tenesmi præcepta. Primum, si causa est vlcus recti intestini abstergatur, juxta varietatem malitiæ humoris, & confestim sicut in vlcere intestinorum consolidetur.

Secundum: si pendet à flatu, vel humore imbibitis, abstergentia sanant, habita ratione temperaturæ humoris. Sint autem clysteres non vltra ℥. xv. clechynia verò septem digitis longa, sed tenuia, & intincta violaceo tepido, ne exasperetur intestinum crassitie, vel siccitate ejus, ita vt incitetur ad dejectionem.

Remedia.

PRimum: in lyenteria à pituita, oximel, & si oportet schylinum, cum pauca aqua mentæ, purgatio cum elephanginis, vomitus autem roboretur cum diagaloriga, si causa est vlcus, continuetur succus plantaginis cum bollo armeno.

Secundum: in dysenteria intestinali, sufficienter primo abstergendum est; abstergens lene, ptysanæ ℥. xv. rosacei ℥. iij.

adipis ſeu ſepi caprini ℥. ij. Si verò jungitur multus calor addatur ſucci plantaginis ℥. ij. ſi vlcus profundum eſt, cum minori calore ſubſtituatur pro roſaceo, & adipe, mellis roſati ℥. ij. ſi ſanioſum eſt manans pus fætidum, paretur abſtergens ex ptyſanæ ℥. x. aquæ oliuarum conditarum, mellis roſati aña ℥. ij. Validius eſt ex ſola conditura oliuarum cum melle roſato. In errodente autem vlcere, quod indicat ſanguis per interualla exiens, paretur clyſter ex ſucci plantaginis ℥. xij. ceruſæ, tutiæ, aña ʒ. ij. Validius eſt ſi in ſucco ebullierit aluminis ℥. ß. ad quartanæ conſumptionem. Poſt abſtergentia ſequatur conſolidatio per clyſteres reſtrictiuos recipientes trochiſcorum de charabe ʒ. iij. potetur item bis in die ſucci plantaginis ℥. j. cum bolli armeni ʒ. j. In frigido verò vlcere puluis, recipiat bolli, thuris, maſtichis aña ℈. j.

Tertium: in teneſmo ex vlcere ſimilis paretur curatio, tantum ſint clyſteres minores, & collyria tenuiora. Si verò cauſa eſt humor imbibitus, abſtergentia ſanant. Clyſter in bilioſa paretur ex ptyſana violaceo, luteis, ſacharo, caſſ. in pituitoſa verò cum decocto furfuris, ſeſamino, & melle collato. Validior, autem euadit permixta conditura oliuarum. Item collyria thuris, croci, ſanguinis draconis, gumi, aña ʒ. j. cum adipe renum caprarum. Validior eſt, ſi recipiat opij ʒ. ß. vel ex his cum albumine fiat lenimentum, & cotus intinctus imponatur. Parentur verò ad dolorem ſedandum ſaculi veſicæ, fomenta, ſeſſiones ex roſis, myrto, fænu græco, verbaſeo.

De Fructibus.

ADuerte quintò. Propoſitio prima: de natura fructuum. Fructus apud Theophraſt. 3. de plantis, & 2. alim. in initio, eſt id quod conſtat ex carne & ſemine. Editur autem ſolum ſemen, quandoque totus fructus; ſuntque duplices, quidã fugaces, vel præcoces, vel tempeſtiui, vel horarij, qui in horas, id eſt in canicularibus diebus maturantur, nec fere ſeruantur.

Alij opaci, id eſt autumnales, vel conditanei, qui per autumnum ſumuntur, & ſeruari queunt, & ſumi, vt vua, ficus, poma. Ex ijs nullus fere eſt boni ſucci omnino, fugaces autem omnino ſunt mali. Quod ſi in ventriculo corrumpantur, parum abſunt à veneno. Quare à frugi homine nunquam recipiendi ſunt, niſi parum, in prima menſa fatigato, & æſtuanti; verum continens etiam tunc abſtinebit contentus lactuca, & aphrogalata (*requeijão*) de euchymia 14. & 2. aliment. 20. licet exercitio multa eorum noxa prohibeatur 3. 1. doctrina 2. cap. 7. & vltimo. Si ergo conjectatur vtilitas temperandi major, quam noxia cacochymiæ, commodè parce ſumentur, vnde apparet in prandio magis tolerari, quam in cæna, ob majorem æſtum, vnde videtur traxiſſe originem, quod vulgo opinatur, ad cænam aurantia, & melones noxia ſunt.

Num autem pueros magis lædant, & in tempore omni, in autumno, & num tardent ſenectam, quod quidam inquiũt. Dic de 1. 6. coll. 6. caueri pueros à fructibus. Vnde quidam colligunt plus lædi pueros. Sed oppoſitum monſtrat experientia, & ratio, quia ſerum fructuum magis diſſipatur à valido calore puerorum, & à perpetuo exercitio eorum, & ob ſimilitudinem in humiditate temperamenti minus offenduntur. Quare Auer. prohibuit fructus in pueris edacibus, tanquam frequens peccatum, non tanquam grauius.

De 2. 4. aliment. 46. cauetur in autumno vſus fructuum. Vnde eliciunt tunc plus lædere, ſed non videtur, quia autumnus non eſt obnoxius putredini, quæ ex fructibus timetur, & humectant temporis ariditatem. Quare ideo prohibuit, quia tunc plurimum abundant, vel prohibuit frigidos humidos, vt melones, & perſica, quæ tunc deficiente calore temporis citra vtilitatem lædunt.

De 3. dixit Hippocrates ſenectam retardare. Primò, per calida, & humida oppoſita temperamento ſenum. Secundò, per roborantia calorem innatum deficientem. Tertiò, per irrorationem membrorum balneis, & frictionibus. Quartò, per

exſic-

exſiccantia humiditatem aqueam efficientem rugas, vt triphera. Quintò, per reprimentia diſſolutionem humidi à calido refrigerando, vt fructus & aqua 1. cant. 131.

Secunda propoſitio: de modo ſumendi fructus, fugaces non ſumendi ſunt ſine pane, ſicut & reliqua praua edulia 4. açut. 93. maturiſsima enim & ſimul cum cibis ſumpta minus nocent, de euchymia, & de aliment. citat. Præterea non ſumantur à jejuno, lib. de affect. ad fin. tunc enim quidquid ſumitur magis juuat, aut offendit, partim quia trahitur à corpore inanito, partim quia communicatur integrum non alteratum ab alimentis.

Præterea requiritur, vt integre maturentur in arbore ſua, alioquin gignunt ſuccum tenuiſſimum, craſſiſsimum, & gelidum, quod de noſtratibus pomis dixit 2. aliment. 20. Cur autem paleæ maturent fructus? Dixit 12. problem. 13. quia in paleis eſt calor ſufficiens præcoquere immatura, citra putrefactionem, & trahere ſimul vaporem aliquem incipientem putrere, in quo non ſignificat, quod Conciliator dubitat calorem palearum eſſe eximium, nam calidiora forte putrefacient fructus.

Num autem ſicut immaturi reprobantur, ita excedentes maturitatem, quod in carnibus, & piſcibus accidit? Dic: quandò fructibus per immodicam maturitatem vermes innaſcuntur, & rumpuntur, ceu veñena fugiendi ſunt, minimum enim quod ab eis accidit eſt lethalis febris, apud Raſ. 2. aphor. 5. non enim ſequitur, niſi ad putredinem; putredo autem in prauo alimento deletheria eſt, quod apparet in moris, & melonibus, & pomis excedentibus maturitatem, imò & ex ficubus, licet meliores fructus ſint hiante apice; quoſdam mortuos memorat Tornamira, & apud nos quoſdam ex ſenibus.

Præterea ſumantur fructus actu refrigerati, nam aliter amittunt vtilitatem illam refrigerandi æſtuantes. Qua de cauſa lib. de euchymia citat. 13. refrigerandi gratiâ jubet præſumi ficus refrigeratos, quamuis propria çaleant, vel quia viſcerum

interna

interna tantum superficies actu calet, quæ actuali frigore emendatur, vnde obtinuit vsus, vt fructus aqua macerati sumantur. & judicentur pessimi meridiani calentes. Nam tales statim ebulliunt non solum intra corpus, sed etiam extra.

Tertia propositio: de tempore sumendi fructus. Quidam eorum lubrici sunt coctu faciles, & sic corruptu. Alij verò solidi. Priores oportet præcedere cibum, reliquos verò subsequi. Addit Ras. 4. Almans. 4. & Galenus 2. aliment. de prunis, lenientia melius sumi aliquanto tempore ante cibum, supra potato dulci quopiam, quia ita vis lubrica impermixta cibo magis operatur.

Nec illud obuiat Hippocrati præcipienti, vt sumatur fructus cum cibo, propter paucam moram interpositam, solidos verò fructus volunt sumi paulo post cibum, non statim, ea ratione, quia statim sumpti cogunt exire alimentum à ventriculo ante integram coctionem, & quia cum citius aqua conficiantur sumpta aliquot horis à cibo, simul cum alimento præcoquuntur.

Sed est & alius vsus horum solidorum fructuum, vt tollant nauseam, ex carnium pinguedine, & detrudant alimentum ad fundum ventriculi. Quare si parce sumuntur, possunt in 2. mensa sumi.

Num autem adstringentes fructus in secunda mensa soluant. Discrepant 3. aliment. 20. & 2. can. cap. de citoneis, & pyris, post cibum soluunt ex 2. aliment. 22. Verum ita videtur distinguendum, si præsumptum alimentum est lubricum, si ventriculus debilis, si adstringens fructus, copiosus egregie soluit, in contrarijs verò statibus adstringit.

Quarta propositio: de partibus fructuum. Incoctiles partes præstat omitti, vt semina vniuersa, & cortices vuarum, ficuum, pyrorum, malorum 2. aliment. De vuis excipiendum est, quia vtilitas descensus esset major, quam noxa ex impedita coctione, quomodo in pinguissimis, vt in sesamis peiora sunt decorticata, ex Isac in particularibus, & aliquando præcipit

cipit Tralianus, vt mandantur, acini vuarum non integre degluttiantur.

Quinta propositio, num super fructus sit bibendum lis est: Aristoteles lib. 21. problemat. 8. affirmat ea ratione, quod bulliunt in ventriculo, quare præstat extinguere feruorem eorum, ne putreant, vel refrigeratione aquæ, quomodo cõmendatur ad eandem retentionem potus frigidæ in casu, vel majore calore vini, sicut flama minor à majori extinguitur. Præterea lib. de affect. ad fin. cujusuis alimenti malitiam, ait vino emendari, & Galenus 4. acut. 115. speciatim, item 3. diet. laudat post ficus vinum purum.

Contra scribitur 3. 1. doctrina 2. cap. 8. Dic: concurrit ex aduerso penetratio vini differentis malum alimentum ad corpus; & emendatio cacochymiæ simul cum sedatione, vel emendatione ebullitionis, videnturque posteriores causæ præstare.

Sed quid bibendum est, quantum, & quale. Dic: in calido ventriculo aqua, & super fructus calidos; vinum in frigido, & supra frigidos. Addit Concil. differentia 122. quod peculiariter ficus, & vuæ exigunt aquam; argumento quod si extra infunduntur, vino indurantur, & quod ex supra potato vino quidam perierunt, alij pessime habuerunt, est autem magis necessarium vinum potens, quando alimenti malitia periculosa, & vt in peponibus, vel coctio difficilis, vt in anguilla, lampetra, caseo, vel cum multa est alimenti humiditas, vel frigiditas, aut flatus, vt in fungis, persicis, & pyris. Quo circa apud Diosc. & Galenum horum omnium theriaca vinum est; & vulgo supra crudum purum, pessimum &c. Quantum autem & quale? Dic: cum cessatio feruoris, & emendatio cacochymiæ emendetur ex pauco, citra noxam distributionis dictam, præstat vinum esse paucum. In quo non sunt audiendi Salernitani bibuli sequentes gustum maxime in musto. Quomodo scribunt, adde potum pyro, sine vino sunt pyra virus, & vulgo scribitur (*sobre peras vinho bebas, & o vinho seja tanto, &c.*) & rursus:

Caſeus, anguilla nimis obſunt ſi comedantur,
Ni tu ſæpe bibas, & rebibendo bibas.
Perſica cum muſtò vobis damus ordine iuſto,
Eſt caro porcina, ſine vino, peior ouilla.
Si tribuas vina tunc eſt cibus, & medicina,
Singula poſt oua pocula ſume noua.

Sexta propoſitio: num conueniant febrientibus. Dic: in ratione alimenti, ſunt ſanis noxij fructus fugaces, ita vt nunquam ægrotauerit Galenus, quandiu ab illis abſtinuit, quomodo non magis lædent febrientes. In ratione medicamenti, multi ex illis conueniunt, ſcilicet adſtringentes in ventris affectibus requirentibus robur. Acidi in feruore ebullientis ſanguinis, perfrigidi verò in valido calore, apud Galenum 1. ad Glauc. de tertiana, & apud Tralianum cap. de tertiana exquiſita de phrenitide, & cauſa laudantur pepones, & duracina. Citra has tamen neceſſitates rejicit 1. acut. 18. vniuerſaliter acida febrientibus, etiam oximel, eo quod exaſperat. Quod videtur contrarium 4. ſimp. 7. aſſerente acidum æquabiliter penetrare, ideo non exaſperare, abſolute tamen exaſperant. Adde quod acida ſicca, & in corpore puro cohibentur 2. aliment. de pomis. Quare medulla aurantij non eſt frequentanda in febribus, adſtringentes verò demittantur, quoniam pugnant duobus ſcopis generaliſſimis putridarum, ſcilicet de-obſtruendi, & vacuandi excrementa, quare cum punica omnia adſtringant, non eſt tutus eorum vſus in febribus 7. ſimp. cap. de rhab. Vnctuoſi autem fructus, ob inflamationem, duritiem, & calorem, ſolæ amigdalæ admittuntur in febribus, non biliosis, ſed prius macerentur in calida, vel inter coquendum ſpuma auferatur.

De Fructibus primæ menſæ.

SEptima propoſitio: fructus primæ menſæ ſumendi, ob lubricitatem, vel facilem corruptionem, vel pungentem acrimoniam,

moniam ita locantur, ficus, vuæ, cucurbita, mora, pruna, ziziпha, cerasa; persica, pepones, vnedo, cappares, oliuæ. Primus locus præstatur ficubus, si non morantur in ventriculo, id quod si fiat, non solum recentes, sed etiam caricæ scabiem, & pediculos creant, quod argumentum est, apud Galenum alicujus cacochymiæ. Verum Auicena magis refert ad proprietatem ficuum mandantem sanguinem ad cutim, quo circa etiam Diosc. laudauit ad eos quos longa ægritudo decolorauit, & vulgo decoctum eorum exhibetur prouocandis exanthematis puerorum. Inter eos autem dixit Hippocrates 2. diet. pessimi sunt præcoces (*lampos.*) Optimi postremi (*reualdios*) videtur causa, quia præcoces minimum caloris experti plus excrementi habent, coctionis autem minimum. Postremi è conuerso. præstantissimæ sunt caricæ, cum juglandibus, amigdalis, aniso ad deobstruendum, & vt veneno resistant lib. de euchymia de fructibus (*queijo de figos.*) Quod ergo 2. continent. reprobantur propter lactis venenum, locum habet in immaturis, in reliquis autem residua vis lactis benefacit extergendis renibus, & vesicæ, sunt autem æstuosi, apud Hippocratem diet. 2. quare biliosis jam induxit hecticam ingens copia caricarum experimento pueri, apud Sauanarolam. Admonet autem, vt inter digitos modice atterantur ante esum, credentes sic reddi suauiores, & ventri salubriores. Causa est 2. problem. 23. quia sic vndique irrigantur dulci succo, vsque adeo autem attenuant, vt rami ficulnei, cum carne bubula velociorem faciant coctionem. Quod Auic. dure interpretatus est. Tacuinus ait: substantia incrassant, qualitate tenuant. Recentes verò ficus in medio sunt incrassantes, & attenuantes lib. de attenuante 10. Auic. ait coricas abscindere sitim ex phlegmate salso, & excitare sitim, vt intelligatur ex Diosc. simpliciter esse siticulosas, auferre tamen sitim ex pituita salsa, sicut anisum. Ventriculo verò minus noxiæ sunt caricæ, quam recentes. Verum vtræque incommodant ventriculo laxantes ipsum, quod Diosc. dixit noxias defluxionibus in ventriculo. Galenus ergo

2. aliment. de melopeponibus, dicens autumnales fructus esse stomaticos, fugaces verò cacostomaticos, intelligatur facta cõparatione ad fugaces, non simpliciter, & quod Auic. dixit mirabiles esse, cum jejunium adest, explicandum est ex Galeno, non esse sumenda post alia alimenta, ne in ventriculo corrumpantur. Cur verò tam molles fructus dentibus noxij sint, explicauit Aristoteles 21. probl. in fin.

Sequitur vua secundo loco numerata supra, juxta vniuersalem numerationem, & explicationem, si non corrumpuntur, nam si accidit ambos fructus corrumpi, multo minus noxæ ex vuis est propter remedium. Est autem melior, apud Auic. alba. Galenus 2. aliment. probat eas quæ teguntur tenui cortice, & minoribus acinis constant, & multa carne quas vocat generosas, alunt enim magis, & minus subducunt, quam quæ constant pauca carne, & multo succo. Quas verò vocant duracinas, paucum succum gignunt, quales sunt (*ferrais, mouriscas, d'Alicante.*) Constant vuæ, scopo (*engaço*) & acino (*bag.*) Rursum acini partibus quatuor constant, folliculo, vel cortice, vel membranoso tegumento, vel vinaceis, & seminibus, quæ 6. simp. appellat gaguta, vel semina vuæ. Tertiò, carne calente. Quartò, succo inflante. Aristoteles 20. problem. 24. dixit vuis, palmulis, myrtis, quandiu acini praui sunt, aut paruos, aut nullos esse nucleos. Cum verò adoluerint grandescere, eo quod animata non fundunt semen, nisi postquam adoluerint, quod apparet in filice, scolopendria, & phylitide. Nec hæc sententia Aristotelis obuiat Galeno præferenti acinos minorum nucleorum, quia nuclei parui ex ætate non præferuntur, sed qui parui sunt ex specie fructus, est autem aliquid discriminis, dum Hippocrates diet. 2. præcipit vt cum nucleis sumantur, & ab eo Plinius lib. 23. cap. 1. Isac verò non solum semina, sed etiam cortices sumi jubet. Contra docente Galeno 2. aliment. & Haly 5. theor. 19. & si generaliter loquuntur, magis recipiendi sunt posteriores, quia alimenta cõmodè emendantur per contraria condimenta, non per condimenta insupera-

perabilia naturæ, qualia sunt cortices, & grana. Quod item de cacochymia lib. 8. dixit vuas, nihil habere culpabile, subaudiẽdum est momentaneo, siquidem caricæ licet meliores nõ omnino probi sunt succi. Emendantur autem valde vuæ pensione, & si per vnum tantũ diem pendeant, apud Auic. meliores sunt si diutius pependerint, modo non aruerint apud Diosc. Dixit autem Galenus 2. alim. 9. appensas nec ventrem cohibere, nec appetentiam, quæ intelligenda sunt, non momentanee efficere, quod operantur illæ, quia in vinaceis seruantur. Nã apud Diosc. omnis appensio ciet appetentiam. Sauanarola putat pẽsiles ante cibum sumendas esse, recentes autem post, ne flatu impediant coctionem, quod refellendum videtur, nam lubrificantia anteponenda sunt, maxime illa, quæ per moram valde lædunt, qualis vua est 2. alim. 9. pensilis autem, quia ex Galen. citat. ventrem non mouet, nec facile corrumpitur, potest etiã postponi. Passularum verò temperamẽtum 2. alim. 10. in acerbis inclinat ad frigidum; in dulcibus ad calidum, leniuntque morsus, 3. verò alim. 20. sunt temperatæ, & 14. 3. 21. passulæ sub acidæ conceduntur in intemperie calida hepatis. Verum Serapio statuit eas vniuersaliter calidas, siccas in 1. Vulgo autem creduntur adurere sanguinem, vnde Hippocrates in febre eò nomine eas prohibet; & Azara in pract. tract. 16. cap. 5. numerat inter biliosa, quod magis recipiendum est, quam quod scribit lib. de affect. in fine esse pituitosas, videtur enim ibi Auctor in multis edulijs vti verbo (*phlegmatica*) pro biliosa, vsu quorundam priscorum, & quod Galenus dixit, sanare eas morsus, intelligatur non frigore, sed abstersione quadam, cum æqualitate temperamenti. In electione autem 2. alim. non est faciendum judicium ex colore. Verum Isac in particularibus dixit albam esse frigidiorem, & minus adstringentem. Quare Plinius lib. 23. cap. 1. elegit albam ad thoracis vitia. Quod ergo legitur apud Diosc. lib. 5. cap. 1. albam magis adstringere, videtur accidisse vitio librarij, licet hic asseratur à Serapione, & Auicena.

Cum autem judicium ex colore sumatur à dictis Auctoribus in vuis, & ficubus, intelligendum est Galenum voluisse potissimum judicium alimenti ex gustu faciendum esse, minus ex colore, ex modo substantiæ, & cortice. Antiquis præferebantur corinthiacæ nobis (*assarias*) partim ob plantæ nobilitatem; partim quia sole siccantur. Nam vulgares, plenis calathis imittuntur in aquam ebullientem, cum fæniculo, frustibus alliorum, sacharo, oleo & melle, vnde extractæ in silice amplo siccantur. Legitur item 2. aliment. austeræ adstringunt ventrem, & adhuc magis acerbæ; dulces verò medium obtinent quodammodo in ipsis locum, emendandum est, mediam quodammodo in ipsis dispositionem efficiunt, sentit enim passulas dulces, non roborare ventriculum, nec supinum reddere ventrem, non laxare, nec retinere, quod de totis intelligẽdum est. Nam dulces exacinatæ initio mensæ soluunt, maxime supra potato vino dulci 2. diet. & 5. theor. 19. licet Arundella neget in epistola. Nam Isac dixit esse incommodam naturalibus neruis obstructis, etiam si sine nucleis sumantur. Verum 3. aliment. scribitur obstructiones, vt dactilos non efficere, & vulgo omnia dulcia obstruunt præter sacharum, & passulas.

Dic: passulæ cum sint præditæ vi abstergente, leuibus obstructionibus conferunt. In magna verò obstructione, ob imbecillitatem abstergendi non proderunt, & ob dulcedinem augebunt obstructionem, vsque adeo autem sunt amicæ hepati, quod Tralian. lib. 3. cap. 15. appellat peculiare hepatis alimentum, & vehementer extollit Galenus 2. local. 7. ita vt sola sæpe sanauerit dyssenteriam hepaticam experiente Sauanarola, & Auic. 16. 3. tract. 2. cap. 1.

Cucurbita laudatur inter fugaces, sed ab Arabibus prohibetur obnoxijs colicæ. Cucurbita verò indica (*abobara de Calecut*) multo frigidior, & horridior est vulgari.

Sequuntur mora apud Galenum, scilicet si opportune sumantur, non corrumpuntur, nam si vitiantur multo deterius reli-

reliquis fugacibus corrumpuntur. Quare ſolis horis matutinis in ventriculo mundo conueniunt. Mora autem Celſi, vel ſicamina *(de moreira)* citiſsime per aluum deſcendunt, cum tamen habeant permixtam vim adſtringentem, itaque vel credit Galenus citat. deſcendere propter ſolam lubricitatem, vel quod magis videtur propter permixtam vim ſoluentem. Quod Auic. praue interpretatur dicens id accidere à mordaci earum acredine.

Batina verò vel rubi mora *(amoras de ſilua)* magis adſtringunt, ſed cephalalgiam mouent, quare abiuenda eſſe volunt.

Sequuntur prunæ, in quo genere præferuntur Damaſcenæ, & creduntur *(çaragoçanas)* præferuntur autem in bonitate ſucci. Nam minus reliquis ſuccis laxant, apud Galenum, & Dioſc. Quare corruptæ vulgares deſcriptiones ſoluentium præcipiunt pruna Damaſcena. Secundus locus datur Hiſpanis Auic. verò cum Iſac præferunt nigra, nobis optima ſunt nigra dicta *(reinoes)* de natura, alibi *(d'Alanquer,* vel *carnecouta.)* Secunda laus *(reinoes de cal)* exactiſsime maturas laxant enim magis virentia ſiccis 7. ſimp. Nam præter alia fere non ſiccantur, niſi *reinoes de cal*, quæ cum adſtringunt, etiam poſt exactam maturitatem, & aſſeruationem retinent aliquid maturitatis, inſtar aliorum fructuum adſtringentium. Tacuinus ait pruna ſicca faſtidium inducere, ſunt autem ad ſoluendum leniter tantum coquenda, partim quia ſoluentia leniendo non iuuantur coctione, apud Meſ. in vniuerſalibus cap. de coctione, partim quia vniuerſorum coctorum jus recipit vim quandam, coctum amittit 3. aliment. 32.

Ceresa apud Iſac ſequuntur judicium prunorum, ſed ſatis comparantur moris, nam cereſa omnia participant adſtrictione 2. aliment. inter quæ dulcia *(doçares)* inſenſibilem habent adſtrictionem, & catharroſa ſunt. Alia meliora ſunt majora, & duriora *(bicais)* adſtrictione, & acore manifeſte participantia. Tertiana acore multo manifeſtiore innocentiſsima *(ginjas.)* Quartana adſtrictione, & ſiccitate manifeſtiore dicta

(de

(*de saco*) hæc postrema ventrem retinent, & à cibo sumenda sunt, & Diosc. & Galeno 7. simp. de siliquijs. Quod ergo scribunt Salernitani. Ceresa si comedas tibi confert grandia bona, & de carne sua, sanguis erit tibi bonus, immodice dictum est. Quod item 7. simp. scribitur acida conferre ventriculo pituitoso, explicandum est ex 2. aliment. 21. Quod si in ventriculo continetur humor crassus, non perfrigidus, acida conferunt, si verò perfrigidus est conferunt acria.

Sequitur zizipha, id est serica, barbaris jujubæ (*maçans de nafega*, vel *de paraizo*) licet mala paradysiana alia sint apud Latinos. Reprobantur autem ziziphæ 2. aliment. tanquam inutilia, verum Arabibus extolluntur merito ad adstringendum sanguinis feruorem, & sanguinem incrassandum, potissimum thoraci conducentes.

Persica quandoque sunt ad species multas genus, quandoque distinguntur, ceu species à præcocibus, & Armeniacis. Ergo præcocia, vel bericoca (*albicorques*) sunt. Armeniaca verò nostri (*mira olhos*, vel *damascos*, vel *fruta noua*) laudantur autem hæc postrema, ob suauitatem, viles habentur (*mollares*) licet 5. theor. 19. & apud Tacuinum de Persicis facilius coquuntur, & descendant à ventriculo duracinis, licet reprobi succi sint magis. Duracina autem laudauit Tralian. cap. de diaria ex cruditate, tanquam ægre corruptibilia, & calidis ventriculis accomoda. Inter duracina autem proferuntur lutei, pilosi, rotundi, vulgo (*maracotoens*) quasi mala cotonia, quia creduntur orti ex insertione Persici in cotoneum. Nec dissimiles sunt vulgares (*romanos*) lutei, pilosi, oblongi, & *de ferreira*, cætera similes, sed depiles vulgo (*caluos*) vniuersaliter autem succus Persicorum prauus est, inducens febres prolixas, & difficiles 22. cont. & 2. Almans. 20. indicium est, quod cultello scinduntur, paulo post odorata fœtent. Frustra autem quidam putant Persicum esse Perseam, lethalem arborem, cum Galenus de vtraque agat tanquam sibi notis.

Pepones immaturi numerantur cum melopeponibus, &

cucumeribus. Nec facile est hujusmodi fructus distinguere. Taçuinus opinatur melonem dulcem nostratem calidum esse, & Galeno ignotum. Verum cum de cucumeribus constet esse (*cogombros*) & de citrulis (*pipinos*) quasi citrinis, eo quod per maturitatem flauescant, videntur particulari nomine pepones esse (*pipinos*) melopepones (*meloens.*) Quod autem 2. aliment 5. Galenus ait in peponibus non mandi semen cũ carne, sed in melopeponibus, videtur inuersum errore librarij, vt conueniat secum in pr...cipio capitis. Vniuersum hoc genus prauum est, vt etiam melones à quibusdam valde reprobantur, argumento quod radicem habeant paruissimam, quod celerrime crescant, quod in terra jaceant immoti, quod ab aëre citissime mutentur, quod relicti paruissimo spatio putreant, & re vera hæc genera videntur inter fugaces insalubria esse, & si morantur in ventriculo deletherеè corrumpuntur lib. de euchym. 8. licet in lib. de affect. in fin. alimentum eorum malum non sit. Verum inter ea ob suauitatem, & odorem etiam Galeno præferuntur melones, vel tempore tantum calidissimo, & hoc jejuno, supra potato pauco vino albo meraciori, ad emendationem intemperamenti, & augmentum facultatis diureticæ. Præterea Traliano summopere cõmendatur in tertiana pura, & reliquis morbis exquisite biliosis duabus horis ante accessionem copiosus pepo, aut *melão.*

Cur autem commendentur melones graues, rugosi, quorum pediculi odorati sunt, & lenti, sectionesque latiores. Causa est quia rugæ significant siccitatem emendantem magnam eorum humiditatem, ideo in terra sicca meliores sunt, quam in irriguis. Graues probantur ob plurimas partes terreas, & ob coctionem; odor autem pediculi, & lentor significant coctionis probitatem. Nec secus ex magnis segmentis significatur siccitas, sunt autem meliores pepones, & fabæ minores, videlicet quia pepones increscentes longe facilius corrumpuntur, quod indicat prauus odor eorum. Licet autem melo sit humidior pepone magis tolerat maturitatem, quia cute tegitur duriore.

Fabæ verò minores præferuntur,quia facilius coctiles ſunt,indurantur enim poſtquam adoleuerunt. Quod ergo 2.aliment. traditur pro nota bonitatis fructuum ſumma maturitas, intelligatur, vt plurimum. Nam citruli, fabæ, amigdala, nux, olera omnia, & arborum germina meliora ſunt immatura, & quod per maturitatem indurantur,& adhuc immaturæ habent calorem ſufficientem ad ſui coctionem.

Vnedo fructus eſt arbuti (*medronheiro*) vel erundo, apud Plinium lib.15. 24. Nomen vnedonis habet ab argumento, vnum tantum edendi, noxius eſt capiti, & ventriculo, vulgo commendatur aduerſus peſtem, tam fructus melle conditus, quam aqua ſtillatitia foliorum: 6. ſimp. appellatur epimolis arbor ejus. Cæterum non ſunt admittendi Ruel & Math. opinantes arbutum eſſe, apud Dioſc. & Galenum comarum, cujus fructus eſt memycilon, fructus eſt acerbus,qui nunquam dulceſcit,& eſt genus glandis deterius quercina 2. aliment. 38. Nec conuenit noſtro arbuto deſcriptio comari, apud Dioſc.

Cappares vtiliſsimæ ſunt viſceribus induratis, & ventriculo pituitoſo ſumptæ in initio cum oxeleo, & ſacharo, vel magis cum oximellite. Quod ergo Dioſcor. inquit nocere ventriculo, explicetur ex 23. continent. de non conditis, vel etiam ventriculo puro, quem lædunt ſuo morſu. Iſac aſſerit eas in ratione alendi praui ſucci, & bilioſi, vt aliquid addantur, oportet vt concoquantur, aut ſaltem poſt longam macerationem, exactiſsime abluantur, apud Dioſc. & Galenum.

Oliuarum verò quædam ſunt drupæ (*cortidas*, vel *retalhadas.*) Aliæ colymbades (*de conſerua*) tertianæ lacentinæ mediæ ex matureſcente oliua. Vertuntur autem ex Tacuino in humorem ſui coloris drupæ melancholicæ ſubducentes, colymbades bilioſæ, & adſtringentes. Sunt autem apud Iſac colymbades in medio cibi aſſumendæ, & ſunt frigidæ, apud Galenum tamen præponuntur cibarijs, quia cum garro aſſumebantur

bantur

bantur, esse autem frigidas durum est, cum pisces saliti 2. c.n. reddantur çalidi sicci, & colymbades augent bilem. Nec ser us durum est, quod scribit Auic. de cap. particularibus salitis conferre asthmati; forte legendum est non salitas.

De Fructibus 2. mensæ.

OCtaua propositio: fructus secundæ mensæ sunt punica, poma, pyra, cotonea mirta, sorba, nespilla, castanea, juglans, auelana, nux Indica, citrum, glandes, tubera, fungi, strobili, dactili, melongina, cerebrum palmæ.

Punica: alia dulcia sunt, alia acida, dulcia verò temperata, ita vt incommodent febribus acutis 2. continent. Quare si conceduntur 1. 4. in tertiana notha intelligenda sunt permixta, adstringunt autem omnia, ita vt eo nomine interdicantur in phlegmone Ieçoris 13. therap. 13. & in pleuriti, apud Tralianum.

Verum apud Auic. dulcia soluunt, & cõmendantur pleureticis, maxime apud Mesues, syrupus ex succo ejus, monstrat autem experientia totum punicum etiam dulce, cum acinis adstringere lib. de affect. in fine, & obesse pleureticis, licet solus succus cum sacharo soluat, & pleureticis juuet.

Nec sequitur: punica soluunt comprimendo, cum acinis magis soluunt, nam sicut mirabolani licet comprimendo soluant, tosti tamen non soluunt, quia vis solutoria consistit in parte calida, ex qua trahunt certum humorem, juuatur autem ea actio compresione boni succi, dixit etiam Diosc. & Auicena 2. 1. citat. quibus magis standum est, quam Aetio lib. 2.

Sunt autem cõmodiora ventriculo nauseanti, quam reliqui adstringentes fructus 2. alim. Videtur quod in illis est simplex adstrictio magis prohibens vomitum, sed in punico permixta vis abstersoria potenter deturbat bilem à ventriculo.

Diosc. dixit acida peculiariter conuenire æstuanti ventriculo, verum apud Raſ. 4. aphor. 39. & 2. can. acida punica, & omnia acida à proprietate lædunt ventriculum, quare in inflammato ventriculo dulco-acida præstant in temperato dulcia, in frigido autem in totum interdicantur, suspecta enim sunt propter flatum, nisi illota sumantur, & aniso permixta. Cur autem infestant linguam, & labia, oculos verò reddunt nitidiſsimos. Dic: causam esse tenuitatem liquoris tepidi permixti adstrictoriæ facultati 9. simp. cap. 17. Quod apparet in punicis & cinera, *cardo*, & cortice in glandis, & moris.

Nec obstat quod scribitur oportere adstrictionem permixtam esse remissam, quia id exigitur ad humorem, quem ibi quærit, verum ad infectionem benefacit adstrictio valida permixto succo penetrante, quod obseruant tinctores, & attramentarij, siue quod Galenus ait, quia sequens adstrictio prohibet exitum tinguentis liquoris præcedentis, siue quod magis videtur consentire experimento, in quo præcedit adstringens, quia siccitas præcedens facit, vt liquor tingens valde fugatur à materia præexsiccata.

Quod autem ea infectio sit manifestior in lingua, in labris, in linteis, causa est innanitas facile ebibentium, nam in cornea propter sui densitatem liquor penetrat solas sordes, non corneam, quare redduntur oculi splendidiores, & nitidiores. Quod si Aristoteles 3. problem. 21. vocat corneam raram, intellexit peruiam speciebus externis. Cur autem mora virentia tollant infectionem maturarum, non est causa major absterſio viridium, ea enim requirit majorem calorem, sed quia ob similitudinem jungitur priori succo, & quia ob defectum caloris, & coctionis minus lentus est, quia succus maturarum reddit totum liquidius, quare defluit, sicut digiti illiti emplastris, aut resinis vnctione olei absterguntur, nō aquæ, vel quia cera gūmæ, vel resinæ cum oleo coeunt, non cum aqua. Potest causa addi ex Plin. lib. 15. cap. 24. quod succi mori trinicolores sunt, primus candidus, mox ruber, 3. niger.

Poma

Poma (*maçans*) licet Latinis Maciana sint species quædam illorum à Maciano medico dicta , vnde maciaton vngentum, & macij panes, si Hermolao creditur, roborant dulcia odore suo cor, & ventriculum, reliqua magis esu. Celsus autem lib. 2. cap. 20. & 21. recenset dulcia inter euchymia alimenta; acida verò & acerba inter cacochymica, Auicena 2. 1. de regimine ejus, quod comeditur, & bibitur.

Generosa autem dulcia (*camoezas* , *pero de rey de Alcobaça*) & quæ Diosc. vocat melionela , à celeritate nascendi, *anãas*, quas tamen profitetur esse difficilis coctionis, videtur quod non diu experta sunt Solem, sicus inter ficus (*lampos*) Auer. inquit 5. collect. poma gignere flatus in 2. & 3. coctione , ita vt parent ad ptysim , qua de causa cõmode intinguntur in aniso confecto, vel assantur cum frustis cinamomi, vel gariophilorum infixis, aut etiam ea cauata immittuntur puluerata: Tralianus tamen ad hecticos comendat.

Pyra omnia adstringunt & magis sicca, maxime de (*bagim*) inde *codornos*, *pardas*, *carualhais*, *de conforto*, minus *botelhas* , & *doçares*. Succus eorum præfertur pomis , apud Auic. & Isac. Quare videtur immoderatior, quod 1. 4. 21. scribitur gignere humorem prauum, quem natura abhorret , sicut & quod scribitur 2. diet. Dura ventrem sistere, matura mouere, nam etiam matura opportune exhibita sistunt, à proprietate autem tollũt sitim 5. collect. 8. autem simp. ascribitur ea vis non proprietati, sed partibus pyri aqueis, vnde videtur originẽ traxisse. (*Se soubera o villão, como sabe queijo, perą, & pão, venderia o gabão*) quia videlicet siticulosa vis casei reficitur vi pyri reprimente sitim; lædunt autẽ pyra intestina, ita vt frequẽtata, maxime jejunis inducant colicam, apud Auic. Diosc. & Isac propter flatum crassum. Quare meliora euadunt si coquuntur additis sacharo, cinamomo, & aniso. Immoderatius tamen videtur dictum Salernitanorum. Si coquas antydotum pyra sunt , sed cruda venenum.

Cotonea græcis cydonia , contra distinguntur struteis;

ſunt autem ſtrutea (*marmelos babaros*) cotonea (*galegos*) vtendum eſt magis cotoneis, quam ſtruteis, cum quæritur adſtrictio major, vel etiam ablato meditulio, infurta maſtice aſſantur, nam diacitonium minus adſtringit, maximè ſi conſtruitur ex præcoctis ſtruteis, & adhuc magis ſi recipit ſuccum. Quomodo autem cotonea, & punica apud Auctores prouocent vrinam, & quomodo apud Dioſc. ſuccus citoneorum conferat aſthmaticis, & empiematicis, & cur vulgo profertur (*da cidra a ponta, do marmelo o pé.*

Dic: de 1. Auicena videtur ſignificare fieri id per accidens ex ventris conſtrictione, ſed ſequitur vt omnia adſtringentia prouocent vrinam, cum tamen in diſtillatione vrinæ vtantur adſtringentibus. Quare videtur ſatius aſſerere partes aliquot tenues calidas eſſe, quæ tranſeuntes ad vreteras id efficiunt, forte etiam juuat adſtrictio ſicut in his quæ ſoluunt, ſemper ſolutio eſt à calido, licet juuetur adſtrictione. De ſecundo: adſtrictio cotonei juuat ad impediendam defluxionem aſthmaticorum, abſterſio autem expurgat.

Ad tertium omnium adſtringentium molliſsimum, & ſuauiſsimum prope nucleos, & ad pediculos eſt, ſicut caro juxta oſſa in animalibus, in reliquis maturatio incipit à ſupremo, potiſsimum in citro, pomo grandi, & denſo quod tarde matureſcit, myrta plus cotoneis adſtringunt, cotonia pyris, pyra plus quam punica, punica plus pomis, ſicut validius myrtis adſtringunt ſorbæ, validiſsime neſpillæ. De quibus corrupte citant ex Auicena inducere cephalalgiam, cum Auicena id referat de epimeride, quam vocat telleſsinum.

Cur autem neſpilla abundet nucleis & multis, & cur cum ſit frigida, ſicca tamen citiſsime putret. Hiſpanus ait plurimum oſiis habet, ob duritiem plantæ, diuiſi autem nuclei, quia ſiccitas ſeparat, cito verò putret ob raritatẽ ſubſtantiæ, ſatius tamen videtur dicere, quia tota ejus caro juxta oſſa eſt, caro autem juxta oſſa çitiſſime putret. Adde quod neſpillæ

læ colliguntur immaturæ, quare propter paucum innatum calorem, humiditas enim euicta cito occupatur extraneo calore.

Sequuntur genera nucum: Iuglans, nux, amigdala, vel nux græca (*amendoas*) nux Pontica, vel auellana (*auellans*) nux Indica (*coco.*) Omnia lignosa, & oleosa, ideo difficilis coctionis, biliosis intensa, & cephalalgiam mouentia, maximè quidem Indica, inde auellana, inde juglans, postremo amigdalæ. Temperamentum amigdalarum, & auellanarum leuiter inclinat ad calidum, juglandium vero calidum in 3. apud Auicen. sed magis asserendum est in 2. cum Serapione. Vnde colligitur commode sumi nuces post vuas vel pisces, Salernitani:

Sumere sic mos est nuces sociando racemos,
Et post pisces nuces.

Et: *Vnica nux prodest, nocet altera, tertia mors est.*

Primam intelligunt myristicam (*nos moscada.*) Secundam juglandem. Tertiam balistam. Colligitur item biliosis febribus lac amigdalarum incommodare, mirum autem est Tralianum id concedere in lethargo, cum aperte somnum inducat.

Quod autem de euchymia 14. scribit juglandes præferri amigdalis, intelligunt particulatim ad anthidoti mitridati confectionem, non in communi ratione alendi.

Num autem hujusmodi fructus sthomatici sint, Orib. Paul. Aët. numerant inter sthomaticos, & 2. aliment. de nucibus, juglandes dixit esse gratiores ventriculo *auelans*. Verum Isac, Auicena, & Dioscorides numerant ea sthomaticis propter pinguedinem, & duritiem.

Dic: amigdalæ cum cortice roborant ventriculum, virides scilicet apud Diosc. reliqua calidos ventriculos lædunt, frigidas juuant, & magis amigdalæ Indæ. Iuglandes (*auelans*) nimium. Videtur item Auic. confundere amigdalas cum auelanis. Nam 14. 3. 20. & 21. super omnia extollit auelanas ad hepar obstructum, cum tamen auelana nihil habeat

deob-

deobstruens 2. can. imò aperte lædunt hepar, apud Raſ. 4. aphor. 40. amigdalæ verò commendantur ſummopere hepati propter vim deobſtruentem, non modo amaræ, ſed & dulces apud Dioſc. Galenum, & Auic. Item Auicena cap. 6. de auelana dixit eam augere cerebri ſubſtãtiam ex Hippocrate, quod reliqui omnes de amigdalis citant, videtur cauſa euaporatio multa, & familiaris amigdalarum, quare inducunt ſuauem ſomnum.

Non eſt etiam contrarium, quod apud Auctores juglans, & auellana cephalalgica ſunt, & tamen à Dioſc. commendantur ad antiquos catharros, quia nihil pugnat aliquid per ſe lædere, quod conditum juuat, juſculum ex medulla panis, ſacharo, pipere, & depilis auelanis.

Nux autem Indica cenſetur non praui ſucci, maxime pituitoſis cum melle, ſed auferendus eſt cortex ejus incoctilis, apud Auic. Cur ſomnus ſub nucibus cephalalgiam inducit. Hiſpanus ait, defatigati agitatis humoribus frequenter decumbunt ſub nuce, ob ingentem vmbram, quare denſatis poris humores agitati caput petunt. Alia cauſa eſt grauitas nucum, ſicut grauiores, & magis cephalalgici ſunt ficus; florentem verò vineam ſerpentes fugiunt.

Citrum, vel citreum pomum, vel pomum citrinum, vel malus medica à regione (*cidra*) cujus ſpecies ſunt aurentia vulgo citrangula (*laranjas*) & flos ejus napha, & limones diuiſi in limas minores rotundas, & limones oblongos majores, ſingula horum in triplici differentia, acida, dulcia, vinoſa; rariſsima eſt apud priſcos mentio. Nam teſte Plinio lib. 12. cap. 3. ſolum citri pomum afferebatur in Italiam ad medicamenta, vnde Virg. in Georg. deſcribit incognitam ſibi arborem, permiſcens partim notas citri, partim aurantij. Quod ipſum Ruel. fecerunt, & Plinius in hebeno lib. 2. cap. 4. Temperamentum corticis citri temperatum eſt, vel parum infra, & tamen acris ſcribitur lib. de attenuante 10. in fine, & 2. aliment. 37. roborat ventriculum. Paulus item cap. de malo medico aſſerit eſſe

açrem

acrem cum Aëtio, & gustu. Auicena verò cap. de citro calidum in primo statuit. Quare in Galeno forte legendum est, supra, pro infra. Sicut in glycerisa caro ipsius frigida est pituitoso, & Galeno, & Paulo, & Serapioni tollens calorem vētriculi. Quod ergo Auicena asserit calidam in 1. non videtur recipiendum subdit Auicena, frigiditas tamen ejus major est, subaudi humiditas ne secum pugnet, semen ejus calidum est, & siccum in 2.

Quod ergo 2. can. asseritur calidum in 1. non est ex toto recipiendum, & multo minus, quod lib. de medicinis cordialibus asserit esse frigidum in 2. quia amaror, & Galenus calidum in 2. indicant. Nec potest Manardus soluere quasi Auicena agat de acido, qui ibidem asserit Auicena semen confortare, ob soliditatem quam præbet spiritui. Acidum verò ejus frigidum, siccum in 3. 7. simp. citat. quare non standum Sauanarolæ asserenti frigidum, & humidum in practica nam nisi siccaret non roboraret ventriculum, nec cohiberet bilem, quod videmus in phlebotomatis. Videtur autem acor aurantij crassior, & minus frigidus, ideo bibi patitur. In limonibus verò, & citro tenuior, & frigidior, ita vt in aurantijs succus sit frigidus siccus in 2. limonum verò & citri in 3. licet Musa in syrup. cum agit de syrupo ex acido citri, inter hæc sola postrema agnoscit differentiam, cum tamen inter hæc duo parum intersit. Ideo ad pisces assos, vel frictos, expetitur liquor aurantij, ad aues autem assas limonum, quia densitas carnium, & sapor obtusior requirit intinctum acutiorem, & tenuiorem, ideo & aurantia minus patiuntur exprimi quam limones, quia succus crassescit per expressionem simul, & amarescit, per expressionem membranarum. Vnde vulgo, *da laranja o que quizer, &c.* Videtur etiam contradictio dum Serap. & Auicena commendant citra ceu prohibentia vomitum & fluxum. Diosc. ait aluum subducere. Diosc. intelligendus est de semine solo, quod & Auicena fatetur. Vniuersa autem quæ dicta sunt etiam apud Auic. meliora euadent si condiantur sacharo, vel

melle, eo quod mollescunt, inter quæ minimum calefacit caro citri condita (*diacidrão*) magis cortex conditus (*casquinha*) magis toti limones, vel tota aurantia parua condita, aut etiam flores aurantij conditi, & ad huc magis caro aurantij (*laranjada*) quia cum melle conditur, & magis nuces virides conditæ.

Glandiferarum autem arborum triplex genus asseritur lib. de euchym. 14. Quorum omnium fructus glans dicitur *castanheiros* ferunt glandes, *castanhas*, *asinheiras*, ferunt oblongas glandes, vocatur acylus (*bol tas de porco*) quas ferunt *carualhos*, *souaros*, *& carrascos*, inter quæ solæ castaneæ probi succi sunt. Nam ex omnibus syluestribus arboribus solæ castaneæ laudabiles sunt lib. de euchym. 5. Licet locus corrupte legatur 2. acut. aliment. 38. boni & plurimi alimenti esse, ita vt cũ furmentaceis certent. Quod ergo lib. de euchym. citato dixit seruandum esse in illis modum ne lædant, & lib. de attenuante 10. nullo artificio emendari posse quin prauæ sint, intelligendum est in victu attenuante propter crassitiem succi earum, & flatuum, & alui retentionem. Temperatura autem earum, apud Auer. frigida est, 5. coll. apud Haly 5. theor. temperata, apud Auic. & Isac calida quæ varietas parua est, crudæ repudiandæ sunt lib. de atten. 10.

Num autem elixæ præferantur assis. Hispanus negat, quia in flatuosis per assationem multo magis remouentur flatus, per coctionem siccitas. Cum ergo castaneæ plus lædant flatu quam siccitate, merito præferuntur assæ, adde majorem suauitatem assarum. Inter elixas autem decorticatæ præstant, plus enim ita remouentur flatus ex 1. aliment. cap. de leguminibus, & quia ita horridior sapor corticis non communicatur carni, commendanda tamen sunt duo. Alterum vt calidi intingant illas in sacharo, frigidi verò in melle, sic enim cõmendantur Diosc. pariter & emolliunt. Alterum vt assentur in furno, non in vase præparato, memorat enim Gasius sensisse se ex talibus spirationis angustiam periculosam, cujus cau-

sam

ſam refert ad prauam carbonum qualitatem. Verum cum fumus carbonum etiam reliquis aſsis communiçetur, & magis carni carente membranoſo tegumento, videtur certior cauſa, inæqualitas aſſaturæ talium, propter quam flatus extruſus à parte cocta retinetur in cruda, qui quandoque obſepiens meatus anguſtat reſpirationem. Is enim flatus cauſa eſt, vt inter aſſandum deſiliant, & quia ob craſsitiem caſtanearum deſcendere per inteſtina non poteſt, partim quia aſcendit ad caput, inducitque cephalalgiam, partim retinetur in ventriculo, & aceſcit. Cur autem in glandibus potus ſuauiſsimus; dixit Ariſtoteles 22. probl.12. eo quod exſiccata lingua ab acerbis potum dulcem ebibit, vel quia dulcis ſapor aquæ contrarius eſt acerbo. Quare juxta contrarium magis eluceſcit.

Stroboli, vel grana pini majora ad differentiam minorum qui leguntur ex piceis *(de pinheiros brauos)* appellantur 7. ſimp. fructus boni & craſſi ſucci, ſimilis dactilis, ſed melior, mordens tamen ventriculum, & pectus niſi præmacerentur in calida. Immoderatius tamen ſcribitur 13. 3. 36. ex alimentis eſſe maxime noxia ventriculo. Proprietate autem, apud Raſ. 4. aphor. 42. expellunt prauam humiditatem, augent autem naturalem.

Dactili, vel fænicobolani, glandes palmæ ſimiles ſunt ſtrobolis, & caricis. Verum multo craſſioris ſucci, quare inducunt cephalalgiam, & hæmorrhoidas, cerebrum verò palmæ, *palmitos*, humilis plantæ roborat ventriculum, medium attenuantis, & incraſſantis lib. de attenuante 40.

Tubera judicantur media ſtirpis, & terræ ſicut affixa terræ, apud Ariſtotelem ita appellantur, quia media animalis, & plantæ juxta herbam reperiuntur Athæneo hydno. Phylo lib. 2. cap.32. vulgo herba, *tubareira*, gignunt ſuccum craſſiuſculum, ſubfrigidum, ſed non malum, ſimilem amylo, & cucurbitæ 2. aliment.68. & lib de euchym.7. ideo cum aromatibus condit. Raſ. tamen 3. aliment. cap. de radicibus, & 23. continent. & Auic. 2. can. proprio vehementer vituperat ea, eo

Oo ij quod

quod confundunt tubera cum fungis male.

Cur autem post tonitrua plurimum legantur: Plutharcus in naturalibus quæst. dixit ex quibusdam, quæ ante tonitrua præerant sub terra, sed hyescente terra propter vim tonitrui (sicut vina turbantur) extra prodeunt; apud alios verò causa est quia aqua tonitrui fæcundissima germinat. Martialis:

Facient tonitrua cænas.
Rumpimus altricem tenero de vertice terram
Tubera bolètis poma fæcunda sumus.

Sed oportet vt non imponantur nobis fungi quidam qui intra terram oriuntur, tanquam pro tuberibus, sed cognoscuntur ex multa mollitie, & raritate si franguntur. Cur autem nix superposita tuberibus liquescit; causa est quibusdam calor tuberũ. Verior tamen causa quia sorbitur à terra.

Fungi frigidissimo, & crassissimo constant succo, & gignunt admodum prauum, fereque incocti dejiciuntur 7. aliment. 69. & de euchym. 7. & apud Diosc. ex quibus timetur apoplexia, perfocatio, & stranguria, à quibus malis, nec omnino tuti sunt boleti, qui soli ex fungis edibiles sunt, vulgo *tortulhos*. Nam aliqui letales sunt, *tortulhos de cagado*, dignoscuntur quia lethalibus supereminet lenta humiditas, & fracti statim putrent, boleti verò albi sunt dehiscentes cum primum è terra emergunt, nam antequam dehiscant, vtrique vocantur, *cocumelos*, coquendi autem sunt, apud Serap. 342. cum vino, & supra potandum merum, nam vtrumque illorum anthidotum est fungorum. De suauitate autem illorum scribit Martialis. Argentum atque aurum facilè est tanquam, lanam mittere; boletos mittere difficile. Argumenta autem sunt malitia eorum, primum citissime adolescunt, quæ celeritas indicat, vel summũ calorem, & plurimum, vel summum frigus 5. collat. 30. Secundum, quia fere prodeunt ad radices arborum, & prauarum vnde sugunt residuum alimenti pessimum. Tertium, ob summam laxitatem imbibunt vapores quosuis putrentes, & vrinam serpentum, & alliciunt ferrugi-

nem

nem metalli si prope est, accessus autem serpentum omnem stirpem prauam reddere dixit Hippocrates in epist. ad cratenam. Quartum, quia noctu & post tonitrua magis crescunt, quæ duo indicant putredinem.

Melongena, mala insana dicuntur, eo quod amplitudinem habent citra suauitatem, valde enim crescunt, fructus est inditus priscis, nam praue quidam referunt ad mandragoram, cum & effigies sit dissimilis, & temperies quæ in his calida est & sicca in secundo. Incolumior est aliquanto sumpta cum aceto, quam cum melle 2. can. Verum perpetuo inducit melancholiam, & hæmorrhoidas, solus Auerr. 5. collat. 4. excipit eas, si cum carne pingui coquantur credit emendari propter contrarij permixtionem, partim propter multam earum suauitatem.

CAPVT L.

De Hæmorrhoidibus.

Incipit, Cum sanguis, &c.

ADuerte primò: curandarum hæmorrhoidum præcepta. Primum, ex Auicena cap. proprio, si non vrgent aut dolore, aut inflamatione, satius est omittere, nam curatio non caret in totum periculo, si verò alterutrum dictorum adest, varie subueniendum est. Nam vel cæcæ sunt, nec fluere assuetæ, vel cæcæ sunt, sed assuetæ fluere, vel immodice fluunt.

Secundum, si cæcæ sunt, nec fluere assuetæ, conandum est eas siccare, nisi natura fuerit valde melancholica, vel æger patiatur melancholiam 4. aphor. 25. Causa Galeni ibi quia vbi semel assueuerunt vtramque immoderantiam periculosam habent, siue nihil, siue plurimum fluant. Paratur autem exsiccatio primo anodinis, fomentis & vnctionibus, si oportet opiatis, deinde sectione basilicæ, purgatione cacochymiæ, exsic-

cantibus intro extraque ſumptis quibus, cum non perficitur aperiendæ ſunt.

Tertium, ſi cæcæ ſunt, ſed fluere aſſuetæ prouocetur fluxio. Prouocatur autem ſectione cephalicæ internæ, & intus ſumpta apperientia, ſanguinem fluxilem reddentia citra exſiccationem. Præterea balnea ex emollientibus, & emplaſtrum ex fæce, item frictio prolixa cum folio ficus, vel parietariæ. Si verò hæmorrhoides occultæ ſint, ſupponatur acre colyrium, & dolori ſubueniatur cum cotto imbuto roſaceo. Poſtremo aperiantur ſanguiſuga, quæ per horas quatuor contineatur in munda aqua, & in cannula imponatur hæmorrhoidi, vncto prius loco ſanguine pulli, cumque intendimus caſum illarum inſpergatur, aut ſale aut cinere, poſſũtque alia ſubſtitui, ex apertione autem cum phlebotomo quandoque ſecuta eſt fiſtula.

Quartum, vbi fluxus ſuperfluit omni ingenio cohibendus eſt, victu ſcilicet adſtringente, phlebotomijs baſilicæ parcis, & remedis hæmoptoicorum intro, & extra adſtringentibus, ſed cauendum eſt à validis quomodocumque mordentibus, & ſi adſtringunt 9. local. 6. ob eximium loci ſenſum. Quare metallica lota laudantur, ſicuti in affectibus oculorum.

Remedia.

PRimum ſedantia dolorem. Foliorum cynogloſæ, maluæ, fænu græci, in decocto pannus laneus imbutus ſæpe applicetur, & ſuffiatur, & ſaculus ex fæce imponatur, vel melilotum valde coctum teratur cum luteo, farina, fænu græci, & oleo perſicorum: in valido autem dolore diachylonis ℥. j. roſacei ß. ℥. luteum j. croci opij aña ℈. j. Vel foliorum maluæ partes duas, foliorum hyoſciami partem vnam inuoluta ſtupa madefacta aſſentur, & cum luteo, roſaceo, & croco trito impone. Validius opij gran. vj. roſacei ℥. ß. cotus imbutus imponatur.

Secundum exſiccantia: radix de ſouna, vel *herua das almorreimas*,

reimas, siue cum decocto lauentur, siue suspendantur, siccant enim eas, vel antimonium cum succo verbasci in coto impositum, vel fiant cryspellæ sumendæ quotidie jejunis per dies 9. ex radice verbasci lota, & siccata in clybano, ita vt teratur, & ex pari farina, & luteo frictis, vel filum sericum infundatur in rosacea, albumine, & opio, & cum eo fricetur radix, particulatim, abscindit enim eas sine dolore.

Tertium: prouocantia fluxum, aloes tenuissimi ʒ. j. fellis ℥. ß. aceti ℥. j. cum lanneo panno imbuto fricentur; in internis autem hæmorrhoidibus fiat suppositorium ex hyera.

Quartum: restringentia fluxum. ℞. aloes thuris, sanguinis draconis, bolli armeni, pillorum leporis tenuissime concisorum, telæ araneæ aña cum albumine. Item fomentum frequentandum. ℞. balaustiæ, rosarum, gallarum, nucum cupressi, sumac, phydiarum, myrti, acaciæ, thuris, aña bulliant in pari aqua, & vino nigro.

De Necessitate compositionis.

PRopositio prima: quidam fere reprobant vsum componendi. Qualis est Plinius lib. 24. cap. 1. & lib. 22. cap. 24. De quo ita videtur sentiendum, præstat, si fieri potest, curare magis simplici, quam composito medicamento, ita etiam suadet Scribonius Larg. in epist. & Auic. 3. can. 1. & 1. de comp. general. 5. vltra Plin. citatis.

Prima ratio: compositio medicamenti in vna intentione quandoque auget effectum intentum, quandoque minuit, ergo ita curare est committere rem fortunæ, v.g. mirabolani, & violæ ambo vacuant bilem, alterum comprimendo, alterum leniendo, si ergo accidat violas præire, impediunt se mutuo in opere.

Secunda ratio: incertum est in composito fermentato, quod operatur forma fermentationis, quandoque enim auget, quandoque minuit operationem simplicium, de quo dicebat

Aui-

Auicena citat. experimentum vincit rationem.

Tertia ratio: Galenus fere vtitur ſimplici cujus habet probatum vſum, vt pote ad cholericos flatus ſola ruta decocta 6. de locis 2. & 8. meteor, 5. Ad menſes autem ciendos puluere calamintæ de ſang. miſſ. 17. Ad præparationem autem purgandi humores ſolo decocto pulegij 1.aphor.24. in quibus caſibus ſolet miſcere ea quorum nomina nouit.

Quarta ratio : ex multis ingredientibus compoſitionem aliqua erunt ſophiſtica, quædam antiqua, quædam praua, maxime vbi ignorantia ſimplicium in medico major eſt, quam antiquitas, & negligentia in illis comparandis.

Quinta ratio: ex Obonele 5. cant. 1. compoſitio includit contrarietatem, & varietatem ad naturam, quare magis offendit, ſicut morbus compoſitus deterior eſt ſimplici.

De Syrupis tractatus.

ADuerte tertiò : de ſyrupis. Propoſitio prima : ſyrupus deducitur à ſyri, id eſt trahere, & opon id eſt ſuccum. Extrahitur enim ſuccus à radicibus, plantis, & ſeminibus ; & ſacharo vel melle permiſcetur. Antiquis parum in vſu erant, nec admodum varij, ſed ex ſolo decocto pulegij , vel origani in mulſa, ad præparationem purgandorum 1.aphor.penult. Inter ſyrupos autem noſtros quidam ſimplices ſunt, quidam compoſiti. Rurſus alij longi qui non tam prolixam cocturam ſuſceperunt; alij breues, qui per totum annum ſeruandi ſunt. Item quidam habent permixtionem multæ aquæ ſtilatitiæ ad ſedandos ardores, talia vocant zulapia, vel julepa, validiores ſunt ſyrupi qui de nouo conſtruuntur longi, eo quod non ex toto abſumptum habent decoctum, vel ſuccum permixtum. Ita validiores euadunt ſyrupi addita aromatiſatione, videlicet pro quauis lib. ſyrupi ſumatur in calidis ſandalorum alborum pulueris diamarg. aña ℥. j. In frigidis autem cinamomi , & pulueris diambræ aña ℥. j. ligata in linteo ; poſt clarificatio-

nem

nem syrupi immitantur, & cum spatula premantur, & sinantur intus manere vsque ad syrupi infrigidationem, fere autem cōmoda permixtio ad ℥. ij. syrupi aquæ ℥. iij. ne bilescat, in affectibus tamen ventriculi minuatur aqua.

Secunda propositio: frigidi syrupi sunt rosaceus, violaceus, papauerinus, endiuiæ simplicis, de endiuia Gent. de rosis siccis, citoneorum, mirtinus, de agresta, de acido citri, acetosus, oxisachara, sequenti ordine, rosaceus, & violaceus imbecilles sunt, & cordiales, concernuntque rosaceus magis naturalia membra. Violaceus spiritualia. De endiuia naturalia, de endiu. Gent. naturalia, sed potentius deobstruit, & roborat. Sequentes tres acetosus, oxisachara, de acido citri potentiùs extinguunt bilis feruorem, & attenuant, sed acetosus etiam remota attingit, oxisachara magis naturalia. De acido citri cordiale est reprimens prauam humorum qualitatem. Papauerinus plus infrigidat, caput & pectus, respiciens, somnum inducit, sequentes quatuor adstringunt, de rosis siccis lenius; de citoneis potentius, adhuc potentius de myrto, & benefacit pectori. De agresta verò similiter adstringit, sed reprimit vomitum, magisque respicit ventriculum.

Tertia propositio: syrupi calidi sunt, mel ros. adyantinus de glicirisa, hysopinus, de borrag. sabor, fumariæ majoris, de epythimo, de stæchade simp. schylinum, de menta, de eupatorio. Hoc ordine mel ros. leue est, caput & ventriculum respiciens, sicut adyantinum pectus. Validior est ad pectus de glycirisa, adhuc validior hysopinus. Sequentes quatuor melancholiam respiciunt, mitius quidem de borrag. validius sabor. Validius fumariæ majoris, adhuc validius de epithimo. Sequentes duo caput respiciunt, sed de stæchade simplex leue est, compositum verò validum. Sequentes quatuor vniuersales sunt ad omnes locos affectos, lenis quidem acetosus cōpositus, magis autem respiciens naturalia, & melancholiam. Bisantinus validior oximel simplex. Validissimus schylinus. Postremi duo respiciunt naturalia. De menta quidem ma-

gis ventriculum, & adstringit de eupatorio magis hepar, & deobstruit.

De Purgantium compositione.

ADuerte quartò: de purgantium compositionibus. Propositio prima: quibus conueniat purgatio docuit Paul. lib. 7. cap. 4. & 4. aphor. 17. & 20. videlicet in ægris validis, vel sanis, quibus morbus imminet, in medijs tamen ætatibus, ventriculo valido, non valde sanguinolentis, sed qui aceruant cacochymiam, qui si parum vtuntur carnibus, vino, bellarijs, quiete, delitijs, conuenit purgatio, fastiditis grauitatem in ventriculo sentientibus, mediæ habitudinis carnis: & ex lib. quos & quando, cap. 5. illis quorum ilia non tamen, nec valde inflammata sunt, quorum primum indicat humores crudos obstruentes, alterum verò immodicum feruorem hepatis. Conueniunt autem leuia purgantia in albis, & in assuetis 6. aphor. 32. Valida verò in spleneticis, in bibentibus prauas aquas, aut crassa cibaria, quales rustici sunt. Quidam autem definiunt ita dosim, vt in viris detur integra portio, in fœminis duæ tertiæ, in pueris vna tertia.

Secunda propositio: qualia pharmaca. Si adest cacochymia cum vi debili, frequenter, & parum purgentur. Si purgandus nauseam patitur prius ex oximellite decocto raphani vomat. Ob debilitatem autem virium nostrarum fere subducentibus aluum, vtendum est raro validis vomitorijs, item in dificili dosi, præstat augere dosim benedictorum medicamentorum, quam quod validissime tentetur, & magis festinanda est purgatio cum imminet periculum ex ommisso, vt in morbis ventriculi, ob corruptionem alimenti. Sumenda autem sunt valida pharmaca in viribus robustis, & in his qui non facile dejiciunt, & qui ex alijs purgantibus non integre sunt purgati.

Tertia propositio: colagoga sunt elect. de succo rof. de psylio

pſylio, rhab. caſſia tamarindi, mirabolani citrini, diaprunis ſimp. mana, aloes, ſyrup. roſarum ſuccus, & conſerua earum & magis lexanel. Pillulæ ſunt aſagaret de rhab. ſine quibus, aureæ, de hermodactilis minoris, hoc ordine, pulp. caſſ. leuiter purgat bilem & aduſtam ℥. ij. pulp. tamarind. ℥. ij. leuiter euacuat bilem, & ardorem extinguit. Mirab. citrini ℥. ij. comprimendo leuiter vacuant bilem, & adſtringunt, ſuccus roſ. & conſerua ejus ad ℥. iij. leuiter purgant bilem, & magis aquas. Diaprunis ſimp. & mana ad ℥. ij. leniendo leuiter euacuant bilem. Rhab. ad ʒ. ij. modice bilem ſoluit, minus pituitam, idque adſtringendo, & roborando, nec diſſimiliter aloes, ſed magis ſiccat, & roborat.

Electuaria verò de ſucco roſ. & de pſylio ad ʒ. ij. valida colagoga ſunt, ſed de pſylio magis reſpicit naturalia deobſtrucđo; de ſucco autem roſ. reſpicit caput, & juncturas.

Ex pillulis autem aſagaret & de rhab. ʒ. j. ß. leuiter vacuant, ſed aſagaret reſpicit caput, de rhab. autem naturalia, Modice autem colagoga ſunt, ſine quibus, & de hermodactilis minoris ʒ. j. ſed priores reſpiciunt caput, poſteriores juncturas; validæ ſunt aureæ quarum ℈. ij. caput reſpiciunt, pulvis autem colagogus eſt piperis, ameos, cumini, epithimi, diagridij aña gran. viij. camphoræ gran. ij. cum pari ſacharo.

Quarta propoſitio: phlegmagoga ſunt, catholicon, diapheni; electuarium Indum, pillulæ ſunt elephanginæ communes, maſtichinæ, lucis, aggregatiuo de agarico, cochiæ, fætidæ, hoc ordine; caſſia leniter vacuat pituitam minus quam bilem; ſemen carthami ad ℥. j. contuſum lene phlegmagogum; chebuli ad ℥. j. lene eſt phlegmagogum, & adſtringit cathol. ad ℥. j. perleue eſt phlegmagogum, & melagogum Turbith Orientale, nam noſtras etiam tapſia ad ʒ. j. modice phlegmagogum eſt, agarici ʒ. ij. reſpiciunt totum, & magis remotum. Diaphenicon modice phlegmagogum eſt ad ʒ vj. leuius colagogum, reſpicit autem naturalia, Indum ʒ. iiij. validius phlegmagogum eſt.

Ex pillulis autem communes, vel Rasis, elephanginæ, masticchinæ, & lucis, leuiter phlegmagogæ sunt ad ʒ. j. ß. sed cõmunes magis respiciunt totum, elephanginæ naturalia, similiter masticchinæ naturalia, sed plus aliquanto vacuant, & minus roborant elephanginis. Lucis autem peculiariter oculos concernunt, sequuntur de agarico, quorum ʒ. j. ß. modice vacuat & pectus respicit; aggregatiuæ autem ℈. iiij. modice phlegmagogæ, & colagogæ sunt, respiciunt totum, sed magis naturalia; validæ sunt cochiæ caput respicientes ʒ. j. validæ sunt fætidæ quorum ℈. ij. etiam à remotis phlegma trahunt. Puluis autem phlegmagogus zinziberis ʒ. ß. turbith ʒ. j. sachari ʒ. j. ß.

Quinta propositio: melagoga sunt cassia, serum, senæ, polipodium, epithimum, catholicon, diasenæ, hamech, pillulæ Indæ, fumariæ, de lapide lazuli. Videlicet seri ℥. viij. continuatis diebus leuissime vacuant adusta; cassia verò aliquanto potentius, sed magis bilem, senæ autem, & polipodium ad ℥. j. ß. lenia sunt, sed catholicon est phlegmagogum, & colagogum modicè, diasenæ autem frigidam melancholiam inanit. Ex eadem classe sunt pillulæ Indæ ad ʒ. j. ß. confectionis autem hamech, & pillulæ fumariæ, prior quidem ad ʒ. iiij. & colagoga est; posterior verò compositio fumariæ ad ʒ. j. pillulæ de lapide lazuli ad ℥. j. ß. puluis autem melagogus est, senæ, epithimi, polipodij aña ℈. j. diagridij gr. iij. zinziberis, macis, aña gr. x. sachari, vel vbi timetur tormina, salis assi ʒ. ß. in ouo sorbili, vel in jure gallinæ.

Sexta propositio: hydragoga sunt Alexandrina, & syrupus ejus, lene hydragogum, & minus colagogum est. Validum autem succi Ireos defecati ℥. ß. mulsæ ℥. j. cinamomi gran. x.



De

De Electuarijs.

ADuerte primo: de electione vocantur ita, quasi electa, seruanturque in hac forma: fructus, semina, flores. Radices cum melle, vel sacharo, quandoque operta tantum sacharo valde cocto (*confeitados*, vel *cuberto*) quando conficiuntur sacharo aliquanto minus cocto, manentque sub forma solida rotularum. Quandoque sacharum adhuc minus coquitur, & redduntur incocta ad formam opiata, vel paulo crassiorem, vt diacitonium, vel diapyrum.

Secunda propositio: cogantur pharmacopolæ indere pulueres cum mensura in electuarijs, cujus negligentia minime operantur, recipiunt autem solida sacharum duodecuplum, quare in ʒ. j. & ß. pulueris euadant electuarij solidi ℥. ij. opiata autem recipiant mel, vel sacharum quadruplum, conseruæ verò duo, dosis ergo solidi electuarij fere est ℥. ß. continens pulueris ℈. j. in validis ergo electuarijs minor quãtitas sufficit, sicut in conseruis ℥. j. propter earum lenitatem, opiata autem ℥. j. ß. idem operatur quod ex solido ℥. ß.

Tertia propositio: duratio est ad menses nouem cum sacharo, sed recipientia semina oleosa ante duos menses rancida euadunt, quod ex odore agnoscitur, videlicet diarrhodon, diamarg. diatriasand. diagargantum, diapapauer. Quare pulueres seruantur sine illius seminibus, & in tempore componendi, sacharum cum lacte seminum coquatur, & ita pulueres addantur. Possunt gratia roboris conciliandi, deaurari, & deargentari. Sumuntur ad cerebrum duabus horis à prandio, ad reliqua jejuno, & præstat vbi quæritur exsiccatio, vel mora illorum in ventriculo, vt non supra potetur.

Quarta propositio: opiata frigida sunt. Mieleta Nicolai, cujus ℥. ß. in fluxibus post euacuationem commoda sunt. Opiata verò calida, sunt Alchermes ʒ. ij. prætiosa confectio, nec valde calida; summè roborat cor, & lætificat. Dialaca

 ℥. ij.

ʒ. ij. potenter deobſtruit naturalia. Phlyris archolicon ℥. ß. eximie roborat memoriam & caput, theriaca & metridatum ʒ. j. per interualla vniuerſa membra roborat, calefacit tamen euidenter.

Quinta propoſitio: ſolida frigida ſunt, electuarium trium ſandalorum infrigidat, & roborat naturalia, & prouocat vrinam, diamargarit. verò magis roborat ſpiritualia, diarrhodon vtraque, ſed cum minori infrigidatione, pectus verò lenit diagarganton, & magis lenit, & infrigidat diapapauer. Calida verò ſunt aromaticum roſatum, roborans naturalia, & modice excalefaciens, diambra verò magis, & roborat & calefacit cor, ſicut diacyminum, naturalia. Validior omnibus anacardina, cujus tertia vna cerebrum valde frigidum vehementer excalefacit.

Sexta propoſitio: condita vel conſerua ſunt, conſerua roſarum ex ſacharo, roborat viſcera, & caput, ſiccatque excrementa. Mirabolani verò omnes conditi roborant caput & naturalia, & magis ſiccant excrementa, quam conſeruæ roſarum, conſerua violarum lenit ſpiritualia. Conditi verò fructus citoneorum, pyrorum, perſicorum habent vires ſimplicium, ſed remiſſiores.

Compoſitum autem conditum fit ex frigidis conſeruis, additis bracteis aureis (*paſtas de ouro*) puluere diamargarit. & ſi oportet etiam ſemine papaueris ʒ. j. Calida verò ſunt citra condita roborantia naturalia, & ſpiritualia, flores verò & radices bugloſi conditi ſola ſpiritualia. Calidiora ſunt conſerua roſarum ex melle, cortices citri conditi, limones conditi. Validiora ſunt & caput reſpiciunt conſerua ſtæchados, validior nux condita, validiſſimum zinziber conditum.

Septima propoſitio: confecta autem habent vires eorum quæ incruſtantur, ſed imbecilliores videlicet coriandri ad reprimendos flatus à capite, cinamomi, ad purgationem menſium, aniſi magis cymini ad flatus, agni autem ad ſeminis exſiccationem.

De

De Vnctionibus.

ADuerte de vnctionibus. Propositio prima: olea per impressionem fiant ex omphancino, aut saltem non salito, & loto; sunt autem olea per impressionem extracta fere pauci vsus, quia non fit vulgo trina permutatio, nec sequitur coctio in duplici vase, nec postremo in eo lotio sufficiens. Quare præstat vt rursus cum herbis coquantur, aut cum succo earum, non seruentur autem toto anno, sed animalia, & herbæ in oleo, putrescunt enim, vel aliquanto plusquam præcipiunt Auctores, ob negligentiam insolationis, post collata seruentur.

Secunda propositio: frigida sunt violaceum, lenit & infrigidat, adhuc magis nenupharinum, rosaceum autem infrigidat, & roborat, & nonnihil resoluit, melynum verò ceu cytoneorum, & myrtinum validius adstringit, sed myrtinum crassarum partium est quam mellinum.

Calida verò sunt camomellinum, anodinum leniter resoluens, paulo validius est anethinum, adhuc validius liliaceum, & magis laurinum, & rutaceum. Olea verò amigdalarum dulcium, & sesaminum crassius amigdalino. De semine verò lini peculiariter benefacit hæmorrhoidibus. Verum ex amigdalis amaris, & nucleis persicorum, flatus dissipantur, deobstruunt & vermes interimunt. Sequitur de mentha, & absinthinum, mastichinum, nardinum, roborantia, & coctionem promouentia. Et de mentha quidem, & mastichinum magis adstringunt, non deobstruunt, absintinum simul leniter deobstruit; nardinum potentius calefacit & resoluit, & adhuc magis ex lauandula (*de alfazema.*) Neruorum verò affectibus potissimum faciunt, de lumbricis vulpinum, de terebentina, de euphorbio; & de lumbricis quidem magis roborat, vulpinum verò magis resoluit, De terebentina verò potissimum fuscum, quod postremo distillat, magis deobstruit, va-

lidis-

lidissimum est de euphorbio. Peculiariter autem faciunt oleum de capparibus, ad antiquas obstructiones, oleum de scorpionibus, lapidi frangendo, & pesti cauendæ vnctis alis, & inginibus. Oleum verò de sulphure ad scabiem pituitosam paratur. Vnguentum ad scabiem ℞. rosacei ℥. iiij. therebentinæ, sulphuris, vini optimi aña ℥. j. bulliant ad vini consumptionem, & collentur.

Tertia propositio: vnguenta fere parum operantur ob oleorum malitiam. Quare commodè præcipitur in compositione eorum, vt olea præcoquantur cum pari succo, aut liquore, vel inter contuscendum in mortario liquor paulatim effundatur, & permisceatur ceroto. Additur ad ℥. j. olei, ceræ ʒ. iij. pulueris ʒ. j. Tempus autem vngendi naturalia peracta coctione, ne impediatur vis medicamenti à multo alimento. Item ventriculus, splen, vesica ante vnctionem præfricanda sunt, pectus autem modice, dorsum verò & hepar minime ob calorem qui timetur. Item ventriculo imponatur cottus cum commoda ligatura; lieni pannus ceruleus, dorso, & hepati folia lactucæ, aut plantaginis, vel frigidiora nympheæ. Item vnguenta resoluentia, vel emollientia magis operantur, si operiuntur multa lana succida in vino albo cocto, & multo magis si continuo iterantur.

Frigida autem vnguenta magis operantur, si operiuntur linteo perforato imbuto rosacea, vel communi frigida expressa, perpetuo autem abstergantur vnguenta post operationem cum linteo in vino albo tepido. Cicatrisantia autem reddantur à linteo, ita enim magis siccant. Sunt autem frigida vnguenta, rosatum infrigidat, & roborat, sed negligenter paratur propter inopiam succi rosarum. Sandalinum potentius infrigidat, & multo validius populeon, ita vt soporiferum sit. Cicatrisantia autem sunt album & crudum & coctum, sed magis crudum, camphoratum potentius refrigerat; sicut de tutia magis siccat, & adhuc magis calcinatum, & de minio.

Calida verò vnguenta sunt, dialthea emolliens, & dolores sedans,

sedans, remissius autem emollit æsipus, sicut plus calefacit marciaton, emundat autem apostolorum, & multo magis ægyptiacum. Si verò in ejus ℥. j. addantur arsenici sublimati gr. iiij. opij gr. j. cum minimo dolore exit, quamuis humida carne, sicut replet basilicon, & magis glutinat aureum.

Quarta propositio: emplastra ex adjunctis metallicis solidiorem consistentiam obtinent; frigida sunt diachylon minus emolliens calida, gummi autem leniter refrigerat, & cicatrisat. Spharadapum verò magis ex lythargirio, cerusa, rosaceo aceto. Calida verò sunt diachylon magnum emolliens frigida, validius est armoniacatum, valde item resoluit cum emollitione demeliloto, magis resoluit de baccis lauri, peculiariter diapalma leniter reprimit, roborat & resoluit. Oxicroceũ verò dissipat remanentes durities, roborans neruosa, sicut apostolicon chyrurgicum post consolidata conuenit. Emplastrum verò contra rupturam Guidonis, & de nido hyrundinum ejusdem, præstat quidem ruptis, posterius maturandæ, & resoluẽdæ anginæ. De compositis itaque medicamentis in vniuersali, & in particulari satis superque sit.

CAPVT LI.

De Lapide renum.

ADuerte primò: curandæ nephritidis præcepta. Primum, ad præcautionem in obnoxijs cõuenit adhibere contraria trium causarum lapidis gignendi, quæ sunt crudus humor, mora ejus in renibus, calor renum.

Obuiat primæ causæ bona coctio pauci, & probi alimenti, cum sufficienti exercitio ante cibum, & quiete integra a cibo. Pro varietate autem plenitudinis semel, aut bis in anno sumat pulpæ cass. & diaphæn. ana ℥. ß. in bolo, vel in decocto Glycirisæ, & adyanthi.

Obuiant secundæ causæ leuia diuretica vsu continuo, apud

Tralianum, & Auicenam, quod enim 10. theor. 10. prohibet diuretica affecto rene, vel vesica, agit de incipiente inflammatione, non de reliquis renum affectibus. Nec timenda est delatio incocti alimenti ad renes ex leuibus diureticis, non enim statim talia imbecilla permeant ad renes, sed paulatim fundũt sanguinem, vt facile ex sero transeunte excutiatur à renibus humor, per interualla autem quando sentitur grauitas in renibus, etiam valida diuretica cõmode interponuntur. Quod autem in continuo vsu lædant, causa est. Prima, calor eorum, apud Tralianum. Secunda, ne immodico tractu excrementorum per renes debilitentur renes, & disponantur ad fluxum, assuescit enim natura mandare eò excrementa.

Obuiat tertiæ causæ tepida aqua frequenter potata jejuno, vel julepum tepidum adyanthinum, & in potu aqua, vel vinum subfrigidum, apud Tralianum. Quod ergo 5. de sanitate 7. laudat in talibus mulsum conditum, agit dẽ senibus valde frigidis, in quibus plus operatur ex vacuatione humoris, quam noxæ ex aliquanto calore.

Secundum præceptum: præsente dolore antequam intentetur fractio lapidis, & descensus ejus, dolor sedandus est cũ ijs quæ membra molliunt, meatus laxant, flatus conuinctos dissipant, ijsque omnibus tam initio sumptis, quam clystere submissis, quam extra impositis; hujusmodi autem remedia in initio solum exercenda sunt, in processu interponenda, videlicet quia per reliqua remedia dolor acuitur. Verum ex lib. de affect. renum, non est valde immorandum talibus emolliẽtibus, eo quod robur renum à tali frequentia dissoluitur, vnde fit vt non possit expellere lapidem, & præterea non possit expellere decumbentem humorem; quare paulo redditur dolor acrior. Quod præceptum in omni fomento anodino tradit Galenus 4. local. de fomentis ophtalmiæ, & Auic. de lapide renum cap. 19. ea de causa dixit permiscendum esse anodino aliquid adstringens, qualia nardinum, vel lininum.

Phlebotomia etiam & purgatio præcipiuntur tanquam sedan-

dantia dolorem in juuenibus, & robustis 6. epid. sect. 5. & apud Paulum, & Aët. lib. 11. cap. 5. & serm. 3. cap. 5. & lib. de affect. renum cap. 4. ad fin. medium, videlicet si peccat sanguis copia, vel crassitie, aut timor securutæ inflammationis, phlebotomandum est, phlebotomat autem Galenus citat. ex crure juxta præceptum vniuersale, quia morbus est infra hepar. Ras. ad prohibendam inflammationem secat basilicam, videlicet quia cum renes ambigant 1. ad Glauc. vltimo in loco, magis conuenit initio inflammationis sectio ex cubito, posterius autem ex crure, lib. autem citat. de renum affectibus, si vis robusta est, ex crure fiat, scilicet quia potest tolerare multam sanguinis missionem, quæ sola juuat in crure secto. Si verò valida est, parum ex cubito mittatur ad reuulsionem, semper autem minus quam pro copia, sicut in reliquis affectibus, quibus jungitur dolor, aut vigilia. Purgationem autem timet Auic. quia descendere facit humores ad renes. Verum Aët. concedit vbi cacochymia in causa est, cum multa tamen majori cautione, ita vt rarissime mittatur exoluens tempore accessionis postremo phylonij Romani 3. j.

Tertium præceptum: frangentia lapidem, & diuretica per interualla sunt adhibenda, quoniam dolor remittitur, in quem vsum docet Auicena adstringi pectus, & inferiora ilia, ita vt laxentur vreteræ superiores ad lapidis exitum, frāgentia autem lapidem ex virtute 5. simp. 13. sunt in genere attenuantium, attenuantia enim cum minimo calore lapides imminuunt. Ratio 5. coll. 20. coagulata à calido sicco, soluuntur frigido humido ex 4. meteor. 6. lapides ergo cum ab acri calore concreuerint, non soluuntur à pari calore medicinarum, sed à remissiori, qui collatus illi frigidus datur.

Diuretica autem vis paulo calidior est siccitate juncta, si quidem, si idem calor humiditati jungitur, expectorat. Sunt enim tres hæ facultates substantiales. Vis autem mundificans renes, non est alia à diuretica, licet enim lectione deprauata Galeni ita crediderit Serapio, parte 1. breuiarij cap. de mun-

dificantibus, renes, ex proprietate autem, vel vi quarta nonnulla frangunt lapidem sicut quædam ex vtraque, & inter ea alia potentius, alia debilius.

Composita autem frangentia parantur ex Auicena cap. 18. ita vt basi frangenti lapidem jungantur valida prouocantia, tamen vt cito transeat frangentis vis ad lapidem, tum vt fractus lapis educatur vt piper. Alterum est lentum, morari faciens, eo quod comminutio lapidis breui fieri non potest, v. g. gummi, forte autem magis additur gummi ad præcautionem vlceris imminentis ex lapide. Tertiò, additur adstringẽs simul ad corroborandam expultricem, & prohibendum fluxum materiarum ad locum dolentem, vt cyperus. Quartò, additur stupefaciens ob doloris vehementiam, vt semen hyosciami, confidimus autem de natura, quod suo tempore vtatur dictis facultatibus, videlicet 1. diuretica deferente ad renes. Secundo, remorante simul & frangente. Tertiò, redibit ad expulsionem; toto autem tempore vtetur facultatibus stupefaciente & roborante.

Quartum præceptum: descendente lapide in vesicam cessat dolor, lapis vero quandoque ingrediens collum vrinam impedit, quo tempore æger eleuandus per crura, & concutiendus est, præcipiendumque vt cum impetu ejaculetur vrina, mittendusque est coles in hydreleum calidum, & ex eo ex alto perfundendus, potandumque validum diureticum, tandem coles parte superiori secandus est. Si verò in colo vesicæ impedit, similiter eleuandus est & concutiendus, infligendaque pectini palma, demum immittendus est juncus, aut quod præstat candella ex subdupla resina ad ceram vt catheter respondeat ætati. Si verò lapis in vesica ipsa manet, non est dissimulandum, sed validiori remedio, quam in lapide renum agendum est, & tandem secandum est, licet sit periculosissima operatio. In omni autem lapide post expulsionem, victus acuratissime obseruetur, aliter enim regeneratur ob consuetudinem, sicut & lumbrici.

Remedia.

PRimum: lenientia doloris, leuis vomitus, & dejectio ex clystere leni paruo, frequenter frictione lumborum cum amigdalino calido, butyro, & linino. Validius est addita dialthea, vel ex farina triticea cum sapa, & camomelino fiat massa inuoluto linteo imponenda. Actualis enim calor obseruandus est, vel duo sacculi furfuris in decocto camomillæ, & altheæ, & semina fænu græci lota coquantur in aqua cum butyro & melle, & per interualla frequenter sumatur decoctũ. Item balneum suauiter calens, in quo plurimum moretur, quo tempore quæ sumuntur suauiora sunt.

Secundum: frangentia & prouocantia apud Auic. & Albucasim tract. 3. & Aët. cap. 11. in tractu de lapide renum, & Plin. lib. 28. cap. 15. Sunt sanguis leporis cum pelle vsta ad ʒ. ij. vel cineris tosti oui à quo exclusus est pullus cum pari sacharo in aqua apij. Vel apud Tralianum manus diuinæ ʒ. j. sanguis hyrci ex eodem, & Auicena præparatus, syrupus adyantinus ℥. j. in decocto radicum graminis, & apij. Vel famosa auis troglodites *(carrica)* pro qua male sumebatur cauda tremula *(alueloa)* valet autem tota salita, & puluerata, vel in olla in cinerem versa. Vel cedatur assa, vel elixa, vulgare est spongiosa instar echyni innascens rubro canino. Item Iustini, vel litontrypon ʒ. j. in aqua raphani. Vel stilatitia limonum. Item decoctũ corticis radicis verbasci per dies quinque potetur, & interjectis, decem per alios quinque. Cucurbitæ itẽ applicentur paulatim descendentes, quam primum sentitur moueri lapis, ita vt spatio trium miserere mei Deus quiescat cucurbita.

CAPVT LII.

De Mensibus retentis.

Cum ex retentione, &c.

ADuerte retentionis mensium curandæ præcepta. Primùm: quod scribitur 1.acut.13. vulgare esse errorem medicorum sumere frequentia pro perpetuis, hic maximè locum habet, nam perpetuo adhibent calida sicca aperientia medici, eo quod frequens causa retentionis est frigiditas, cum crassitie humoris obstruens vasa vteri, verum accidit aliquando retentio, ob sanguinis penuriam, in inualidis, & conualescentibus solo victu resumptiuo curanda. Accidit etiam ex calore per vstionem incrassante humores, quam sanat decoctum prunorum à jejunis sumptum, refrigeratum sit cum alijs frigidis humidis.

Secundum: in causa frequenti à pituita obstruente suffitus aromatum benefacit 5. aphor. 28. ita tamen vt simul per superiora fætida adhibeantur, ex Zoar. cap. proprio. Vbi autem causa magis vrget 1. vacuandum est, post deobstruentibus agendum, ne videlicet corpore pleno deobstruentia magis obstruant, vnde cum parua phlebotomia ex saphæna sit ex deobstruentibus vasa vteri, præstat si corpus plethoricum est, vt præcedat aliquanta missio ex brachio, maximè quia origo sanguinis, & ideo frequenter etiam humoris deobstruentis in hepate est, quod memorandum est, tam in prouocandis mensibus, quam in phlegmone vteri sanando, licet Galenus meminerit in talibus desecanda basilica, sicut in internis inflammationibus, non memenit de sectione aduersi lateris, videlicet quia plurimũ sanguinem exhauriebat, poterat non secare partem distantem. Vbi verò cacochymia jungitur incrassans sanguinem, vacuanda est junctis diureticis, & aperientibus. Verum

rum præconſiderandum eſt, num incraſſities ſanguinis pendeat à calido humore, quo tempore fugienda ſunt calida, & vacuanda etiam bilis per aduſtionem incraſſans.

Tertium: poſt dicta ſequantur prouocantia menſes phlebotomia ſaphænæ parciſſima, & iterata, ligaturæ coxarum, cucurbitæ in eiſdem, ſumantur item medicamenta prouocantia, ſed gradatim, præſtatque ſi triduo ante periodum exhibeantur, & adhuç magis ſi in balneo.

Remedia.

PRimum: balneum; ligentur in linteo, arthemiſiæ, ſabinæ aña m. iij. maluarum, altheæ, fænu græci, ſeminis ſinapis, lauandulæ, florum camomillæ, & ſambuci, anthos, ſtæchados aña ʒ. j. ſedeat mulier ſupra ſaçculum in balneo.

Secundum: peſſaria cum carne ficuum, & ſucco Mercurialis incorporetur, gencianæ, pulegij aña ʒ. j. melanthij ʒ. j. Validius eſt ſi addatur colochyntidis ʒ. j. Item caſtorij ʒ. j. ß. muſchi gr. ij. ſoluta in ſambucino excipelana.

Tertium: ſuffitus ex colochintide ſupra carbones. Vellere decocto, ſabinæ, lauri ex quo lauetur vterus.

Quartum: ſumenda per os. Quotidie jejuno ſumat ʒ. j. tripheræ magnæ ſine opio, cum jure cicerum. Vel ſumat in aurora ℥. iiij. & veſpere tantundem decocti ſequentis addito ſacharo. Radicis rubiæ ℥. ß. ſeminis ſeſelini, faſeolorum, cicerum nigrorum aña m. j. redeat in aqua ad quartam partem. Item quotidie edat jejuna parum arthemiſiæ, vel caſtorei, ſeminis aniſi, & opij aña ℈. j. in vino albo.

Quintum: phlegmagogum. Electuarium Indum ʒ. iiij. ſpicæ ℈. j. cum ſacharo fiat bollus, colagogum autem eſt rhab. ʒ. ij. in aquis lupulorum, & endiuiæ poſt collaturam adde ſucci roſarum ℥. j. ß. vini albi ℥. ß. ſpicæ ℈. j.

CAPVT LIII.

De Morbis juncturarum.

ADuerte: curandæ arthriditis præcepta. Primùm, parcitas in victu summe commendatur, ita vt tertio quoque jejunent, & magis à potu abstineant ante mediam cibationem, & multo magis à venere juxta Hippocratem 6. aphor. 28. à vino item ceu maximo penetratore, quousque transeant quatuor tempora ait. Haly, eo quod in temporum mutationibus solet inuadere, & quia sæpe vertitur in acetum nocentissimum juncturis, è conuerso pedum esus ob familiaritatem commendatur. Exercitia autem valida in parte sana commendantur, & conferunt, in ægra debilia sunt, & postremo fiant.

Secundum: humor noxius vacuandus est sequentibus cõsiderationibus, vna quod non tardet vacuatio, modice exoluens cum adstrictione, videlicet, quia humor positus est in motu, quare commodè festinat ea diuersio ante quam humor firmetur in parte, quare conuenit adhibere etiam pauca præcedente coctione, maximè cum coctio artificialis in talibus adstringat. Quare non parat vacuationi. Ideo autem modica purgatio requiritur, non sola leniens; ne humor ex se agitatus, ex pharmaco magis motus quam eductus, decumbat vniuersim ad locum affectum.

Altera consideratio, si sanguis solus abundat, vel junctim cum alijs, dominante tamen sanguine, vel tertio aucto æque sanguine cum alijs. Vel quarto si in sanguine non est diminutio etiam cum copia aliorum, à phlebotomia incipiendum est 3. 1. 29. Si verò alius humor increuit cum sanguine diminuto, incipiendum est à purgatione, nec hoc pugnat præcepto 6. epid. 1. 5. quod in concursu duarum vacuationum incipiendum est à phlebotomia, quia in casu vltimo dicto ex 4. de

sanit.

ſanit. 8. non conuenit phlebotomia, ſed purgatio, eſt enim cacochymia cum defectu ſanguinis; poſterius tamen æquatis humoribus poteſt conuenire phlebotomia.

Poſtrema conſideratio eſt, in præcautione ſecandum eſt ab oppoſita parte, vel partibus ijs quæ ſolent affici in curatione, ſicut in reliquis inflammationibus à diſtante, ſed communicante.

Tertium: quod attinet ad localia in initio repellentia poſt aliquam vacuationem, imponatur in loco affecto, & ſupra locum affectum, ſimul cum ligatura modice conſtringens iuncturam, laxa autem verſus ſuperiora, deinde paulatim permiſceantur reſoluentia. Tandem in declinatione ſola reſoluentia adhibeantur, veſicatoria autem, & cauteria, ſi adhibeantur, ad intercipiendum fluxum juncturarum imponantur. Si ad vacuationem contenti in junctura, vel parum infra, interim dolor tanquam attrahens fluxiones ſedandus eſt, & durities remanens emollienda. Cæterum in juncturis proximis cerebro, repellentia cauenda ſunt ob timorem nobilis vicini, ſicut in ſchiatica, ob profunditatem.

Remedia.

PRimum: præſeruans locale, frequens lotio cum tepida ferrata decocti ſalis & aluminis, & multo magis lotio frequens in talibus thermis, aut fricentur juncturæ cum ſale, & oleo, & mittatur pars affecta in muſtum maximè nigrum.

Secundum: reprimens commune. Bolus armenus cum oxirrhodino. In validiori autem additur mucilago pſilij, albumen, ſandali, vel roſarum ℥. j. farinæ hordei ℥. ß. fabarum ℥. iij. cum oxyrrhodino. In frigida autem cauſa bulliant nardinum cum pari decocto gallarum, addita çera, aloe, acacia, ſtirace.

Tertium: reſoluens in calida, mucilaginis, fænu græci, & ſeminis lini, & olei linini aña cum cera. In cauſa autem mix-

ta succus ebulli inspissatus cum rosacea. In causa autem frigida stercus bouinum calidum, & magis addito caprino cum cinere caulium. Item aloes ℥. j. mirrhæ ℥. ß. salis ʒ. ij. croci ʒ. j. farinæ lupinorum & furfuris aña ℥. ij. lixiuij quod satis sit.

Quartum: sedantia dolorem; pultes ex pane, lacte, rosaceo, luteis, croco, item pulpæ casiæ extractæ cum aqua rosacea, & in processu cum aqua apij. Validius est, rosaceæ ℥. iij. opij ʒ. j. croci ʒ. ß. cum cera fiat vnctio.

Quintum: emollientia nodos. Balneatio membri bis in die in decocto castrati, & præstat si addatur sanguis calidus recens occisi animalis. In balneo autem fricetur pars, & vndique vertatur sequente frictione ad ignem, pinguedinis vulpini, sesamini aña ℥. j. medullæ cruris vaccæ, mucilaginis, maluæ, fænu græci, seminis lini aña ʒ. ij. cum cera; quod si manet materia indigens resolutione, imponatur hysopum cerotum ex Phylagrio, apud Mesuem.

CAPVT LIV.

De Seminis profluuio.

SEminis profluuium, quod gonorrhæa dicitur, symptoma est retentricis, aut expultricis facultatis testium, & vasorum quæ testibus assistunt continentia semen; à Galeno sic definitur; est seminis assiduæ excretio, cole haud quaquam extento, sequitur autem aut à semine factam irritationem, aut retentricis imbecillitatem, ob quam vel nollentibus nobis semen perpetuo defluit, sine veneris appetitu, incitamento, testigine, aut delectamento, nisi quando vniuersim, & accumulatim excernatur calidum, ac multum semen occurrens, tunc enim seminis acredinem sequitur.

Aliquando etiam conuulsione fit expressio, vt in morbis comitialibus. Causæ sunt quæ semen calidum, atque mordax efficiunt, & quæ vasa continentia humectant, atque relaxant

seminis acredinem agnosces si titigo accidat, si pudendum erigatur, & intumescat, si cummulatim, & cum aliqua delectatione fundatur, & si fætidum sit. Imbecillitas retentricis agnoscitur, quando sensim defluit aquosum semen nullam inferens tetiginem.

Curatur seminis incontinentia quæ ab acredine fit victu refrigerante, lactucis, endiuia, cucurbita, lentibus, & aquæ potu. Sit autem aqua calybeata, ac clysteribus qui refrigerandi vim habent, quiete & animi tranquilitate, balneis aquæ dulcis, & decubitu super altero latere. Vitandus autem decubitus supra dorsum, & puluinarium copia, ac lectus valde mollis, & imaginatio, atque occasio omnis cogitandi de rebus venereis, fugiant & vinum & oleum. Præterea conuenit ab initio sanguinem mittere secta vena interna cubiti, si sanguinis aduenerit abundantia, & veneris præcesserit insueta abstinentia. Deinde ventrem purgare facile, cum cassia fistula, & electuario rosato in decocto hordei, violarum, & prunorum, & lumbos ac renes deinde fouere oleo nympheæ, oleo violaceo, & rosaceo, præterea vnguento rosaceo, lamina quoque plumbi perforatam multis in locis, lumbis alliganda, in lecto tamen violas, ac rosas inspergere oportet, & nymphea flores, viticis germina, & myrti folia, frictiones superioribus membris adhibendæ validæ, & si æger iuuenis, & constans fuerit, & calido anni tempore, non erit alienum frigidæ balneum ingredi.

Si verò seminis incontinentia ob vasorum laxitatem, & retentricis imbecillitatem eueniat. Victus exsiccans esse debet, lentes præbendæ elixæ cum aqua, & aceto, & beta, & lac seminis canabis, & semen ipsum cum sale tostum, & pyra assa & auellanæ tostæ. Carnes enim pauca quantitate edantur assæ. Potus sit aqua cinamomi aut calybeata. Lumbi quoque rosaceo oleo, vel vnguento lineantur, & exercitationibus vtatur, & frictionibus validis, & balneis aquarum sponte calidarum, aut arte paratarum, insessiones quoque fiant ex decocto

rosarum myrthi, rubi, balaustiorum. Lumbis autem & isijs juxta os pubis emplastra admouebimus ex palmulis in rosaceo, & aceto elixis, aut ex oleo rosaceo, & nymphea cum acacia, hypocistide, & rhuta. Hæ verò his etiam qui ob seminis acredinem laborant conueniunt.

Verum valida refrigeratio renes lædit, conducunt quoque omnibus ea quæ semen facultate sua extingunt, & quæ corrumpunt. Extingunt quæ refrigerant, vt lactuca, blytrum, attriplex, cucurbita, pepones, & cucumeres, hæc semen incrassant & extingunt non corrumpunt; quæ verò siccant corrumpunt, quamuis calida sint, vt rutha & vitex, & ejus semen, & nymphea quæ frigida est, hæc à tota substantia. A Galeno, rutham itaque edulijs miscemus & semen ejus, & semen viticis in aqua portulacæ præbemus bibendum; diaciminum similiter, & dianisum, & diacalamintha valent, & puluis sequens.

Seminis lactucæ, portulacæ, seminis viticis, singulorum ʒ. ij. calaminthæ ʒ. j. ß. hujusmodi ʒ. ß. cum aqua stilatitia lactucæ bibitur in seminis fluxu, ob acredinem, ob relaxationem verò cum aqua cinamomi. Eisdem fere remedijs curantur, qui nocturnas pollutiones patiuntur; nam ab eisdem causis malum oritur. Raro perit aliquis à morbo hoc, interim tamen hominem reddit effæminatum, mollem, segnem, timidum, extenuatum, & imbecillem.

CAPVT LV.

De Mingentibus, in Lecto.

SVnt qui vrinam dormientes emittunt, atque id vna duarum causarum, aut ob nimiam vrinæ acredinem, ob quam vesica mordetur, & ad excretionem cogitur, aut ob imbecillitatem musculorum vesicam claudentium, ob quam facile ab vrina grauatur, vtrisque tamen accidit somnus insomnis, plenus, atque grauis, somniant enim se vigilantes quærere

quo in loco vrinam deponere honestius possint, sibique ipsis loca diuersa proponunt, & quibus vnum cum labore, & solicitudine conquæsitum eligunt; at verò interim ab vrina tam vehementer præmuntur, vt totum animum, totamque phantasiæ actionem ad vesicam applicâtes, minime ad externa agnoscenda conuertantur.

Quod si ob vrinæ acrimoniam malum procedat, facilius curabitur bile purgata, & iecore refrigerato, ac renibus, & aquæ hordei potu, & peponum esu, & seminum eorundem, atque lactucarum su. Si tamen ob laxitatem musculi claudentis vesicam eueniat, pueris id frequentius accidit cruditatum ratione, mel itaque rosatum collatum ante cænam sumēdum, idem cruditates emendat, bibant præterea ante cænam myrrhæ ℈. ß. pulueris calaminthæ ℈. j. in vino albo, aut in aqua mulsa, aut seminis ruthæ tritæ ʒ. ß. In vino autem gutteris galli veteris vsti ℈. j. cum vino, aut testiculi leporis abrasi in vino odorato sumentur, foueantur autem & perytoneum oleo irino, & laurino, aut anethino, & mirrha, aut oleo vulpino, & castorei momento; partes quoque præfricandæ dictis oleis, & chymolia cum vino, cataplasmatis modo pubi, & perytoneo admouendis.

CAPVT LVI.

Ad vehementes dolores fæminarum ante purgationem.

SVnt plurimæ quæ iuxta purgationis tempus validos patiuntur dolores in lumbis, imò ventre & pube, quibus subuenitur mollientibus medicamentis, quæ humorum crassitiem extenuent, aut calorem acrem attemperent, in vniuersum tamen meatus laxant.

Ventrem lenire præcipimus, oleo laurino, anethyno, irino, sucino, aut amaricino calentibus; aut cerotum conficimus ex oleo anethyno, sucino, stirace, & pauca cera, & pano

lineo hæc excipimus, aut ventrem fouemus decocto fænu græci, anethi, meliloti, camomeli, cum oleo camomelino, & anethyno. Aut insidere præcipimus in decocto fænu græci, meliloti, amarici, anethi, croci. Aut in vterum infudimus anethynum, aut susinum, aut de styrace, aut vitellos ouorum tres cum oleo susino, & anethyno calentibus confundimus, & imo ventri superponimus.

CAPVT LVII.

De Mensium superflua purgatione.

OMnes immodice fluunt, aut ob eorundem naturam, aut ob vteri affectum; menstruus sanguis acredine, aut tenuitate peccat aut copia. Vteri vitium est, venæ ruptura, aut exesio, aut anastomosis. Vena rumpitur partu, aut aborsu exeditur, fluentibus mensibus acrioribus aperiuntur ora venarũ; vteri sanguis tenuitate aut copia.

Agnoscuntur immodica sanguinis profluuia temporis longitudine. Quædam fæminæ purgantur trium dierum spatio, quædam quatuor, aut sex; quædam octo, aliæ vndecim integris. Copia verò sanguinis fluentis cognoscitur, tum ex his, tum etiam facultatis languore qui inde sequitur. A partu verò quædam septem, quædam vndecim diebus, quædam integro mense purgantur. Sanguinis acredo agnoscitur dolore, ardore, & febre, quæ quandoque concitatur, & acrimonia, fætore, & pallido aut flauo colore. Tenuitas agnoscitur quando sine dolore manet, aut calore, estque ipse sanguis substantia tenuis & decoloratus, sicut & fæmina ipsa, cujus naturalis temperies aut ascititia frigida est.

Copia verò sanguinis agnoscitur esse nota plethoræ, & quoniam copiose fluentibus mensibus, ab initio nihil mali inde sentitur, neq; languescit facultas, partus & abortus noti sunt.

Verum vasis ruptura ex impetu sanguinis fluentis constat, siquidem effatim erumpit, ex erosione verò fluente dolor, & acrimonia sentiuntur, & sensim sanguis manat, & pus miscetur, & hicores fluunt cum fætore, & coloris prauitate. Anastomosis agnoscitur quoniam sine dolore sanguis manat paucus tenuis, & serosus, & signa sanguis abundantis adsunt, aut serositatis ipsius.

Si sanguis vitiosus calore, & acredine fuerit ob bilis mixtionem. Hæc purgari debet ratione reuulsionis, & deriuationis, jecur attemperandum ijs quæ modice refrigerant, vti ceroto sandalino; vnguento rosato, deinde quæ dicemus adstringentia admouebimus.

Victus itaque conueniens exsiccans esse debet, atque adstringens, sint autem aues montanæ assæ, turtures, columbæ, perdices, turdi, passerculi, lac coctum, & oriza cum lacte, aut poscha, & poma austera, & pyra, & cytonea, & sorbæ, ac nespilla, potus vinum nigrum, aut aqua calybeata, quiescant, & brachia earum fricentur, atque crura, auctore Aëtio. Præterea cucurbitulam, quam maximam mamis affigere Hippocrates præcipit.

Remedia.

Statim adhibebimus sacharum rosaceum antiquum cum puluere bolli armeni, aut poschæ ℥. iiij balaustiorum, & hypocistidos vtriusque ʒ. ß. Aut coralorum rubrorum ʒ. j. aquæ plantaginis, aut decocti radicum rubi. Aut pastilorum de succino ℈. ij. cum decocto balaustiorum. Dormituræ optimum auxilium est lapis hæmatites ℈. j. in decocto radicum rubi, aut balaustiorum, syrupi rosati, syrupi mirthini, syrupi de malis cotoneis, & syrupi mirthini ℥. iij. succi vuæ acerbæ aridi ʒ. j. & ß. Curat imprimis vteri vlcera, erosiones, & venarum rupturam succus plantaginis in vterum infusus. Aut decoctum rosarum, balaustiorum, cauliculorum, glandium

cum acacia, & hypociſtide.

Emplaſtrum etiam imponatur ex balauſtijs, roſis, folijs myrti elixis, deinde cum oleo myrtino, & melino malaxatis; aut palmulæ elixæ in poſcha pubi admoueantur, aut ejſdem addes acaciam & hypociſtidem. Leniantur etiã pubes & lumbi oleo myrtino, melino, & roſaceo, inceſſus quoque fiant ex decocto roſarum, balauſtiorum, corticum mali punici, caliculorum, glandium, & myrti foliorum. Peſſi autem fiant ex acacia, & hypociſtide, & alumine atque thure cum ſucco plantaginis aut ſanguinariæ.

CAPVT LVIII.

De Vteri præfocatione.

VTeri præfocatio grauis admodum morbus. Conuulſionis modus eſt, quo vterus ad ſuperiora conuellitur. Nã & ipſæ fæminæ ab imis partibus ad ſuperiores tractionem ſentire ſe fatentur. Quædam earum ſine ſenſu, & motu jacent, & ſine pulſu, aut paruiſſimo, ita vt vix percipi poſſit. Quædam animi deliquium patiuntur, ſed ſentiunt, & mouentur ſtupidorum more, & difficile ſpirant. Quædam præter ſtuporem, & difficilem reſpirationem, motus quoſdam efficiunt conuulſionis crurum, & brachiorum. Nec verò tam graue malum foret vterum conuelli, niſi inde conſentiret cerebrum, cor, & ſeptum tranſuerſum, & quandoque jecur, ventriculus, & liens.

Cauſæ hujus morbi ſunt ſeminis retentio, aut ſuppreſſio menſtruorum, aut humorum malitia fibras vteri occupantiũ. Nec mirum videri debet, & ſi cauſa quantitate parua, tam grauia inferat mala, ſi quidem pauciſſimum virus venefici animalis ex morſu relictum lethalem efficit diſpoſitionem, & prauus humor in digito pedis corruptus morbum efficere comitialem poteſt, conſentiente cerebro; ſic etiam pauca ſanguinis men-

menſtrui, vel ſeminis quantitas, vbi paruam nanciſcitur corruptionem, vniuerſum corpus perfrigerare valebit, & animi deliquia, ſtupores, conuulſiones, & apnæam efficiet, anima verò refrigerante, malum oritur ac euenit frequentius hyeme, & poſt aborſum, vel difficilem partum, religioſis, & viduis. Occurrit quibuſdam malum per acceſſiones, antecedunt autem pigritia, faciei pallor, crurum refrigeratio, tremor, ſenſus hebetudo, præcipue lingua, & viſus contremiſcit, ſubtriſtes fiunt. Iam verò inſtante acceſſione obtumeſcunt, difficile ſpirant, & pulſus paruiſsimus, & obſcurus redditur, & nõnũquam aboletur, & ſenſu priuantur, & quædam ex ipſis reſpiratione. Ex quibus contingit nonnullas in ipſa acceſſione perire accedente pulſu intercadente, inordinate inquit Paulus. Nos tamen ordinate intercadentem deteriorem cum Galeno reputamus. Cum verò reſtitui cœperint, malæ rubent, palpebræ aperiuntur, ſenſus redit, motus, ac reſpiratio pulſus augetur magnitudine, & vehementia. Ab vtero tamen humiditas manat ore relaxato, & inteſtina murmurant.

Curatio morbi, alia competit in ipſa acceſsione, alia verò poſt ipſam, quæ præuiſionis gratia adhibetur. Cum itaque mulier morbo correpta eſt, fricanda ſunt crura, & liganda valide, odoratis ſuffumiganda, & naribus fœtida admouenda, quoniam odorata vterum ad ſe conuertunt, fœtida verò fugant, naribus admouebimus pilorum vſtorum fumum, aut plumarum, præſertim perdicum, aut cymini vſti fumum, aut lanæ, aut lucernæ extinctæ, aut bituminis, aut piſcis, galbani, aut caſtorei. Inferius verò locos lenimus aut oleo de ſtyrace, aut moſcho, aut oleo laurino, aut alypta, aut gallia muſchata, aut fumigabitur ſtyrace, aut belſuino. Deinde leues cucurbitæ affigendæ erunt inguinibus, & infra vmbilicum, quibus ſacculos herbarum calidarum calidos admouebimus, vti flores aurantij, aut ex pulegio, & amarico, camomelo, meliloto, gariophylis, & ſtyrace plenos. Interim acclamandæ ſunt proprijs nominibus, digiti comprimendi, atque pili auellendi, & pu-

denda leniter manibus obstetricum calentibus fricanda. Conferunt sternutatoria; castoreum aut euphorbeum naribus insufflentur; glandes & clysteria quæ calefaciant, & flatus discutiunt. De quibus cap. de collico morbo multa sunt scripta.

Sed jam quomodo prouidendum sit ne in accessione incidant, dicamus à victus ratione auspicientes. Conuenit vti alimentis quæ exsiccandi facultatem habeant, cujus modi sunt turtures, perdices, turdi, assæ autem sint, abstineant à piscibus, lacte, amigdalis, nucleis pini, nucibus, eruca, napis. Aquam elixam per se bibant, aut cum aniso, ventrem lenem seruabũt, frictionibus crurum vtentur, & exercitationibus, ita vt longius incidant, aut in jumento gestentur, non tamen in curru, nam hic motus vomitum concitat, & vteri præfocationem, acclamatio, & vociferatio conducunt.

Sunt quædam mæstitiam patientes, quibus læta nuntia sunt afferenda, & cantilenis exhileranda, & prata ac hortos lustrabunt. Si verò nuptæ fuerint, venere modice vtantur, cum ex seminis retentione morbus habuerit ortum. Remedij ratione abundante sanguine secanda vena est, retentis autem mensibus ea quæ in maleolo est.

Præparato verò corpore, vomitus commouendus est per aquam mulsam tepidam, aut etiam decocto seminis raphani addito. Venter verò purgandus si praui redundauerint succi, cass. fist. elect. elescoph, aut diaphænicon, aut hyera diacolochintidos, aut hyera simplici cum aqua mulsa.

A purgatione cucurbitulæ inguinibus, & fæmoribus affigendæ leues, aut cum scarificatione, & vlcuscula sale inspergenda sunt Pessi ex odoratis immittantur, vt styrace, oleo nardino, & assungia phasiani, aut oleo susino, & amaricino. Vtantur interim his supra ad seminis diminutionem, quæ cap. de gonorrhea tradidimus.

CAPVT

CAPVT LIX.

De Vteri inflatione.

FLatus in vtero quandoque clauditur, & aut in cauitate ipsius, aut in substantia, vnde fit vt vterus distendatur veluti venter in tympano euenit, id malum frequentius enixis si non seruantur, & conteguntur, & obuoluantur foscijs, licet nonnunquam grumis sanguinis retentis eueniat.

Agnoscitur malum, vteri dolore, distensione & murmure grumi, verò quoniam interim fæmina mensium purgationē patitur, & grumus aliquis descendit.

His victus conuenit extenuans, & flatum dissoluens. Cibi pauci, sed boni succi, potus verò anisi decoctum, aut vinum album pauciferum, siue sanguinis grumi adsint, siue crassa pituita flatui præstet materiam, bibita bis aqua mulsa ex anisi, & cymini. Purgabitur ægra per hyeram diacolochyntidos, aut per electuarium elescoph in aqua mulsa. Demum clysteria injiciantur ex decocto pulegij, anethi, cymini, oleo anethino, rutaceo, & melle rosaceo. Oleo laurino, & rutaceo fouebitur.

Pessus quoque ex lana carpta formatus oleo susino, anethino, & styrace imbutus supponetur. Hac enim via flatum plurimum, ab vtero excussum vidi, multo humore deinde secuto. In quem vsum galbanum liquatum in oleo laurino, & susino cum communi puluere, aut illitum, aut infusum valuit, & medicamentum dianisum, & diacyminum, aut plyrisarçoticum cum vino sumptum.

CAPVT LX.

De Dolore capitis in febribus.

CApitis dolor cum febre, aut est signum decretorium, aut symptoma consequens febris magnitudinem, & vehementiam. Cum signum sit decretorium, nullo opus est remedio; nam quæ ipsi medentur futuram impedient indicationē, si sanguis fluxus è naribus speretur; nam si dolor capitis adfuerit in febribus cum morsu oris ventriculi, & oculorum tenebrositate, quamuis frigida admoueamus, & repellentia capiti, non impediemus vomitum; si verò adfuerit capitis grauitas, & vasorum tensio, etiam pulsus temporum, & oculorum hebitudo, abstinebimus ab ijs quæ refrigerant caput, & repellūt, præsertim si præfuerint coctionis notæ. Si tamen ob febris vehementiam, & malitiam vapores peccantium humorum ad caput ferantur, coadjuuante capitis imbecillitate præter corporis euacuationem, pro ratione peccantis humoris fronti, & temporibus, & comissuræ coronali rosaceum admouendum cum pauco aceto, aut etiam addita aqua instilatitia semper viui, & portulacæ. Quod si vigiliæ accesserint, timebitur futura phrænitis, aut peraphrænitis, quamobrem prædicto remedio instandum, & decoctum papaueris miscendum, & interim cordis calor attemperandus, aër quoque attemperandus, & venter leniendus. Placet porro hoc loco meminisse eorum, quæ noxia sunt capiti quorum catalogum Galenus scripsit, nocent quidem non tantum in capitis doloribus, sed in omnibus affectibus in ipso subortis. Viticis semen, absynthij succus, lactis potio, glandes quercinæ, oliuæ nigræ, arbuti fructus, eruus, mirrha, thus, hederæ capreoli, mentem quoque turbant junci odorati semen, crocus, peucedanum, ciclaminum siccum vino potatum, styrax, modicus potus morisitatem soluit, multus autem turbulentos somnos efficit.

CAPVT LXI.

De Pica siue malacia.

PIca symptoma est ad naturalem facultatem, ventriculi attinens, siue vitiosus appetitus; euenit autem frequentius fœminis vtero gerentibus 2. acut. 3. mense. Atque appetunt carbones, terram, gypsum, aut testas. Causa est retentio sanguinis menstrui, atque occursus ejusdem ad ventriculum qui mutat ejus temperaturam.

Cæterum cum sanguis pituitam habeat mixtam, atque hæc cum sanguine corrumpatur, in salsam mutetur, aut aliam corruptionem, & putrilaginem assequantur, diuersarum rerum appetitus fiet; ac proinde pica dicta est, quoniam quædam auis ejus nominis diuersis arborum generibus inseritur, ita & fæminæ quæ hoc symptoma patiuntur diuersos cibos appetunt, aut quoniam hæc varios cibos appetit quoque, & prauos, notus morbus est ex accidenti prædicto.

Præterea accidit multa in ore saliua, stomachi imbecillitas, ciborum auersio, bilis ac pituitæ euomitiones, quibus melius habent.

Victus conuenit exsiccans, vti carnes assæ, & acidaliquamina, paucus potus vini fului, & austeri, dulcia euitent, & ciborum copiam. Diuersitas autem horum procuranda, tum vt aliquid accipiant, tum etiam vt ex varijs cibis aliquem eligant.

Exercitationibus vtantur quæ sibi conueniunt, nec valde lassentur. Prima mensa oliuas sale, & aqua conditas accipiant, aut vt à nobis condiuntur, sale, aqua, origano, folijs lauri, & corticibus limonum, aut cappares cum aceto, & sale, aut caparorum germina eodem modo parata, aut mala persica parata, quæ hispani (*oreiones*) appellant, aut amigdalas auratas, aut cichorium, aut endiuiam cum aceto, aut jus pulli acci-

pient elixi cum malis cotoneis, aut pyris austeris, aut eidem iuri succus mali punici, aut succus vuæ acerbæ, aut succus pampinorum vitis inspergatur; quæ terram appetunt amylum recens accipiant. Valet etiam succi portulacæ ℥. ß. aut ipsa portulaca mansa, aut semper viui succus, aut endiuiæ. Verum si prauorum humorum redundantia magna fuerit, vomitus concitandus aceto mulso, in quo raphanus per noctem maduerit, aut venter purgetur rhab. cum spica nardi.

Deinde syrupus de mentha compositus cum aceti mulsi parte media bis in die bibendum dabimus, aut syrupum de succo persicorum. Ventri autem palmulæ cum aceto elixæ superponantur, aut ex amylo placenta cum poscha malaxata, aut oleum melinum cum aceto; aut hæc eadem cum vino austero aceti loco. Aquæ vero calidæ non valde potus, humorum prauitatem moderatur.

CAPVT LXII.

De Conceptionis notis.

SIgna conceptionis ex Aetio hæc sunt. Si à coitu vterus colligitur, clauditur & siccus est; si à pudendo recedit, & ad semen retinendum, & amplexandum mouentur, semen non excludunt, sed horrores sentiunt, moderatus quidam dolor circa pudendum, & vmbelicum accidit, os pudendi aridum est, & vteri os vt Hippocrates dixit comprimitur sine tumore, aut inflammatione, & sursum trahitur, veneris appetentia languet, menses supprimuntur citra molestiam; venæ pectoris liuent, mammæ intumescunt, & lac habent. Progressu pallent, oculorum cauitates nigrescunt, maculæ in facie, & lentigines. Colli anterior pars, calidior præstantior apparet. Si appetant salsa, acida, & picam pati incipiant, aut 2. & 3. mense ipsam patiantur. Si os nimium madescat, hæc appellant Hispani (*conchentos*) at motus torpor, & effæminatus fit aspectus,

ctus, color albidior, aut pallidior fit, & circa consuetum purgationis tempus mammæ intumescunt, toto corpore ac lumbis grauantur, vrinam calidiorem excernunt, & mensium ratione vterus incalescit, & vrinæ stilicidium quibusdam euenit ab initio conceptionis.

Præterea Hippocrates aquam mulsam dormituræ bibendum præbet, ac si concipit tormina, inquit, sentiet, sin minus non concipit, accedunt quibusdam etiam somni grauiores, & longiores, atque insomnia terribilia timoris plena, ob quæ excitantur subito, & clamant, atque è lecto exiliunt, & ventrem vulneratum iri suspicantur somniantes. Accedit temporum saltus, ac arteriarum quæ sunt in collo, palpebrarum grauitas, alijs verò primo mense nonnihil sanguinis purgatur ab vtero, alijs minime.

CAPVT LXIII.

De Aborsu.

NOuimus quam plures fæminas tertiò à conceptionis mense aborsum facere, & raro aut nunquam fætum ad integritatem seruare. Cujus symptomatis causa magna ex parte sunt mucores laxantes, & emollientes acetabula, aut forte nimia humiditas laxans acetabula, & vteri os, & facultatem retentricem imbecillitans, quas tutius foret antequam conceptionis tempus eas deturbare auxilijs, cæterum experiuntur dũ laborant, cum ratione vti, & remedijs mitioribus.

Victus conueniens exsiccans esse debet, qualis cap. de melancholia traditus est, exercitationes conueniunt, & frictiones, & balnea aquarum sponte calidarum.

Curatio verò corpus præparans ad conceptionem à totius corporis vacuatione incipit, vbi prius aqua mulsa, aut syrupi de quinque radicibus sine aceto paretur. Purgatur autem probe ante conceptionem, electuario elescoph in decocto origani,

ni, vel calaminthæ, & pillulis aureis.

Conceptionis tamen tempore agarico purgantur facile, vel elect. diaphænici pauca quantitate. Deinde vterus ipse expurgandus est pessis, suffitibus, & illitionibus.

Pessi itaque fiant ex melle tosto, aut puluere cumini, aut ex lana carpta imbuta oleo laurino, aut irino, aut in vino in quo per noctem maduerit colochyntis, suffiatur vterus odoratis sæpius, & vteri os sæpius leniatur oleo irino, nardino, anethino, laurino, vel fundatur intra vterum vinum & mirrha, aut vinum in quo balaustium, & rosæ bullierint, ad imbecillitatem retentricis.

Pituitam verò purgat vinum in quo agaricum per noctem maduerit. Optimum quoque remedium Aëtius tradit cum inquit, colochintidem magnam superne infundito, & seminibus ejectis, ac demissa medulla oleum irinum infundito, & cum defectæ particula colochyntidem operito, & per diem, ac noctem madescere sinito, deinde feruenti cinere cocto, & oleum excollato, in vterum injicito, deinde puluis baccarum lauri cum vino, aut oleo anethino vtero admoueatur. Aut sucinum oleum cum mirrha, & styrace, aut galla cum galbano in irino oleo liquato. Lapidem aquilæ gestare brachio ligatum conuenit; experimento tamen noui valere lapidem cunei, modo insertum ilici cum collo appensus gestaretur.

Fit autem sæpe, vt fæminæ abortiant ob motum corporis vehementem, & saltum, & ob ictum, aut cibi alicujus desiderium, & ob vteri intemperiem, aut ob alimenti deffectum, & magnam aliquam vacuationem præsertim ab vtero, & fætus mortem ob flatum vtero inclusum.

Causas sane prægressas vitare oportet, debita victus ratione vti, & languentes reficere, & morbos vteri, vt jam diximus, curare.

CAPVT

CAPVT LXIV.

De Coxarum dolore, seu sciatica.

COxæ dolor, aut coxendicis, græce schias, & eo morbo laborantes schyatici dicuntur, & Hispani à dolore coxæ eos nominant coxos, Latini innatantes, Græci autem vocem sciaticos. Hujus autem mali causa est crassus, atque lentus humor in coxendicis articulis infractus; cujus generationem quies longa, cruditates, medium autem hæmorrhoidum retentio, aut alterius magnæ assuetæ vacuationis, aut fluxus ventris, aut vomitus, frequens quoque coitus id mali sæpe adduxit; incipit autem à lumbis, sæpe ab ipsa coxa, & fæmore, & nonnunquam crus, & pes ejus lateris in quam sæpe malum desinit, humore translato. Morbus notus est. Dolor enim vexat partem natis prominentiorem, & respondentem in inguine partem, & quandoque fæmur, & crus.

Victus conuenit exsiccans, vt carnes assæ, quæ bonum succum tenuem, non multum præstent, aqua cinamomi, aut anisi, mediocris exercitatio, deambulatio, frictio, balneum aquæ sponte calidæ, ventrem verò clysteribus emollire, atque irritare expedit.

Curationem incipiemus considerata prius corporis dispositione, an plethora, an cacochymia adsit. Quod si plethora adfuerit, sanguinem mittemus secta vena interna cubiti incipiente affectione; ipsa verò inueterata venam popletis, vel malleoli ejusdem cruris seccantibus. Hanc eandem seccare oportet adhuc incipiente malo, si menses retenti fuerint, aut hæmorrhoides. Præsente verò cacochymia crassos, ac lentos humores purgationi parabimus aceto mulso, aut aqua mulsa cum decocto origani, aut pulegij. Deinde corpus purgabitur pillulis aureis, aut fætidis, aut de hermodactilis minoribus, expedit quoque vomitum à cibo frequenter mouere cum ra-

phani decocto, aut ſeminis ejus, aut cum aceto mulſo, in quo per noctem raphanus madluerit; clyſteria acria in hoc morbo commodiſſima ſunt ex decocto calaminthæ, pulegij, origani, melle & ſale, quibus addemus hyeram diacolochyntidos. Aut ex decocto centauriæ, abſinthei, & lupinorum cum oleo rutaceo, melle & multo ſale. Aliud. Saluia, ſtæchados, & camepytheos aña m. j. poliſpodij ʒ. j. ſeminis aniſi, fœniculi, & anethi aña ℥. ß. bulliant in lib. 6. aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, reſiduum ſeruetur ad clyſteria, quæ conficientur addito melle, ſale, & benedicta, aut hyera diacolochyntidos, aut fiant ex muria piſcium, & melle, atque oleo rutaceo, qui valida admodum ſunt, & breui prodeſſe vidimus in non paucis.

Conducunt etiam cucurbitulæ cum ſcarificatione, abundante ſanguine in parte affecta, aliter fiant cum multa flamma, hæc præuacuato corpore quemadmodum, & reliqua remedia localia. Quæ etenim repellunt nullatenus conueniunt, quoniam humorem impingunt in loco, quæ tamen diſcutiunt ante corporis euacuationem ad partem plus adducunt, quam ab ipſa diſſoluant. Opportune igitur adhibita quæ humorem diſcutiunt optima ſunt, quæ pro loci ſitu valentia eſſe debent. De his eſt fotus olei rutacei adhibitus, aut ex lixiuio, & ſale, aut nitro: aut ex rutatio, & galbano linimentum, liquetur autem galbanum in aceto. Vel calamintha, pulegium, melilotum, ruta, centaureum, anethum, & ros marinum in aceto bulliant, & eo calenti ſpongia frequenter pars foueatur. Aut emplaſtrum ſupponatur, quod recipiat farinæ erui, farinæ lupinorum cachios aña ℥. j. ß. radicis ireos, ariſtolochia, ſtaphiſagriæ aña ℥. ij. mellis, aceti, vtriuſque ℥. iiij.

Aliud cochyxos, radicis ireos, foliorum rutæ aña ʒ. j. piperis ʒ. j. piretri ʒ. j. ß. ſulphoris ʒ. ij. omnia triturentur. Deinde accipe galbani oppopanicis, amoniaci aña ʒ. j. diluantur in aceto, & omnia ſimul cum reſina terebentina ad emplaſtri formam redducantur, ex his quoque dropaces fiant ex reſina,

galbano, amoniaco additis pipere euphorbio, & sulphure, aut loco hujus vini fæcem addimus. Validum emplastrum fit ex radice cucumeris siluestris in aceto elixa, deinde cum adipe porcino malaxata.

Fiunt etiam emplastra ex stercore columbino, ficubus, & aceto mulso sic. Stercoris columbini ℥. iij. ficuum ℥. j. farinæ cachyxas ℥. ß. mellis, & aceti vtriusque ℥. iij. huic addimus staphysagriam. Aliud synapis ℥. j. cachyxios, farinæ erui, vtriusque ℥. ß. piperis ʒ. j. cum aceto, & melle, misceantur ad emplastri formam. Aliud ℞ vnguenti Martiati, quod alij appellabant Martianum vnguenti Aggripæ, vtriusque ℥. j. olei rutacei ℥. ij. galbani in aceto liquati ʒ. ij. euphorbij ʒ. ß. piretri, staphysagriæ, vtriusque ʒ. j. resinæ quantum sufficit fiat emplastrum.

Hæc medicamenta vesicas inducunt, & humorem purgant. Ex adurentibus est lepidium, siue agriocardamum quo vtimur ad emplastra, hoc modo. ℞. agryocardami aut radices cum adipe suillo contundantur ad emplastri formam, & loco dolenti superponatur, tandiuque permittatur donec pars nigrescat, aut liueat, deinde semoueatur, & loco ejus galbanum in aceto liquatum cum oleo irino, aut cyprino superponatur.

Postremo loco in hujus morbi curatione succedit manus opera, candenti enim ferro crustas inducimus tribus in locis supra articulum, & diu seruamus vlcera.

CAPVT LXV.

De Pernionum curatione.

PErniones qui græcis chymethla vocantur, bifariam solas partes extremas, vti manus, pedes, & aures afficere solent, cum vlcere aut sine ipso. Causa est nimia frigiditas ambientis aëris, quæ sanguinem congellat, is verò deinde putrescens

pruritum efficit, quoniam acris vapor non inuenit exitum, sequitur inde vt valde putrescens sanguis, ac præter naturam incalescens, carnem adjacentem vlceret.

Perniones qui sine vlcere fiunt, probe curantur muria calida superfusa, in qua betta bullierit, aut farina erui cum succo asphodeli, id est haustulæ regiæ, aut decocto radicis ejusdem, aut lenimentum ceræ liquatæ, oleo in quo alium bullierit, optimum est decoctum naporum valde calens.

Aliud probatissimum. Vini albi ℔. j. aluminis ℥. j. bulliant, & vino pars foueatur aut immergatur. Præterea decocto lupinorum pars foueatur, deinde melle cocto, & sulphure leniatur.

Perniones cum vlcere factos, curat olei lentiscini ℥. j. ceræ quarta pars, napus excauetur, & intra ipsum infundantur, deinde abluta parte decocto lupinorum, aut muria, ceratum refrigeratum admoueatur. Probatum est rosaceum cum cera in napo elixum, & frigidum admotum.

Valet in eum vsum thuris, aluminis aña ʒ. j. minij ʒ. j. ß. resinæ terebentinæ ℥. j. & ß. adipis suilli ℥. j. lento igni misceantur.

Aliud thuris, & aluminis aña ʒ. ß. vnguenti de minio ℥. j. olei lentescini ℥. ß.

Vnguentum empirici cujusdam, quod vlceratis pernionibus valet, & fissuris pedum, manuum, & labiorum. ℞. lithargirij, thuris, zinziberis aña ʒ. j. ceræ, mellis, & olei quantum sufficiat, fiat vnguentum.

Vt Decidant pili, remedium.

PEnitus pilũ extirpat hepar thymi putrefactum. Rursus lachrima hæderæ cum succo bryoniæ liquatæ. Et vrticæ syluestris semen cum sanguine vespertilionis, sanguis ranæ, tithimali succus cum oleo, & vino in balneo: & succus sarmenti qui distilat cum vritur. Rursus radix buglossæ, hyacin-

ticum thure, & amigdalis amaris addito oleo malaxanda, & lenienda.

CAPVT LXVI.

Pessulum errhinum quod memoriam labentem reparat, & amissam restituit.

MEnthæ siccæ, pulegij, euphrasiæ, verbenæ, seminis coriandri præparati, calitrici aña ʒ. j. floris roris marini ʒ. j. ß. calami aromatici, & cinamomi aña ʒ. ij. gariophylorum ʒ. j. ß. moschi, & galliæ vtriusque gr. vj. mellis anacardi, & styracis, calaminthæ vtriusque ʒ. ß. Quæ ex his triturationem patiuntur, in puluerem tenuem redigantur, & omnia cum aqua stillatitia fæniculi in pastillos conformentur, ex quibus pessuli fient ad formam nuclei palmulæ cum opus fuerit.

Qui voluerit vti hoc medicamine hunc ordinem seruabit. Purgato prius corpore 10. noctibus nihil aliud præter passulas cum amigdalis paucis, & pauco pane cænabit. Prandium autem erit caro assa gallinæ, aut pulli gallinacei, turturis, aut perdicis.

Potus vinum album vnius anni modice dilutum, singulis autem noctibus prope horam somni pessulum sinistræ nari inseret, & narem cotto obturabit non vltra, quam decem carmina Virgilij recitet.

His elapsis diebus pessulum vnum recens sinistræ nari inserat, & cotto obturet, deinde legat attente quæ voluerit addiscere per integram horam, aut etiam duas, deinde secluso pessulo dormiat, mane namque singula quæ legerit memoria tenebit; ita vt memoriæ tenacitate neminem parem inueniat. Abstinere debet ab his qui his pessulis vti voluerit, aut memoriam seruare, ab ebrietate, venere, cruditate ventriculi, & omni societate, à fructibus viridibus, & oleribus, à lacte, caseo, & carnibus salitis, omnibusque flatum generantibus, à pis-

cium fluuiatilium esu, anguillarum præsertim, licebit tamen (*tructas*) degustare, nocent eisdem aquæ potus, aut vini copiosus, postrema mensa semen coriandri præparatum accipiet.

CAPVT LXVII.

De Cucurbitulis.

CVcurbitulas admouemus, aut reuulsionis, aut deriuationis, aut vacuationis ratione. Reuellit siquidem sanguinem è naribus fluentem cucurbita, hyppocondrio è directo respondenti affixa, & immodicum mensium profluuium supprimit magna cucurbita radici mamarum affixa, & vterum procedentem reuocat cucurbita juxta vmbilicum admota.

Deriuationis verò, ac vacuationis gratia, non admouentur nisi corpore prius euacuato. Sed tunc cum humores aliqua parte obsederunt caput, pars quoque influit, cucurbitas admouentes ceruici, & deinde spatulis, quandoque etiam natibus, ac pro multitudine easdem scarificamus, aut sine scarificatione eisdem vtimur. Nam si vires non admodum validæ fuerint, vt sanguinis missionem ferant, & opus est aliqua euacuatione, cucurbitulis cum scarificatione vtimur, prius eas parti affigentes, deinde eam partem scalpello multis in locis cute tenus seccantes. Rursus cucurbitulam loco admouemus, & sanguinem educimus, quod facimus sæpe parti patienti eas admouentes, nunquam tamen ante corporis vacuationem, ne multus humor in partem ducatur, valide namque suggunt, ac proinde schyrrosis inflammationibus eas admouemus cum scarificatione, & flatus discutiendi gratia. Prosunt enim incantationis modo auctore Galeno, & tumoribus flatuosis. Sic etiam vbi ex intimis ad extimas partes humorem, aut flatum traducere volumus, id facimus in morbis lateralibus qui fiunt inter costas, sine febre potissimum, & pauco humore præsente, & coxendicum doloribus.

CAPVT

CAPVT LXVIII.

De Scarificatione.

SCarificatione præterea ſanguinem reuellentes, vbi humorem tenuem non multum diſtrahere volumus. Sic etiam ex vniuerſo corpore, quandoque vacuamus, vti in pueris vbi continentibus febribus laborant, crura, quandoque brachia ſcarificare præcipimus, quoniam ſanguis ipſorum tenuis eſt, & affluxum ſpirituum prohibemus, atque virium diſſolutionem, ſcarificamus quoque partes ſcyrrhoſas, & partes veneno extrinſeco affectas, & inflammationes veneficas. Crura etiam quandoq; ſcarificamus remouetes à capite, vel menſes prouocare volentes, ſic etiam, & ſuppreſſis hæmorrhoidibus, ſic & partes conuulſas, & partes quæ rubra macula inficiuntur. Præterea antiqua vlcera ſcarificare præceptum eſt, quibus quandoque applicamus ſanguixugas parte prius perfricta ſale, vel ſcalpta ita vt rubeat. Quod ſi opus fuerit ſanguine partem lenies, & ſanguiſugarum ſordem ſpongia mundabis. Sint autem ſanguiſugæ per diem antecedentem captæ, & pauco ſanguine alitæ, ſed interim in aqua pura, & dulci ſeruentur, & per arundinem, aut fiſtulam in partem demittantur, ne ſanas partes attingant, & offendant. Hæc autem fieri oportet vbi expreſſæ prius virus euomuerint, earum dorſa viridia ſint, ſed ventres rubeant, eligantur ex fluentibus, & mundis locis, & aquis, non nigrum, nec lanuginem habentes, cum vero opus fuerit ipſas amouebis ſale inſperſo, aut cinere, ne tamen virus ibi relinquatur cucurbitula appoſita excrementa purgentur. Quod ſi ſanguis anaſtomoſi facta immodice fluxerit, quod fieri ſolet, duabus horis tranſactis, puluis roſæ, aut gallæ combuſtæ parti inſpergatur, has ſæpius ano admouemus in melancholicis morbis ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus.

Compen-

Compendium pro Cauterijs, & Fontanelis.

MIrandum merito foret cæteris aliarum ſcientiarum profeſſoribus, quanta ſit laus ſcientiæ medicinæ, quæ deſtinato ſibi fine conſeruandæ, vel reparandæ ſanitatis, plura media, & intento operi efficiendo plura ſuppeditat inſtrumēta, quod ad ſuos fines cæteræ non faciunt facultates. Enim verò licet in hoc ars noſtra ſæpius naturam ſuperet, in ordine tamen efficiendi ab ea parum differt, nam vtraque ſemper à minoribus ad majora progreditur. Sunt autem majora auxilia in arte medica præcipuè venæ ſectio, & purgatio, 2. aphor. 29. Tum quia frequentiora, tum quia majoris efficaciæ, tū quia magnis debentur morbis, ſed eiſdem de cauſis ſunt etiam magna auxilia balneorum vſus, ſudores, cauteria, & fontanelæ; atque hujus quidem auxilij præſtantiam monſtrat frequens euentus, ſæpe enim in quibus deſperata omnino ſalus eſt, vnū reſtat pro cæteris auxilium per fontanelas. De quarum natura, vſu, vtilitate, modo, & loco aperiendi, vt veſtro ſtudio ſemper obſequamur, quam breuiſſime dicendum eſt.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit fontanela.

CAuteria, apud antiquos magno fuiſſe in vſu, & cum fælicisſimo euentu conſtat ex Hippocrate 6. aphor. 27. lib. de internis affect. ad m. ex Galeno 13. meth. 6. & 6. epid. ſect. 6. text. 5. Auic. fen. 4. 1. doctrina 5. cap. 29. Paulo Aëtio, & alijs. Conſtat etiam legentibus fuiſſe apud illos in vſu fontanelas, ſed cum hoc diſcrimine, quod cauteria pro præſenti neceſſitate, & magis, & ſolum fiebant. Fontanelæ verò ad temporum diuturnitatem; & licet vtriuſque remedij vſus vetuſtate aliquantulum aboleuerit, noſtra hac tempeſtate fontane-

læ frequentissimo sunt in vsu cum felicissimo successu.

Est autem fontanela apertio quædam alicujus membri per combustionem. Verum cum duplex sit combustio, vna perfecta in qua totum id quod comburitur vertitur in cinerem; altera imperfecta quando scilicet, id quod comburitur vertitur in carbonem. Pro fontanelis requiritur solum combustio imperfecta, ita vt locus fontanelæ maneat semi-vstus ad carbonis formam, vocant scharam, quæ nihil est aliud quam cutis, & proximæ carnis combustio cum nigredine.

Sub latitudine hujus auxilij sunt varia genera, setones, vulgo (*sedenhos*) cauteria, fontanelæ, vesicatorium, vstiones. Differunt hæc omnia inter se multifariam, nam setones duplici vlcere fiunt, & magis circa cutem. Fontanelæ altius penetrant, vnde illæ in cutaneis affectibus magis conueniunt impitigine, vtiligine, & alijs cutis fæditatibus. Fontanelæ verò in affectibus qui ab abditis corporis partibus proueniunt. Cauteria verò, & vstiones ferme eidem parti affectæ adhibentur, non ita fontanelæ, aut setones. Vesicatorium est vlcus leue, cum amissione cuticulæ, factum à medicamento acri, & mordaci, vt sunt cantharides, flamulæ Iouis, euforbium; citius agũt & resoluuntur vesicæ, quam schara. Vnde quando materia indiget celeri euacuatione, vt est maligna, probantur vesicatoria magis quam fontanelæ. Differunt etiam hæc omnia genera inter se ratione loci, efficaciæ, figuræ, instrumentis, indicationibus, vt clarius ex dicendis patebit.

Interim oritur difficultas, an liceat aperiri fontanelas, setones, & alia id genus auxilia; si hæc omnia, vel morbi sunt, vel causæ morborum, soluentes continuum, exulcerantes, & intemperantes, & cum amissione partium viuentium carnis, cutis, ossium est. Dic: breuiter sæpe in arte medica, licet pro curatione vnius morbi grauioris alium leuiorem concitare; sic febris superueniens conuulsioni, bonum, & illam aliquando licet medico pro sananda conuulsione excitare. Sic insania curatur verberibus, cum dolore, & contusione etiam mem-

brorum; sic in grauioribus morbis licet concitare vlcus per fontanelas, setones, & vesicatoria, quia major est vtilitas quam dispendium ex vsu illorum auxiliorum.

QVÆST. II.

De modo aperiendi fontanelas.

FOntanelæ semper aperiuntur per cauteria; sed cauteriorũ duplex est genus; vnum actuale siue igneum; alterum potentiale siue causticum. Actuale est quod nullo eget auxilio, vt suam edat actionem, sed vbi membro admouetur statim comburit. Potentiale verò tale decur, quod ejus vis non nisi à calore partis excitata partem ipsam calefacit, & instar ignis comburit. Actuale ex duplici constat materia, vna quidem dura, & sicca, altera humida, & molli. Materia solida cauteriorum, vel ex metallis, vel ex stirpibus; ex metallis, vt ex argento, auro, ferro, ære, chalibe, atque inter hæc alij Auctores, alia magis approbant juxta varias intentiones. Nã Auic. cauteria ex auro, & argento cæteris præfert, ratione loci exurendi quando præstantissimus est, & tum etiam quia aurum, & argentum naturæ humanæ sunt similia; ex quibus in membro quæpiam mala qualitas imprimi non potest, quemadmodum forte ex alijs, ideo diuitibus, & nobilibus sunt in vsu. Aristoteles laudat magis cauterium ex ære, vt quando maximam requirimus exsicationem, aut magnam impressionem in membro, alias non est ita accomodatum, quia excitat vehementissimum dolorem.

Arabes, & præsertim Albumazar cauterium ex ferro, vel chalibe valdè extollunt, quoniam diuturnior ex eo fit impressio, & quoniam solida magis sunt, vnde non eliquantur, dum igniuntur, quod tamen aurea, vel argentea, vel ærea patiuntur. Ex stirpibus cauteria etiam conficiuntur, vt sarmento vitæo accenso, aut radice gentianæ, radice aristoloquiæ rotundæ,

dæ, fungis quercuum, & juglandium, hæc enim omnia accensa, & membro applicata inurunt, & deducunt ad scaram.

Materia humida ex qua parantur cauteria actualia, vel arte liquescit, vt plumbum, vt sulphur, vel suapte natura liquida est, vt oleum feruens, vt aqua feruentissima. Cæterum hæc omnia caute sunt apponenda, ne totum membrum devratur, aut alia sequantur incõmoda; propter hoc si cauterium ex materia humida eligatur, circumcirca locum inurendum excitetur agger qui alueum efficiat ex farina pinsata, aut argila emollita, & in spatio intermedio infundatur sulphur, aut plumbum liquatum. Est & alius vsus cauterij humidi, vt in acrocodonibus, & verrucis quas si vrere velimus assumatur dimidia testa juglandis, quæ ablatis interanarijs aperitur foramine ejus magnitudinis cum verruca, inde hæc intromittitur per foramen, ita vt giba pars testæ hæreat manui, & in cava parte supra verrucam apponitur sulphur, quod candela accenditur, & tandiu in loco seruatur, quandiu ardor testam penetrans incipiat cuti communicari, & tunc totum remouetur.

Cauteria potentialia, siue caustica fiunt per medicamenta sicca, & calida in quarto gradu, quæ crassa constant substantia, in qua vis caustica seruatur, vt dum à calore partis comburendæ actuatur, minime dissipetur. Ista caustica inter se siue magis, & minus distinguntur, quod perutile est vt varijs affectibus, & corporibus accõmodentur, non enim omnibus omnia conueniunt, sed huic quidem vnum, illi verò aliud, propterea horum cauteriorum quatuor habemus materias, sumam magis, & minus distinctas, sed sunt omnia calidissima, & crassissima, & vt plurimum cum virtute adstringente, & corpus comburunt instar aliorum cauteriorum, verumtamen sunt valde dolorifica, & igneunt valde corpus, & propter sui crassitudinem non facile penetrant ad profundum. Quædam autẽ sunt simplicia, quædam composita. Rursus quidem vtrorumque alia quidem sicca sunt; alia verò præhumida constant substantia. Simplicia sicca sunt mysi, calcithis, attramentum suto-

rium, siue crudum, siue vstum, vulgo vitriolum, cadmia combusta, calx non extincta, hæc si diutius apposita membro deverendo permaneant, exulcerant, inflamant, dolorem ingentissimum concitant, & præ sui mala qualitate, non solum membrum corrumpunt cui apponuntur, sed & totum corpus alterant. Simplicia humidæ sunt, vt aqua sulphuris, oleum sulphuris verum, oleum vitrioli, & similia, quæ omnia valde corpus igneunt, & cautè ad modum sunt applicanda, vt de reliquis causticis dictum est.

Caustica composita quæ sicca, vel humida substantia constant, eodem modo sunt efficacia, vt simplicia, & caute etiam adhibenda, inter quæ acutissimum est medicamentum, quod cepitellum vocatur, pharmacopolis satis notum, item trochiscos de minio ex pasta triticia fermentata, sublimato validissimo, & minio conflatus, inde humida composita est præcipue aqua illa erradens, vulgo, *agoa dos douradores*.

Sunt & alia caustica, tum simplicia, tum composita, quæ calidissima sunt, an etiam humida, vel sicca, non est hujus loci resoluere, interim constat, ea magis tenuium esse partium, quam reliqua caustica, & in altum facilius penetrare, licet terrea etiam, & crassa constent substantia, & appellantur proprie putrefacientia, quæ vel sunt ex animalibus, vt est pityocampes; vel ex plantis vt drioptyris, aconita, vel ex metallis, vt est arsenicum auripigmentum, sandarac, crisocola, & alia similia.

QVÆST. III.

Proponitur certior modus aperiendi fontanelas.

GEneraliter adhuc dictum est posse aperiri fontanelas, vel cauterio actuali, vel potentiali, nunc duo supersunt dubia resoluenda. Vnum: quis modus ex duobus propositis securior sit, & vtilior; alterum: quomodo cauterium actuale sit exercendum similiter, & potentiale in ijs casibus in quibus vnũ,

vel alterum magis conueniens est.

De primo inter cauteria actualia magis est in vsu hodie, sicut jam olim cauterium ex ferro ignito, quo supposito certum est cauterium actuale, & securius, & vtilius esse potentialibus, testantibus ita Auicena, Albumazar, Celso, & multis alijs; nam ignis simplex est cujus actio non peruenit, nisi ad membrum in quo oportet fieri combustio, siue cauterium, ideo fere nihil nocet partibus circumuicinis, imò juuat propter bonitatem suæ complexionis, & substantiæ, nisi indebite applicetur, & facit, ne corruptio super membro vlterius procedat, & facit ad confortationem membri, cujus complexionem volumus rectificare, facit insuper ad resolutionem, & remotionem materiæ corruptæ contentæ in membro, & ad fluxum sanguinis restringendum; quæ juuamenta non sequuntur ex medicinis corrodentibus, putrefacientibus, & causticantibus, nam earũ actio peruenit ad membra valde distantia ab affectis, & inducit difficiles ægritudines, & aliquando mortem. Hic est quod in apostematibus à materia frigida, humida, corrupta, magis laudatur cauterium actuale, quam potentiale. Similiter in materia corrupta, & venenosa, & in carbunculo, herpete, estiomeno. Verum si materia apostematis sit calida, & sicca, tunc pro rectificatione membri, nec actuale, nec potentiale cauterium est adhibendum, quia esset addere siccum sicco, & calidum calido, sed in talibus exituris, & apostematibus phlegmonosis, quibus associatur erisipelas, ferro frigido, & non ignito incisio facienda est.

De altero cõmunior vsus in cauterio actuali, apud nostros, est ferro ignito, vulgo (*botão de fogo*) aut auro, vel argento partem inurere, in qua fontanelam volumus aperire, ita vt cutis, & vicina caro inuratur, estque combustio quoad latitudinem, & profunditatem tantæ magnitudinis facienda, vt cicer intro capiatur, vel globulus cereus expers omnis inæqualitatis, ne ejus asperitate dolor immodicus concitetur. Qua de causa prima, vel etiam secunda die, post cauterium

intromittatur globulus ejusdem magnitudinis ex filis ſiccis, qui citra moleſtiam foramen ſeruat apertum , & humiditates euocat ad locum fontanelæ; eo verò tempore tranſacto, filis jam non eſt vtendum, ſed cicere, vel auelana cerea, vt autem ſecurius celebretur hoc cauterium, certa ei forma vtiliſſime adhibenda eſt. Pro quo ferula ferrea tenuis eligatur cum quodam foramine in medio plani orbicularis, quæ loco deſignato ſuperponatur, deinde ferrum bene ignitum per foramen velociter intromittatur, ſub ea magnitudine protenſum , & per eam moram, vt cutim, & aliquam carnis portiunculam derrat; tunc totus locus circum circa liniatur butyro crudo , aut recenti, & intra foramen mittatur lichinum rotundum ex filis ſiccis, inde ſupra totam partem ponantur lintea madefacta ex roſaceo, & oui vitello, tum vt dolor liniatur, tum vt aliqualis ſuppuratio in parte excitetur, ex qua occaſio fluendæ materiæ per fontanelam præbeatur, deſuper faſciæ ex lino adhibeantur, nec nimis laxæ, nec nimis adſtrictæ , & tranſactis octo, vel decem horis hæc eadē lichinia, fomenta, & ligaturæ repetantur, ſimiliterque bis per ſequentem vnum, vel alterum diē, quo tranſacto , vice lichynij cicer intromittatur, & ſuperponantur lintea, cum folio hederæ, vitis, maluæ, plantaginis, cū debita ligatura, & deinceps repetatur curatio eadem, cum nouis linteis ferme bis in die; quod ſi ſymptomata aliqua superueniant, vt vehemens dolor, eriſipelas, inflammatio, occurrēdum eis eſt ex arte, tum localibus , tum ſanguinis miſſione, tum etiam alijs auxilijs quæ videbuntur.

Si cauſtico aperienda ſit fontanela , vel propter nimium ſenſum ægrotantis, vel propter metum, de ferro candenti conprobatum habeo, experimento aliorum, vel meo, inter cætera cauſtica vtilius eſſe breuius, & ſuauius, quod paratur ex parte vna ſublimati, & parte duplici opij cum aqua erradente, vulgo *(agoa forte)* & ſic peragendum eſt cauterium; ſumatur concula eburnea, vel oſſea perforata ex vna parte ſub ea magnitudine, ſub qua fontanela eſt aperienda, intra conculam ponatur

natur papirus madefacta in aqua erradente, & pulverisetur ex sublimato, & opio vt dictum est, tunc in loco fontanelæ designato ponatur concula, ita vt causticum carni adhæreat, & hinc inde ad conculam circumponantur puluinaria ex lino, quæ rectam, & integram sustineant, ne causticum ad proximas partes dilabatur, & præterea fascijs fortioribus desuper hæc omnia sunt deliganda, nec remouenda, nisi post octo, vel decē horas, quibus transactis remoueantur illa omnia, & scara ex caustico facta per medium ferro scindatur, diuulsisque in vtrāque partem labris intromittatur lichynium, vel cicer, & inungatur totus locus ex butyro recenti, desuper lintea madefacta ponantur ex oleo rosaceo, & oui vitello, cum debitis ligaturis, & cum reliquis quæ pro cauterio actuali dicta sunt, & deinceps curatio sub illa forma repetatur. Quod si accidentia superueniunt, vt excrescentia carnis spongiosæ, quod frequenter contingit, succurendum est in eo casu cum pulueribus, vel aluminis, vel tutiæ cum vnguento apostolorum, & similiter pro alijs accidentibus faciendum erit si superuenerint.

Setones aperiuntur etiam cauterio, vel actuali, vel potentiali, sed duplici in parte, vicina tamen, ita vt ex vno foramine, ad aliud detur cōmunicatio per intromissum filum cetaceum, vulgo *sedenho*, & in exercitio hujus auxilij ejsdem modis pro dolore, & pro ligatura vtendum est, quibus in fontanelarum aperitione, & curatione.

Vstiones similiter sunt celebrandæ, si opus erit de quibus non agimus in præsenti, quia earum vsus fere aboleuit.

Vesicatoria per applicationem cantharidum, vel similis medicamenti celebrantur, & relictæ vesiçæ citra emplastra, vel vnguenta sponte, & facile exsiccantur.

QVÆST. IV.

De locis in quibus debent aperiri fontanelæ.

GEneraliter fontanelæ aperiendæ sunt, non in parte neruosa, aut musculosa, nec prope illam, quia concitabitur

ingens

ingens dolor; nec prope ossa propter periculum fistularum, sed in parte carnosa, quia ad illam, tum propter ignobilitatem, tũ propter compositionem, & temperiem, facilius transfunduntur materiæ, quæ per fontanelas sunt educendæ. Hoc supposito duplex speciatim est locus aperiendis fontanelis commodior, & frequentior, scilicet in brachijs, & in cruribus juxta naturam affectus quem volumus curare. Sed variat etiam locus, prout materia morbifica, vel est euacuanda, vel reuellenda, vel deriuanda; vnde si ex capite v. g. per fontanelas materia simpliciter est euacuanda, administratur fontanela in sutura coronali, si sit reuellenda, excitatur in cruribus, & ex sententia multorum etiam in femoribus, si deriuanda, inuritur locus infra occipitium, vel inuruntur spatulæ, vel brachium, prout deriuatio, quæ media est inter euacuationem, & reuulsionem, magis accedit ad hanc, vel ad illam, Porro semper virtus est perpendenda ejus loci in quo fontanela aperienda est, si enim aliquando pars fuit vulnere, aut vlcere affecta, aut obnoxia est dolori, vel plus justo attenuata, signum est imbecillæ virtutis, cujus indicatio prohibet ibi fontanelam, vt in hydropico si tumida sint crura, non debent aperiri fontanelæ in cruribus, quia monstrante experimento æger in periculo deducetur.

Euariat etiam locus in aperiendis fontanelis pro qualitate, & situ materiæ, ideo in fæminis dum menstruis sunt idoneæ, ferme in cruribus aperiuntur, vel si jam morbus ex consensu partium infernarum factus est per essentiam in superioribus, tunc vna fontanela in crure, & altera in brachio est aperienda attendendo semper ad originem fluxionis, & ad vergentiam naturæ, vnde in fæminis etiam vetulis certius est in cruribus aperiri, quam in brachijs. Ex eadem causa in masculis, quando morbus est in partibus superioribus, per consensum hepatis, vel renum, in cruribus etiam sunt aperiendæ fontanelæ. Euariat etiam locus, siue in cruribus, siue in brachijs aperiendæ sint fontanelæ, quia pro varijs affectibus modo à parte interna brachij, vel pedis, modo ab externa debent aperiri, vt in fæminis

fœminis optimum consilium est semper internam cruris partem aperiri; in brachio verò tam in fœminis, quam in masculis juxta situm, & conditionem materiæ eligendus est locus, nam si affectus radicem habeat in medio cerebri, aut sit inueteratus, præstat internam brachij partem inurere, & contra verò externam; & similiter in alijs casibus judicabis, vt angina, cephalea, stilicidio, prout deriuare magis, vel reuellere, aut euacuare expediet.

Nec satis est ad aperiendas fontanelas eligere partem carnosam in brachio, vel in crure, sed oportet etiam justam seruare mensuram, ita vt in brachio aperiatur fontanela per distantiam sex digitorum ab humeri junctura prope venam cephalicam, à qua tamen deriuandum est, inter musculos anteriorem, & posteriorem, at in cruribus aperienda est in latere, siue interno, siue externo, inter musculos per distantiam octo digitorum infra genu.

Oportet præterea, vt fontanelæ non aperiantur prope membra nobilia, quantum fieri potest, quia materia praua transiens per principalia insigniter lædit, vnde melius est euacuare reuellendo, vel deriuando; quæ ratio etiam locum habet pro oculis, & pro alio quouis membro acuti sensus. Cauere insuper debemus perpetuo neruos, venas, & arterias, saltem majores, ne ingens dolor, conuulsio, hæmorrhagia, aut alia sequantur incõmoda, eligendus est semper locus, qui decliuior sit collatione membri, ex quo materia est educenda, vt per fontanelam sanius, & cõmodius exire possit.

Setonum autem locus non semper vnus est, sed variat etiam pro natura affectuum quibus mederi oportet; sic in vitijs oculorum, aurium, narium, & oris, aplicantur occipitio prope circulum capillorum. In affectibus melancholicis, qui ex vitio alicujus visderis suboriuntur, affixum setonem supra ipsum viscus miro modo coopertum est, prodesse similiter in his quibus viscus valde tumidum est, vt jecori, spleni, mesenterio, opitulatur plurimum seto, supra partem affectam affixus,

cujus vice Hippocrates, & antiquiores vtebantur vstionibus; vesicatoria adhibent cuilibet loco, prout postulat ratio affectus, sed semper in parte carnosa, & cum alijs conditionibus, quæ pro fontanelis dictæ sunt.

QVÆST. V.

Quibus affectibus conueniant fontanelæ?

SVpponendum certò est fontanelas inter remedia localia, & particularia numerari, proinde certum est eas parum prodesse, quin & lædere posse nisi præcedant vniuersales euacuationes, purgationes, sanguinis missiones; quia cum fontanela sit validum medicamentum, si corpus sit plenum, trahuntur humores ex toto, quorum defluxu, vel concitabitur magna inflammatio in loco fontanelæ, vel dabitur decubitus materiæ ad aliquam partem, & certo experimento sæpius comprobatum est infeliciter succedere hoc auxilium, nisi præcedat integra, & repetita corporis euacuatio, per pharmaciam, phlebotomiam, & debitam victus rationem.

Hoc supposito fundamento resoluendum est fontanelas, cum sit remedium euacuans conuenire solum morbis materialibus, non autem morbis intemperiei, nisi intemperies ortum habeat à causa materiali, quapropter in præseruatione hecticæ possunt prodesse, quando ob redundantiam prauorum succorum, non fit debita nutritio, & arescit corpus vergens ad marasmum (qui aliquando fieri potest incipiẽdo) quo casu præcauendum est per euacuationes etiam vniuersales, & particulares. Vtrum vero in hectica jam firmata, cum redundantia cacochymiæ conueniant fontanelæ, & aliæ euacuationes. Certius puto non conuenire fontanelas, conuenire verò alias euacuationes leuiores, cum medicamentis humectantibus potius, quam exsiccantibus. Nam hecticus confirmatus virtutem habet valde debilem, proinde tolerare non potest auxilia

auxilia resoluentia, qualia perpetuo sunt fontanelæ, quia cum euacuatione materiæ inutilis resoluunt etiam multum de vtili, qua de causa multi laborantes ante fastidiebant, famescunt valde post apertas fontanelas ex resoluto humido membrorum.

Resoluendum præterea est, licet fontanelæ conueniant morbis pendentibus ex cacochymia, non proinde tamen conuenire omnibus æqualiter, nam cacochymia orta ex vitio officinarum primæ regionis, vomitibus, vel ænemathibus cōmodius educitur, sicut cacochymia secundæ regionis ex vitio jecoris, vel venæ facilius aufertur per venæ sectionem, vel purgationem, quam per alia auxilia. At illa quæ oritur ex recrementis tertiæ coctionis, & regionis, citius, & acutius demitur per fontanelas, quam per cætera auxilia, quippe in qua non conuenit sanguinis missio, quæ potius debetur plethoræ, non purgatio, quia recalcitrat ad intra materiam prauam; non balnea quia non semper sunt ad manum, nec possunt quotidie administrari; non exercitium quia sæpe majores concitat fluxiones ad partem læsam, & manifesta est proportio inter auxilium externum, & materiam in regione extima collocatam. Verum non negamus prodesse etiam fontanelas in cacochymijs primæ, & secundæ regionis, & multo magis quando aliquæ partes laborant per consensum ventriculi, intestinorum, vteri, jecoris, & venarum.

Resoluendum etiam est fontanelas, maximè conuenire in morbis chronicis præsertim fluxionibus, tam ijs quæ intus manent, quam ijs quæ extra prodeunt, & præsertim quando ex alterius defluxus supressione concitantur, siue ille defluxus fuerit naturalis, vt in menstruis supressis, siue præternaturalis, sed consuetus, vt quando suprimuntur hæmorrhoides, aut varices, & mutantur in asthma, anginam, vel similem affectum, vel quando vnus affectus per transpositionem materiæ mutatur in alium, vt pulmonia in abscessum, dicente Hippocrate 2. prog. 64. Quibus abscessus fiunt ex pulmone circa aures, &

suppurantur, aut ad infernas sedes fistulantur, hi supersunt. Constat autem idem esse fistulari per naturam, ac aperiri ex arte fontanelam. Multo magis valet doctrina hæc in omnibus suppresiis fluxionibus necessarijs, aut consuetis, quæ nequeunt reuocari, aut quando natura temporis diuturnitate consueuit in aliquam partem se exonerare á qua consuetudine non potest mutari, nisi per dissuetudinem; vtraque autem paulatim acquiritur. Licet autem fontanelæ conueniant in morbis chronicis, eo quod sicuti paulatim materia peccans generatur, ita paulatina eget euacuatione, non proinde tamē in principio statim eorum morborum sunt adhibendæ; sed tentatis prius leuioribus auxilijs, quia sicuti fontanelæ extrema sunt auxilia, ita vltimo loco adhiberi conuenit.

Inter morbos chronicos juuantur maximè ex fontanelis affectus omnes, qui per defluxum à capite oriuntur, vt inueterati dolores dentium, gingibarum, faucium, & alij oris affectus, juuantur etiam maximè asthma, tussis, & omnes thoracis affectus quando à capite per stillicidium oriuntur inter quos præcipue est pthisis, & maxime quando prouenit ex salso stillicidio.

Num in arthritide, schiade, podagra, chyrigra, aut alia quauis specie conueniant fontanelæ, longissima est disputatio; quæ licet negatiuè resoluatur à practicis. Mihi ita videtur vtiliter decidenda; vti affectus proueniunt, ex materia redundante in venis, & ex his defluente ad articulorum cauitates, inde ad vicinas partes ligamenta, neruos, ac tendones, & ad cutem, vnde propter dolorem aliquando pars in tumorem eleuatur. Verum licet propter materiæ conditiones concitetur defluxus, fit tamen ad illas partes, propter earum imbecillitatem. Hoc supposito certum est hos affectus attenta origine fluxionis, magis & propriè curari per sanguinis missionem, purgationem, per debitam victus rationem, & maximè in eorum principijs, vel accessionibus. Cæterum quando ortum habent ex materia primæ regionis, vel sunt admodum inueterati,

non

non dubium est quin fontanelæ debito loco factæ mirificè prosint, & quando aliqua ex his speciebus jam nodosa est cum tuberculis (vocant tophos) consulunt Auctores faciendam non esse fontanelam, sed vstionem in parte affecta, quia cauterium suo calore humores ibi contentos exsiccat, & in halitum redigit.

Pro epilepsia oportet distinguere; nam si sit per primariam capitis affectionem, inurendum est occiput, qua parte capiti annectitur prima vertebra, vt per vlcus paulatim caput expurgetur. Item non conuenit illa adustio, quando epilepsia prouenit ex humoribus melancholicis, tales enim cõmodius per hæmorrhoidas, balnea, pharmaca educuntur. In epilepsia consensum competunt fontanelæ, respiciendo ad partem mãdantem si recens sit malum, si verò inueteratum, ad partem mandantem simul,& recipientem attendendum est, & in pueris fontanela in occipitio aperienda est, quia fere semper est per essentiam, ob eorum cerebri imbecilitatem, & humorum redundantiam: in fæminis accedit epilepsia, cum magna symptomatum varietate,& ferme fiunt ob vteri consortium. Quibus omnibus nullum præstantius, aut certius remedium in arte medica inuentum est; & in epilepsia recenti fontanelæ in cruribus sunt aperiendæ maxime in sinistro; in inueterata verò sunt aperiendæ in crure vna, altera in brachio. Pro fæminis etiam conueniunt fontanelæ in omnibus alijs affectibus, qui ex vteri consensu contingunt, vt est cordis palpitatio, vertigo, syncope, cardiaca passio,fastidium, deprauatus appetitus (qui morbus pica appellatur) carbonum, & similium.

Pro hydrope conueniunt fontanelæ, docente nos natura, quæ in hoc affectu vlcera concitat manantia in cruribus, per quæ paulatim aquosus humor expurgatur, sæpe ad integram valetudinem; cæterum magis conueniunt in anazarca, vtrique cruri affixæ, per quas materia in corporis ambitu contenta dilabatur. Deinde in ascite, quia id prauum, quod intra peritoneum, & omentum continetur per proprias venas ad crura,

aut per ocultas vias ad partes vlceratas deducitur, in tympanite raro, aut nunquam conueniunt ob causam materialem.

Pro iliaca passione, colica, & alijs intestinorum affectibus sunt, qui ventrem vrant paulo supra vmbilicum, laudatur tamen magis setonum vsus supra eundem locum, quia minus debilitant. Pro tenesmo, & hæmorrhoidum passione conueniuntmaximè, tum ad sedandos dolores si affligere consueuerint, tum ne in postremum redeat affectus. Setonum vsus in triplici affectu percipue proficuus est, nempe in affectibus melancholicis qui vitio alicujus visceris oriuntur, vel in quibus viscus aliquod muscidum, & tumidum valde est, vt jecur, splen, mesereon, vel in affectibus cutaneis, impitigine, vtiligine lepra; mire etiam cõmendantur in vitijs oculorum, aurium, narium, demum & faciei, pro quibus occipiti sunt apponendi.

QVÆST. VLTIMA.

Vtrum fontanelæ possint aliquando claudi, & quo modo?

COntingit sæpe numero fontanelas post apertas parum, aut nihil prodesse, & longo temporis tractu, quo casu vulgares chyrurgi eas claudi jubent. Sed est de hac re summopere aduertendum, fontanelas posse non prodesse multis de causis. Nam aliquando ita accedit ob ineptitudinem situs, vt quando fontanelæ sponte, & paulatim mutant situm, & locum v. g. de parte interna ad externam, vel de parte superiori ad inferiorem, quo casu restat solum, vt reuocentur ad pristinum situm. Quandoque etiam non juuant, vel quia inuerso ordine in brachio pro crure, vel quia prope musculos fuerunt apertæ, & ingentissimos inferunt cruciatus, quo casu ad locum debitum sunt transmutandæ, quandoque ob callum vlceri ductum, qui vlceri materiam intercludit, vnde pars aliquando intumescit, dolet, & inflammatur, in quo casu recurrendum est ad chyrurgiam. Quandoque ob eximiam cacochymiam,

chymiam, quæ per vnam, vel alteram fontanelam sufficienter non euacuatur, vnde & tres, & quatuor conuenit aliquando aperiri, quandoque ob conditiones materiæ, vt si sit valde crassa, aut viscida, aut multa, quo casu attemperanda, & minuenda est per purgationem, & alia auxilia, quo temperatior, & minor facta facilius per fontanelas dilabatur.

Si autem fontanelæ non iuuant, ob maximam materiæ rebellionem, vel ob dispositiones ægrotantis, non proinde sunt claudendæ primis statim mensibus; nam paulatim manuductione aliquando assuescit natura eo vergere, quo antea difficilime propendebat; quod transacto integro anno nullum appareat iuuamentum, nec spes est in posterum apparere, tunc claudendæ sunt, sed duplici seruata conditione. Prima, est non subito, nec omnes simul claudantur, sed successiue si fuerint plures, & quælibet paulatim, ita vt in dies minor, ac minor globulus cereus vlceri inducatur donec ex sese claudatur. Altera conditio est, vt ad clausuram fontanelarum præcedant vniuersalia remedia, sicut ad apertionem purgatio, venæ sectio, bona victus ratio, multoque magis si corpus fuerit plethoricum, aut valde cacochymicum, vel si fontanelæ aliquo tempore emanare consueuerunt, & postea fuerunt resiccatæ. Hæc pro fontanelis.

LAVS DEO.

